

VOLUMINA LEGUM.

PRZEDRUK ZBIORU PRAW

VOLUMINA LEGUM.



PRZEDRUK ZBIÓRU PRAW

STARANIEM XX. PIJAROW

W WARSZAWIE, OD ROKU 1732 DO ROKU 1782,

WYDANEGO.

TOM I.

PETERSBURG.

NAKŁADEM I DRUKIEM JOZAFATA OHRYZKI.

1859.

OD WYDAWCY.

Podając publiczności przedruk zbioru praw Polski, staraniem XX. Pijarów, od 1732 do 1782 roku, ogłoszonego, i pospolicie pod nazwaniem *Volume Legum* znanego, uważam za obowiązek oświadczyć:

niniejszy przedruk, co do treści i układu, jest powtórzeniem wspomnianej edycji Pijarskiej, bez żadnych zmian, dodatków i opuszczeń;

zachowano w nim pisownię użytą w owej edycji, z poprawieniem tylko oczywistych błędów drukarskich;

aby zaś ułatwić nabywcom niniejszego przedruku odszukanie w nim, znajdujących się w dziełach o historii Polski i jej prawach, cytaty z edycji Pijarskiej, oznaczono jej paginację na marginesach stronic.

Słowem, bacząc, że edycja Pijarska stała się bardzo rzadką i w handlu księgarskim bynajmniej się nie znajduje, miałem jedynie na celu wykonać dokładny przedruk, mogący tę edycję w zupełności zastąpić dla nieposiadających jej, a chcących się oznajomić z dawnym prawodawstwem polskim.

Winienem przytem uznać publicznie zasługę około tej pracy szanownego p. *Antoniego Bialeckiego*, członka Towarzystwa Poznańskiego Przyjaciół Nauk i Kommissyi Wileńskiej Archeologicznej, który, podjąwszy się korekty, najczynniej przyłożył się do skutecznego powziętego przezemnie zamiaru.

Jozafat Ohryzko.

Petersburg, dnia 5/17 Grudnia 1859.



Wolno drukować, z warunkiem złożenia w Komitecie Cenzury, po wydrukowaniu, prawem przepisanej liczby egzemplarzy.

Petersburg, dnia 11/23 Kwietnia 1859.

Cenzor Pałacowy.

OD WYDAWCY

AD

LECTOREM.

Omnem dare operam quemlibet oportet, patriae ut suae in aliquo proficius esse et gratificari possit. Hoc est enim praecipuum omnino munus cujuslibet civis, ea qua potest ratione prodesse Reipublicae. Illa demum beata, felix et florentissima est Respublica, de qua quilibet optime merendi cupidus, si nondum valet maxima, tamen ea quae potest, curet praestare officia. Ut autem cujuslibet partes sunt propriae, pro fortuna viribusque suis aliquid bono communi addere, ita nemini ad id faciendum, si velit, aut modus deest, aut via praeccluditur. Infinita quidem erga nos recensentur patriae beneficia et merita, at multae quoque si non eadem illi rependendi, saltem pro eis gratum contestandi animum nobis suppetunt rationes. Quarum, in eo quo sum loco, haec non incongruens mihi visa est, gratificari publico, horum quorum penuria omnes graviter afficiebantur editione librorum, qui *ius omne patrium* fontemque ipsum ex quo caeteri de legibus scriptores hauriunt complexi, quam necessarij peritilesque sunt superfluum est exaggerare.

Cum itaque praestantissimum hoc patriarum legum et sanctionum opus rarum adeo esse coeperit, magno ut labore impensisque conquiri vix quidem posset, nova illius editio desiderabatur ab omnibus, qui quantum inde emolumentum commodique Reipublicae accederet, probe norunt. Summa itaque hac ratione bene merendi de cunctis cupiditas studiumque incessit animum: sed cum non modica pecuniae vis tanto operi absolvendo necessaria obsecundandi desiderijs publicis diu facultatem adimeret, oportune illa mihi in mentem venit, quam in Italia Galliaque ut Rebuspublicis perutilem olim ipsemet observaveram, commoda satis passimque in celebrioribus alibi typi officinis usitata ratio, invitandi eos, qui ultro vellent (ad conflandam ex integro summam) viritim illam contribuere partem, quae cui-libet obtingeret e mille personis, nam is nume-

rus praefigendus videbatur. Quare cum non ullius penitus lucris studium, sed voluntatem tantummodo gratificandi cunctis testatam facere peroptarem, ita computatis expensis dum tantummodo typographiae Reipublicae suus damno non esset labor, perexiguum proposui pretium quaternos nummos aureos videlicet praenumerandos, pro comparando integro constitutionum opere, in quotquot dividetur tomos usque ad comitia anni 1726 quod opus et si maxima pulcherrimaque parte mutilum, jam vicies plus constabat ementibus.

Eam igitur huic incommodo occurendi rationem mox a plurimis comprobata, ubi hujus anni initio ad notitiam omnium perduxit adeo libenter petitioni meae permulti subscripserunt, ut Kalendis Aprilis opus tam desideratum praelo subijci ceperit: cujus primum volumen auspicijs Divinis mature jam prodit, quod sub horum comitiorum tempus publicae singulorumque utilitati, ut eram pollicitus, consecrare pergo, caetera quoad fieri poterit viresque suppetent maturaturus.

Jam ut aliquid de vetustissimis exemplaribus moneam, ex quibus integra religiosissimaque fide cuncta extrahuntur quae hic continet tomus, quaeque caeteri continebunt: imprimis obligationem animi longe maximam profiteor, cunctosque qui hoc utentur opere profiteri oportet, Illustrissimo familiae virtutis et scientiae claritudine viro *Josepho Zaluski*. Referendario Regni, cum inter doctissimos hac tempestate homines, tum inter scientissimos juris patrij numerando: qui e sua quam magno studio sumptuque ipse comparavit omnis generis praecipue vero publicis regni monumentis locupletissima bibliotheca, plurimorum mihi librorum scriptorumque copiam fecit. quorum praecipua pars alibi reperiri nullatenus potuisset. Quamobrem juxta ejus potissimum exemplaria (in quibus nihil est quod a Republica

approbatum typisque aliquando vulgatum non sit) cum nullibi major eorum copia, quam in *Zalusiana* hac bibliotheca reperiatur, totum hoc singulari ejus beneficio consilioque prosequemur opus.

Enimvero ab anno 1347 (a quo primum scriptas extare in Polonia leges paulo infra ostendemus) ad annum 1550 nullus omnino liber hactenus qui Reipublicae monumenta simul contineat unquam confectus fuit. Omnia haec e diversis complurium scriptorum (quorum lucubrationes jam hodie vix alicubi extant) locis colligi, in unum congeri, ab infinitis propemodum erroribus purgari oportuit. Primus quidem JOANNES ŁASKI *Cancellarius* Regni, deinde *Archiepiscopus Gnesnensis* vir suo saeculo pietate et doctrina facile praestantissimus, res hujus generis (quae hic omnes exscribuntur) ad Annum 1505 laboriose utiliterque collegit, sed in eo pleraque quae in alijs posterioribus occurrunt desideres. Permulta in manu descriptis antiquissimis codicibus, longe plura in separatis aliquot folijs longum vicere tempus. Quorum, nec omnium partes et fragmenta digesta in communes locos apud *Herbertum, Ianusovium* aliosque leguntur. Ita antiquae leges sanctionesque duorum saeculorum ut erant integrae in unumque omnes simul commissae volumen primum nunc in lucem prodeunt. Extant quidem et similia alia eorundem temporum monumenta Cracoviae in thesauro regni, quorum copiosum indicem nuperrime obtinui, sed cum haec nunquam alias typis vulgata sint, privataque autoritate id fieri nequeat, ea in aliud commodius tempus seposita sunt. Praesertim cum illa scitu quidem digna et satis proficua legentibus futura, haec vero quae his comprehenduntur voluminibus, jam omnino necessaria sint, ut pote usu Reipublicae recepta et autoritate confirmata.

Quae hunc absolutum deinde consequentur tommum, jam satis luculenter alias collectae sunt ab anno 1550 ad annum 1625 constitutiones, et in unum quidem jam praeterito saeculo congestae librum: caeteras ab a. 1625 seorsim plurimas nec satis concinne excusas, nec annorum foliorumque numeris (qui tantopere ad inveniendam facilius ex indice quamcunque rem sunt necessarij) distinctas esse, cum fere omnes quarantur, nos eas, adjunctis etiam nonnullis quae desunt, illa qua fieri poterit diligentia exhibebimus.

Jam ab a. 1685 usque ad ultima Regni comitia, omnes illae constitutiones sparsim hactenus in separatis duntaxat folijs vix reperiuntur, nec simul ullo unquam hactenus impressae fuerunt libro, quae primum nunc in ultimum collectae tommum simul prodibunt in lucem. Itaque ab anno 1347 usque ad praesentem diem quaecunque sunt publice constituta, hoc sequentibusque exhibebuntur tomis; ut jam plenius omnium quotquot extant antiquissimarum recentiumque legum patriarum opus desiderari non oporteat.

Leges vero etiam abrogatas vel certis duntaxat praescriptas temporibus, quas tamen praeterire non licuit, in fine ultimi tomi indicabimus ibidemque generalem indicem legum constitutionumque omnium, separato conficiendum volumine annectemus. Superfluum enim minusque utilis esset labor, non parum autem incommodi cuivis rem quampiam quaerenti afferretur, si diversis locis singulisque tomis separatim annexos indices evolvere cogeret. Hoc primo volumine nobis sufficere exhibere capita contentorum, seu summarium, perfecto annorum ordine servato, quem in hoc libro diligentissime secuti sumus, ea tamen ratione ut sanctiones quasdam, ne bis terve repeterentur, non eo quo primum fuerunt conditae sed eo anno quo confirmatae sunt, consulto posuerimus. Fragmenta nonnullarum veterum legum aliquot adhuc supersunt, sed postquam plura collecta fuerint, nihil ut desit, quod in hoc genere usquam reperitur, ad finem totius operis apponentur.

Jam stylus scribendique ratio, qua in jubendis legibus usi sunt veteres, pro conditione temporum alicubi satis elegans, nonnullis in locis et si non adeo tersus, ubique tamen est clarissimus efficax decensque Majestatem jubentis. Voces quaedam peregrinae ut *golotae* seu *servitia*, *bori* seu *sylvae*, *granities* seu limites aliaequae similes neminem offendant, cum semper vocibus mox sequentibus sententiae ipsa apte explicatae sint. Sunt et aliae vix quidem Latinae, sed talibus et antiquitas et hodie etiam in cunctarum nationum ita vel ipsa romana edicta dispersa sunt. Jussiones namque principum non sunt orationes pro rostris. Omnes jam primo hoc absolutae sunt tomo quaecunque lingua latina concinnatae sunt leges; hujus enim usus in ijs conscribendis ad tempora Sigismundi Augusti obtinuerat, deinde immutatus, quo commodius omnia a cunctis intelligerentur. Menda denique typographorum dum quae forte occurrant in toto hoc opere, cum et pauca sint, et nullo loco talia quae sensum obscuriorem reddant, uti facile detegi possunt, ita lectoris humanitate et prudentia, ea condonatum iri speramus; illum vero praesertim errorem, qui primis irrepsit folijs, ubi annus 1346 positus est pro anno 1347 qui in omnibus alijs mox est correctus paginis. *) Circa folia adhuc quae in paginarum marginibus annotantur observandum est, quod a principio usque ad finem totius hujus operis, foliorum ut sunt in vetustis exemplaribus numeri eo apponantur fine, ut ubi ea in antiquioribus indicibus, ut in *Herberto* vel *Ładovscio* citantur, etiam in nostra editione reperiri possint. Ut qui ex. gr. in *Herberti* Statuto legem citari videt quae *Fol. 10* legebatur in *Łaski*, observet in hoc libro notam hanc ad marginem *fol. 10* et eandem reperiet legem. Ita de caeteris. Quorum vero exemplarium antiquorum

*) Hac in editione correctum est.

De legibus ante religionem Christianam.

§ 1.

Nemini mirum sit, vix aliquam superesse memoriam priscarum hujus regni legum, atque olim illas non literis sed jubentis imperio traditas. Sane Resp: illa, romana fuit, id est ea, quae in investigandis antiquitatibus suis caeterarum civitatum putatur exactissima, de qua ait Pomponius Jurisconsultus: *initio civitatis nostrae, populus sine lege certa, sine jure certo primum agere instituit omniaque manu Regni gubernabantur*. Vixque e Papyriano jure (quo Sextus Papyrius jussa regum romanorum conscripserat) illae aliquot primarum legum jam extant formulae: *Ne quid inaugurato faciunt*: hoc est non quaesitis prius auguribus, utrum res aliqua bene aut male civitati cessura sit. *Patres soli*, (id est solae lectissimae familiae) *sacra magistratusque peragunt*. *Plebeij agros colunt*. *Populus magistratus creant, leges sciscunt, bella decernunt*. *Ne quis praesentibus feminis obscaena verba facit*. *Paricidas omnes capite puniunt*. *Adulterij convictam vir et cognati ut volent necant*. *Si vinum biberit domi ut adulteram puniunt*. *Parentum omne jus esto liberos relegandi vendendique occidendique*. Aliae quae consimiles, regum longoque post eos tempore, usu potius receptae quam praescriptae. Donec circa an. 302 ab urbe condita leges a Graecis civitatibus transcriptas auctasque municipalibus, in duodecim tabulas redegere Decemviri. Quas infinitae propemodum posterioribus Reipubl: temporibus secutae sunt leges. Nam quemadmodum hominis, ita et Reipublicae aetas, utcumque primum exilibus rudimentis formetur, quo magnis deinde maturescit annis, eo pluribus admonitionibus et recte vivendi regulis imbuatur, firmarique debet. Pueritiam enim, si vetes, coercueris, in virilem rationem exaggerata vix valent imperia. Quare ante tantam crescente Reipubl. hujus aevo necessario praescriptarum legum multitudinem, si ad ejus incunabula oculos reflexeris, suffecere profecto illi primis quidem temporibus, pauca animis inscripta non libris quaedam quasi praeceptorum tyrocinia.

Enim vero cum antiquiores temporibus CASIMIRI Magni non extant leges, laudabili antiquitatis studiosorum curiositati ut satisfaciam, obligatum me sentio. Ea enim proculdubio cuivis oboritur altius perquirendi cupiditas, *Utrum Casimiri Magni aetatem leges aliquae legislatoresque antecesserint? a quo vero illae magistratu et quomodo in Republica perferantur?* Hujus generis argumento quod ad absolutionem tanti operis jure desiderari videtur, neminem arbitror non libenter vacaturum: quare ordiemur primum lucubrationem nostram:

De antiquioribus Casimiri Magni aetate legibus.

Cic. lib. 1. de leg.

Lex in natura fundata.

Sapientissimus de legibus scriptor ita vim legis complectitur: *Lex est ratio summa insita in natura, quae jubet ea quae faciendae sunt, prohibetque contraria*. Lex igitur in natura fundata est, et originem lucemque a recta ratione derivat. Vivere secundum legem, est secundum naturam rationemque recte vitam et mores domi perinde atque in publico instituere. Quare etiamsi nullae leges a magistratibus perlatae exaratae promulgataeque exstarent, ipsa natura et ratio honesta probans, inhonesta rejiciens, supremae et absolutissimae legis instar esset. Adeoque legis *non scriptae et scriptae* aliud discrimen non est, nisi quod haec illa tempore sit posterior; cum una utriusque sit regula idemque fons, scilicet *natura et ratio*. De lege quidem non scripta oportet intelligi illud: *Legem neque hominum ingenij excogitatam esse, neque scitum aliquod populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum reget imperandi prohibendique sapientia; quae vis senior est quam aetas populorum et civitatum, vis enim est coelum atque terras tuentis et regentis Dei*. *Nec si regnante Tarquinio nulla erat lex scripta de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiae Tricipitini filiae intulit, erat enim ratio profecta a natura, a delicto avocans, ad recte faciendum impellens, quae non tum denique incepit lex esse, cum scripta est, sed cum orta est; orta est autem e mente Divina*. Unde ante legislatores omnes qui leges et jura populis praescribere non scriptam quidem sed Divinitus in natura insitam legem, quae est recti praeceptio pravique depulsio, vixisse semper in omni natione, indubium vocari non potest. Quamobrem et nos hoc loci duntaxat quaeremus, utrum ante Casimiri Magni eximijque legislatoris tempora alij legislatores apud Polonos legesque scriptae olim etiam extiterint. Legum autem nomine comprehendi hic totum volumus quidquid suprema autoritate sancitum est, quod ad administrationem Reipublicae pertineat, sive mores, sive magistratus, sive militiam, sive redditus, sive religionem aliudve bonum communis patriae concernat.

Cic. lib. 2. de leg.

Principio Rerumpubl pauca leg.

Nemini mirum sit, vix aliquam superesse memoriam priscarum hujus regni legum, atque olim illas non literis sed jubentis imperio traditas. Sane Resp: illa, romana fuit, id est ea, quae in investigandis antiquitatibus suis caeterarum civitatum putatur exactissima, de qua ait Pomponius Jurisconsultus: *initio civitatis nostrae, populus sine lege certa, sine jure certo primum agere instituit omniaque manu Regni gubernabantur*. Vixque e Papyriano jure (quo Sextus Papyrius jussa regum romanorum conscripserat) illae aliquot primarum legum jam extant formulae: *Ne quid inaugurato faciunt*: hoc est non quaesitis prius auguribus, utrum res aliqua bene aut male civitati cessura sit. *Patres soli*, (id est solae lectissimae familiae) *sacra magistratusque peragunt*. *Plebeij agros colunt*. *Populus magistratus creant, leges sciscunt, bella decernunt*. *Ne quis praesentibus feminis obscaena verba facit*. *Paricidas omnes capite puniunt*. *Adulterij convictam vir et cognati ut volent necant*. *Si vinum biberit domi ut adulteram puniunt*. *Parentum omne jus esto liberos relegandi vendendique occidendique*. Aliae quae consimiles, regum longoque post eos tempore, usu potius receptae quam praescriptae. Donec circa an. 302 ab urbe condita leges a Graecis civitatibus transcriptas auctasque municipalibus, in duodecim tabulas redegere Decemviri. Quas infinitae propemodum posterioribus Reipubl: temporibus secutae sunt leges. Nam quemadmodum hominis, ita et Reipublicae aetas, utcumque primum exilibus rudimentis formetur, quo magnis deinde maturescit annis, eo pluribus admonitionibus et recte vivendi regulis imbuatur, firmarique debet. Pueritiam enim, si vetes, coercueris, in virilem rationem exaggerata vix valent imperia. Quare ante tantam crescente Reipubl. hujus aevo necessario praescriptarum legum multitudinem, si ad ejus incunabula oculos reflexeris, suffecere profecto illi primis quidem temporibus, pauca animis inscripta non libris quaedam quasi praeceptorum tyrocinia.

Jam cum primis aetate *Lechi* (qui primus regni hujus fundamenta jecit circa annum humanae Salutis 550), ejusque posteris Rempublicam administrantibus, nullas quae scriptae essent, consensus omnium historicorum constat fuisse leges. Sed ut princeps polonorum historicorum narrat: *fundato principatu Lechus partim Gnesnae manendo partim obeundo regiones, jus dabat populo aequabile, non ex praescripto legum quae nullae erant, sed ex arbitrio suo hoc est ex aequo et bono*. Rationes autem regij aerarij illa tempestate ita confectae erant: *Reditus tunc et agros nullos peculiares habebat princeps, sed ei cuncti seminabant et metebant, deque omnium rerum proventu, fructibus ipsis vectigal pendebant*. *Nam nuncius tunc incognitus erat apud Polonos, sed permutatione rerum quo cuique opus erat sibi comparabat*. Leges item administrandi imperij

Manut de leg.

Quales sub Lecho leg.

Crom. in Lech.

Ibidem.

in sola principis justitia et lenitate erga Populos, in benivolentia et obsequio populorum erga principem erant sitae. Ita Lechus posteris suis relicturus exemplum, imperio moderato usus est, magis ut patris charitatem quam severitatem domini obtineret in eos, qui ultro suam fidem sequerentur. Id autem quod fortasse ut ferunt ex publico Lechi primi conditoris regni instituto aeternum Reipublicae mansit, sunt arma seu insignia Poloniae, quae, candidam aquilam alis explicatis praeferunt.

Sub 12 Palat.

Stirpem Lechi consecuti duodecem optimates delecti e proceribus dictique Palatini, initio e Republica initum magistratum gessere, legesque paucissimas et simplicissimas ut rude illud ferebat saeculum non in libris neque in tabulis, sed in animis hominum atque in usu perinde atque Licurgus apud Lacaedemonios quondam incidere. Hoc autem inde jam ab illis temporibus coeptum institutum Respublica perpetuo complexa est, ut etiamsi Palatini ea qua pollebant suprema auctoritate exuti sint, tamen magistratus et dignitas Palatinorum a vetustissima hac Reipublicae in provinciis partitione hucusque perduret, atque sit ornamentum longe amplissimum. Quorum numerus aucto provinciarum seu ut vocant Palatinatum numero crevit censenturque hodie 35 palatini.

Cracus legislator. Vime. Kudr. Ep. 4. Dlug. l. 1.

Jam Cracus qui sublato circa annum 700 Duodecemviratu delatum sibi principatum obtinuit, primus Poloniae legislator a Vincentio perantiquo scriptore appellatur utpote qui promulgavit leges, iudices constituit, decreta condidit, mandata edixit, quibus Poloni in posterum usi sunt. Sed horum ne vestigium quidem extat.

Legislatorem Cracum secuti principes ijs quae ab eodem fuere sancita facile contenti, patrijs institutis nihil adjecisse memorantur. Donec Zemovitus Piasii filius qui regnavit anno Salutis 861 quique primus in Polonia conditor auctorque militaris disciplinae et bellici magistratus audit, rem militarem, (cum solita apud veteres Sarmatas bellandi consuetudo hucusque obtinuerit) egregie ordinavit. Creato enim primum militiae principe, centuriones quinquagenarios Decuriones Tribunos Chiliarchos ordinum tam pedestrium quam equestrium ductores praefectosque constituit.

Zemoviti militares.

Dlug. lib. 1.

De legibus ab aetate Miecislai Regis, primi Christiani.

§ 2.

Miecislai religiosam leg.

Exorta vero huic regno circa annum 965 verae religionis luce disciplina quoque Reipublicae longe florentior esse coepit. Et si earum quoque legum et institutorum memoria potius, quam notitia ad nostram aetatem pervenerit, Miecislai certe (qui quasi quidam suae patriae Numa religionem Christianam remque ecclesiae aeternis legibus primus in Polonia communiavit) edicto regio, a magistratibus ubique in oppidis atque pagis vani priscae superstitionis

Crom. lib. 3.

ritus et caeremoniae abolitae proscriptaeque sunt; ille dioeceses distribuit etc. singulisque Episcopis attribuit, ijsque decimas omnis generis frugum de suis juxta ac nobilitatis plebisque agris edicto perpetuo adscripsit; ita quidem ut eae decimae post messem ab ipsis aratoribus ad constitutum locum conveherentur. Inde autem inferioris ordinis sacerdotibus et ministris ecclesiasticis in sua cuique dioecesi certae portiones Episcoporum jure sempiterno ab eo decisae et attributae sunt.

Miecislai quoque filius et successor Boleslaus primus, appellatus Chrobry, optimus principum, ad utilitatem Reipublicae leges salutare gratia humanae societatis descriptas condidit et edicto publico confirmavit. Quarum jam paucae atque fere isthaec memorantur. Ab hoc Rege statim initio descripta est equitibus polonis militandi ratio per regiones atque satrapias, quas nostri vulgo Palatinatus ac districtus vocant, ita ut ex praescripto certum numerum armatorum quilibet Palatinus editione sua ad expeditionem a rege indictam educeret. Oppidanis quoque pedites et currus ad numerum imperati sunt. Consiliarijs suis probantibus generalem edidit sanctionem, ut quilibet colonus mansum (jugerum) integrum colens, unam siliginis alteram avenae mensuram de purgato grano absque cunctatione persolvat, et in propinquiora regalia horrea deducat, in vestitum scilicet et victum militum eorum qui pro pace totius regni militabant. Hujus regis institutum est, equorum dispositio et subvectio oppidis injuncta per quam celerime si quid cognitu dignum aut necessarium unquam in regno extitisset regi nunciaretur, et rex vicissim quae vellet juberet. Caeterum hominibus ecclesiasticis omnium onerum, laborum et pensionum regi, et Reipublicae praestandarum immunitatem sempiterno jure concessit, denique ut tuta esset inter improbos innocentia edicta promulgavit in fures, praedones, raptores, concussores, calumniatores, sacrilegos, plagarios. Adeoque jure inter eos meretur censi principes, qui pulcherrimis legibus Rempublicam hanc exornarunt et jus patrium consolidarunt. Quanquam (ut quae de illis temporibus sententia fuerit Cromeri celeberrimi historiae polonae conditoris non praetermittamus) Simplicissimum tunc jus erat apud Polonos et non summo jure disceptabatur sed ex aequo et bono aut nonnunquam armis et singulari certamine dirimebantur privatorum controversiae. Pluris erat vir fortis quam disertus Causidicus, mentiri, fallere, calumniari, alienum appetere, iniquam litem alere, turpe et infame ducebatur. Hinc majus ac solum fere persistebat in hominibus illis laudis et bellicae rei studium.

Boleslai Chrobry constitutio. Dlug. lib. 2.

Crom. lib. 3.

Dlug. lib. 2.

Crom. lib. 3.

Dlug. lib. 2.

Dlug. lib. 3.

Vladislai lex sordida.

Crom. 4.

Jam ea, quam unquam juxta ac pessimam Vladislai Sputator tulisse memoratur, lex satis ostendit, quam turpe sit magistratum potestate qua pollet abuti: avaritiam cupiditatemque et quamcumque pravam animi affectionem malos esse consiliarios. Christina enim Henrici Imperatoris filia Vladislai uxor cum quaedam crudeliter, tum illud avare excogitavit, ut homines oppidani et rusticani statis et solemnibus ferijs honoraria quae-

dam munera nempe pullos, gallos gallinaceos, anseres, ova, mel, avenam, porcos, triticum, in celam principis inferrent: quod cum semel, iterum, ac tertium in gratiam principis non inviti fecissent, Vladislai lege ut id perpetuum deinceps esset sanxit.

Casimiri Justi praeclare Leges Long. lib. 6 Crom. lib. 6.

Casimirus autem agnomine Justus frater Vladislai eundemque quarto loco in principatu anno 1178, secutus quem latorem optimarum legum Longinus appellat, initio vectigalia, labores, caeteraque onera quibus instituendis miecislai offenderat sustulit, judicia correxit, magistratum licentiam coercuit, infinitamque potestatem circumscripsit. Extirpaturus quemdam barbarum morem qui longo usu inveteratus erat, has leges in Comitibus Lanciensibus cum Praesulibus proceribusque condidisse fertur. Nequis colonorum et agrestium annonam aut alias res vi aut alio modo auferat, vel auferri jubeat. Nequis legationis vel necessitatis publicae aut privatae occasione (praeterquam ad denunciandum hostium in patriam imminentem insultum) cuiusquam jumentum aut quadrupedem accipiat vel accipi jubeat. Nequis bona pontificum aut ecclesiasticarum personarum decedentium rapiat, occupet, et distrahat etiam si sit persona illustris et regali duicali aut quacunque alia praefulgeat dignitate. Quae leges quo majori religione obstringerent animos, nedum a principe proceribusque subscriptae, sed et a Praesulibus, Sanctissima auctoritate, (poena fulminis ecclesiastici violatoribus obnunciata) fultae, clare a Longino memorantur. Casimiri hujus longe plures alias fuisse sanctissimas salutaresque bello et pace leges, dilucide liquet e verbis alterius Casimiri Magni Regis Poloniae, cujus fere primae leges Visliciae scriptae in hoc legum volumine primo loco ponuntur, ubi ita in sua praefatione Sanctiones Casimiri sui antecessoris commendat: accuratissima illa invictissimi Casimiri syntagmata et ordinationes efficacissimae, quibus Romanorum exemplo res suas subditorumque honestis moribus illustrare voluit legitimisque juris muneribus et belli juribus munire. Sed haec saluberrima Casimiri Justi instituta vel deperierunt vel quod facilius crediderim a Casimiro Magno Visliciensibus legibus inserta sunt.

Dlug. lib. 6.

Dlug. lib. 6.

Dlug. lib. 2.

Crom. lib. 3.

Folio 1.

Henrici Probi.

Crom. lib. 8.

Boleslai Pudici.

Ultimus fere qui ante Casimirum Magnum conditarum legum gloria commandatur, fuisse videtur Henricus Probus Poloniae Princeps qui, recte utiliterque multa de consilij sententia constituit, leges quasdam improbas et pestilentes quae auxiliares virginales et viduales dicebantur sustulit, meliores nonnullas sanxit, ecclesiarum immunitates confirmavit, in maleficos et calumniatores severe animadvertit. Nulla tamen harum utilium legum extant monumenta.

Quanquam adhuc Cromerus et Boleslai Pudici meminerit, quod ille civitatem Cracoviensem jure Saxonico sive Magdeburgensi, quod teutonicum vocant (quo pleraque oppida vici et pagi utuntur in Polonia) stabiliverit, Episcopum Cracoviensem jure duicali esse in suis bonis jusserit etc. Habet et Dlugossius Vladislai Locticum ge-

neralem omnium terrarum conventum celebrasse et Praelatorum Baronumque usum consilio certarum ordinationes et edicta fecisse. Memorantur et aliorum principum instituta quaedam, quae Privilegia potius quam leges dixeris.

Post Lechum proinde primum imperij conditorem ad tempora Casimiri Magni, qui legibus quales illa aetate condi potuere patriam illustraverant, celebriores hi nimirum commendantur: Cracus, Zemovitus, Miecislai primus Christianus princeps, Boleslaus Chrobry primus Poloniae Rex, Casimirus Justus, Henricus Probus et Vladislai Locticus. Quorum principum leges non paucas easque saluberrimas fuisse, non tam vero omnes interijsse, quam earum complures a Casimiro Magno eique succedentibus regibus istis ipsis quas deinceps tulere, quaeque hodie dum extant legibus permixtas fuisse, atque ut assolet innovatas, credibile est: nam et ipse Casimirus Magnus qui ab alijs primus scriptas leges tulisse nulla solida ratione asseritur, (cum id vel ipsius Casimiri Justi legibus, ac de iisdem testimonio Casimiri Magni superius posito satis refutetur) ab alijs longe melius veteres leges emendasse, collegisse, novisque auxisse memoratur.

Dlug. lib. 9 Vladislai Loctici.

De binis legibus scriptis longe ante Casimirum Magnum, quae hodieque extant.

§ 3.

Tametsi ex adductis historiae monumentis satis constet, leges scriptas in usu fuisse ante aetatem Casimiri Magni, nihilominus in fonte (quod ajunt) nullae extant antiquiores ijs quas Casimirus Magnus Rex condidit. Dicendum tamen est aliquid de duabus vetustissimis legibus, quarum una circa annum circiter 1000, vel paulo post, altera anno 1264, perlatae fuerunt, scriptaeque regni repertae sunt. Joannes enim Taski Cancellarius deinde Primas Poloniae, vir longe doctissimus, et in patrio jure versatissimus, qui ut dictum est primus anno 1505 omnium priorum regum leges in unum collegit librum, atque hoc nomine optime de Republica meruit, asserit testaturque rem profecto notatu dignam. Nam Cracoviae in aerario regni (ubi cum pretiosarum rerum supellectili vetustissimorum omnium scriptorum monumenta quae rempublicam concernunt asservantur) cum veteres codices diligenter excussisset, investigando antiquiores aliquas Casimiri Magni temporibus leges, primam pientissimamque Divi Adalberti Archiepiscopi Gnesnensis (qui ante Casimirum Magnum annis fere 400 obiit) sanctionem scriptam reperit totiusque Poloniae approbatione stabilitam, qua lege praescribatur polonae militiae ut religiosam admodum Cantilenam quae incipit *Boga Rodzica Dziewica*, in laudem Christi Dei, Divinaeque Matris, pio simplicique stylo confectam, ante omne praelium decantaret. Cujus viri gravissimi hac de lege ab illo visa visa testimonium apponemus mox post praefa-

Crom. lib. 3 Des. Pol.

Prima quae extat lex de cantijena Bogardzica

tionem, ipsamque cantilenam cunctis alijs legibus scriptis tempore longe posterioribus praemittimus: secuti in hoc Statutum ejusdem Łaski confirmatum ab Alexandro rege, qui non alia ratione primo ante omnes leges loco hoc canticum posuit, nisi quod de eo ante bella cantando inter omnes leges scriptas primam hanc ut ait ipsemet *Divinamque sanctionem regibus et universis regni proceribus approbantibus editam legit.* Fausto profecto omine Reipublicae huic, inter cujus scriptas leges prima haec *Divinae sanctio* literis consignata reperta sit adhuc Łaskij temporibus. Una illa superavit omnem temporum injuriam. Auspicato sane, fore nimirum, ut regnum hoc vera erga Christum Deiparamque religione aeternum floreat, quod inter scriptas antiquitus relictasque a majoribus leges hanc primam novit, Christo ut Deo Deique Parenti religiosas nuncupet laudes.

Altera lex seu potius privilegium anno 1264 judaeis a Boleslao Calissiensi duce collatum hodieque extat, nosque illud inseruimus folio 309. Quamvis autem in hoc toto qui in lucem prodit veterum legum libro principum annorumque ordo quoad fieri potuit observatus sit, tamen antiquissima haec rerum judaicarum ordinatio primo loco non est posita, tum quod a gentis tam perfidae disciplina tantum opus ordiri indecens videbatur: tum quod Boleslaus author hujus edicti nullo modo inter reges principesque Poloniae locum habeat, cum fuerit dux tantummodo Calissiensis, cujus juri una duntaxat suberat provincia: unde haec ejus sanctio lex publica Poloniae dici nullomodo potuit tunc, cum fuerat ab eo lata, sed tum primum confirmata fuit a Casimiro Magno anno 1344, quam nos tamen more solito eo anno quo de novo innovata fuit ab Alexandro rege nimirum 1505 posuimus.

Post annum 1347, multas perijisse leges. Municipales referuntur scriptoresque de legibus.

§ 4.

Jam praeter has geminas leges de quibus mox egimus, quod scientissimus patriarum legum Łaski aperit non reperisse se quidquam aliud publicitus constitutum, idem omnino fatendum est, antiquiores alias (si historicorum monumenta exceperis) legibus anni 1347 non extare. Post quem annum ad nostra tempora utrum etiam aliquae constitutiones interierint? et permultae quidem. Ut si legem anni 1435 Visliciae in Comitijis maximo motu perlatam de ordine servando in promovendis gradu propioribus ad dignitates quaesiveris, praeter quam in historia eam non repereris. Aliud quoque (inquit Cromerus) equitum minoris Poloniae intestinum inter ipsos dissidium mortuo Spilkone Palatino Sandomiriensi de conferendis honoribus in conventu Vislicensi diversis partium studiis excitatum, sedatum est, cum esset constitutum, ut vacantes honores ijs qui essent gradu proximi conferrentur, Itaque Joannes

Czyzovius qui Castellanus Sandomiriensis erat, Palatinus factus est, in ejus vero locum Castellanus Lublinensis suffectus, et sic alij deinceps successerunt. Sed cum nimis longum hoc loco esset enumerare omnia quae ex tanta legum copia vel periere, vel alicubi apud homines privatos latitant, ne verbis lectori eadem legendi fastidium afferetur, horum quae suis annis desunt notitiam opportune reiecit ad summarium omnium a condita Republ. usque ad nostra tempora Comitiorum, quod jam quidem elaboratum alteri legum tomo praemittimus.

Quandoquidem autem omnes ante Casimirum Magnum, post illum pleraque leges deperditae sunt: restat ut qui auctores, haec quibus utimur conservarint, notemus. Illi qui constitutiones integras ita ut erant primum perlatae collegerunt, sunt: Joannes Łaski Cancellarius et postea Archiepisc. Gnesnen: ab anno 1347 ad annum 1505. Andreas Petricovius ab anno 1550 ad annum 1625. Jam post hunc annum ad hodiernum diem omnium Comitiorum constitutiones seorsum editae sunt, nec simul unquam typis prodire. Illi vero scriptores qui ad sua tempora in diversos locos digessere leges diversis temporibus latas, (plures de quavis re hinc inde excerpto,) sunt: Joannes Przyłuscius qui ad annum 1553; Herburtus qui ordinem alphabeti in titulis sequutus ad annum 1596 in latina, ad annum 1570 in polonica editione, id praestitere. Janussovius qui utroque longe exactius id perfecit ad annum 1600 ubi regia, ecclesiastica, senatoria, militaria et provincialia jura egregie divisit luculenterque prosecutus est. Quo in genere superavit Stanislaum quoque Sarniecium, qui jam anno 1594 satis laudabiliter idem institutum executus est. Jam Pauli Szczerbicis Promptuarium statutorum anno 1604 Theodori Zawadzki Compendium constitutionum anno 1613 Augustini Kołudzki Promptuarium legum anno 1697 editum fere eadem ratione digestas leges brevius exhibent. Utilissimam vero rem agressi Albertus Madalinski impressus a. 1644, Martianus Ładowski anno 1785 brevem at satis copiosum indicem ordine alphabeti confecerunt. Expectatur jam absolutissimum Kożuchowscij opus, qui ad nostra tempora simile institutum prosequitur, suppletque ea quae in alijs desiderantur.

Praeter communes autem totius Reipubl. leges, extant et aliae quaedam municipales, seu propriae quibusdam provincijs: statutum Lithvanicum a Sigismundo Augusto, qui illud anno 1530 colligi jusserat confirmatum. Quod post complures varijs temporibus factas correctiones anno 1648 typis vulgatum est. Masoviae, Volhyniae, Braclaviae, provinciarum statuta diversis temporibus condita supersunt, ex quibus excerpta pleraque instituta his legum libris inserta sunt ut suis videbitur locis; est praeterea jus terrestre Nobilitatis prussicae correctum, anno 1598 in Comitijis regni confirmatum unaque cum

Qui collegerrunt leges de eisque tractarunt.

Sola principum auctoritate olim conditae leges.

Jura municipalia.

juribus fundamentalibus Prussiae ultimum anno 1728 typis impressum.

Haec jam sunt quae de legibus scriptis ante et post tempora Casimiri Magni notanda videbantur.

Jam quemadmodum clarissimi, qui pertractarunt de romanis legibus, scriptores solent, antequam ipsas exponant leges, quatuor haec studiose perquirere: primum *cujus magistratus propria sit auctoritas legum condendarum?* alterum *quomodo leges perferrentur?* tertium *quomodo promulgarentur, seu qua ratione ad absentium omnium et posterorum notitiam mandarentur?* postremum denique *quae vis esset perlatae legis?* ita et nobis haec capita brevissime absolvenda sunt. Et primum quidem perquirendum est:

Quis in Polonia magistratus, legum, quae universos cives obligent statuendarum, potestate sit aut fuerit praeditus.

§ 5.

Principio Regni hujus et longo deinceps tempore praestantissimum hoc jus Majestatis condendi praescribendique leges principibus et regibus integrum mansit: quod tamen semel post Lechi posteritatem, iterumque post Craci stirpem extinctam in duodecim Optimates seu Palatinos cum caeteris supremas potestatis iuribus translatum fuit. Principes autem suo quidem ex arbitrio cuncta sanxisse, tamen et consilio sapientum usos semper fuisse, nullus est dubitandi locus. Sed credibile est, Consiliarios ea tempestate illustrandis tantummodo digerendisque, non sancendis legibus fuisse adhibitos. Praeterea pendebat a placito principis, sibi quos vellet ad Consilia legere, numerumque eorum, qui ferme duodenarium, ut tempore Boleslai primi, non excedebant, definire. principis ergo illa tempestate erat jubere leges; illorum vero intererat providere, ut salutare Reipublicae essent. Paulatim vero deinceps idque a senis jam saeculis partem etiam in jubendis legibus habere coeperunt cives. Quae potestas non subito maxima, sed gradibus crevit: quam potissimum ab anno 1140 exsplenduisse, majoribusque semper ampliata in crementis mox ostendemus.

Id quod vero hic ante omnia sedulo animadvertendum nobis est: nimirum quod in hos legum libros a regibus et Republica non solae insertae sint leges, quarum propria vis est jubere quae a cunctis observari, prohibere quae vitari debeant, sed etiam omnia jura, Majestatis privilegia, foedera, ordinationes tributorum, conditiones victarum, emptarum, aut sponte accedentium provinciarum, electiones regum, et alia id genus publica Regni negotia, quae simul hic leguntur congesta. De his enim omnibus quidquid publice constitutum est, lex etiam appellari potest, seu exactius constitutio. Si enim inter legem et constitutionem (praesertim ut in jure patrio haec accipi solent) discrimen volueris: legem proprie appellamus illam: quae praescribit

quid cuique agendum devitandumque sit: constitutio- Quid discriminis inter legem et constitutionem? nem vero: quae definit omnia negotia Reipublicam aut partes illius concernentia. Caeterum inter legem et constitutionem sive statuta, non est alia differentia, cum omnia haec sint *jussio perlata et promulgata ab habente legitimam auctoritatem, cui universos cives obedire oportet.*

Unde constituere seu lege decernere sive de moribus, sive de omnibus negotijs publicis illius partes sunt propriae, cujus est circa eadem potestas summa. Jam ordines Reipublicae potestatem hanc nec simul totam, nec uno tempore acquisiverunt circa disponenda publica patriae negotia, sed per partes diversisque tempestatibus: prout varia jura Majestatis nunc ab hoc nunc ab alio rege sensim communicabantur Reipublicae. Unde Poloni antiquitus de alijs Reipublicae negotijs cum principe statuendi jure gaudebant, et eodem adhuc carebant jure, decernendi de alijs rebus ad Reipublicam spectantibus. Nos alibi diffusius ostensuri sumus, quo tempore, et qua ratione singula jura Majestatis, cum libera summorum in Republica negotiorum providentia, ordinibus Regni collata sint: nunc id tantum demonstrare conabimur; Polonos a senis amplius saeculis jus habuisse constituendi cum principe de nonnullis negotijs universam Reipublicam concernentibus, et condendi leges pro meliori Reipublicae administratione.

Ad sancendas leges cum principe cives concurrere possunt vel consilio, vel suffragio. Si solo valeant consilio? nullam profecto ijs potestatem inesse fatendum est: si suffragio, voluntate, consensuque ad leges concurrant jubendas? nemo ijs potestatis partem prudenter negaverit. Jam constanter asserendum est, Polonos in condendis legibus definiendisque negotijs publicis saltem a morte Boleslai Crivousti nedum consilio, sed et suffragio omnino valuisse, vimque et potestatem amplam his in rebus obtinuisse. Contra quam senserint quidam germanici scriptores, qui potestatem sancienti leges, et auctoritatem definiendi ea quae ad publica negotia regni spectant a Casimiro Jagellonida primum ordinibus collatam fuisse voluerunt.

Jam ut dilucide constet, in jubendis legibus definiendisque nonnullis rebus maximis ad Reipublicam spectantibus, suffragium et potestatem habuisse Polonos, jam inde a temporibus Boleslai Crivousti nunquam intermissam, solida id ratione monumentisque historicis, et ipsarummet harum legum luce evincemus. In primis enim manifestum est, illum suam cum principe habere auctoritatem in sanciendo decidendoque de re aliqua summa, sine cujus nedum consilio, sed et deliberatione, consensu, voluntate, lex aut constitutio non perfertur. Jam si clarissime ita fuisse constiterit, leges nimirum et constitutiones de plerisque negotijs publicis antiquitus a morte Boleslai Crivousti non fuisse perlatae a principibus, non praemissa communi deliberatione, non habito praevio consensu, non cognita

Poloni a senis saeculis

Suffragium et potestatem in constituendo de Rep. habuerunt.

Łaski in praef.

Ordinatio rerum judaicarum anno 1264.

Łaski in praef.

Crom. I. 21.

voluntate Polonorum, cui jam dubio relinquetur locus vetustissimum esse jus istud Polonis?

Investiganti itaque cuivis in veteri rerum nostrarum historia, quandonam primum constet communi deliberatione et voluntate statuisse Polonos de Republica? Occurent quidem ab ipsis incunabilis regni liberrimae semper electiones principum, (de quibus nos proximo tomo discursum clarissimamque testimonia lucem praemittemus, ostensuri dilucide libere semper Polonis electos fuisse reges) tamen his ipsis principibus olim cum principatu oblato simul plenissima et absoluta offerebatur potestas, omnia dum viverent ad libitum disponendi sancientique. Praeter solam successoris designationem, quam quoties desiderare principes, nunquam sine consensu et voluntate civium assecuti sunt. Ut constat ex Cromero et Dlugosso, in Popiolo, in Boleslao Chrobry, aliisque; nobisque hac de re amplior erit alibi dicendi locus. Primis igitur temporibus licet post mortem duntaxat eujuslibet principis Polonis de Republica deliberare, principemque quem liberet constituere solenne erat, tamen constituto jam principe, jus cuncta statuendi pro arbitrio ad illius devolvebatur potestatem. Hic vero nobis perquirendum est tempus illud, a quo Poloni sine juris intermissione jam non in solo electionum negotio, sed in caeteris quoque de Republica consultationibus ita affuerunt, ut deinceps in alijs etiam regni negotijs definiendis legibusque sancientis, eorum sententiae et consensio existimaretur deveniretque tandem necessaria. Primum et omnino illustre rei hujus exemplum historiae memorant post obitum Boleslai Crivousti, qui obiit anno 1139. Id quod altius repetendum est.

Quid Comitij Cracoviensibus post mortem Boleslai Crivousti ordinum deliberatione et consensu primum constitutum sit, anno 1140.

§. 6.

Boleslaus Crivoustus optime toto imperij tempore de Repub. meritis, jam morti vicinus, frequentem ad se Praelatorum et Baronum convocatum ordinem, rogatque ut se mortuo unionem retineant et consensum, ne e discordia, Repub. subsequatur interitus et ruina. Metu vero ne inter suos quinque filios fatalia post suum decessum orirentur dissidia, cum quilibet adipisci regnum conaretur, aliquot Poloniae totius provincias cuilibet designavit, limitesque ditionis singulis definivit, fratribus minoribus majori natu parere jussis. Praesentes frequentissimi proceres ad haec jam morituri optimi regis consilia quamquam Reipubl. non proficua, adeo sua deferre studia visi sunt, ut etiam pro quinto filio Casimiro videlicet Justo cujus pater in distributione provinciarum videbatur oblitus, aliquam designari Poloniae partem ipsimet postularint. Haec sane provinciae obtigere ejus filijs, uti earum partitio ante ipsam mortem fuit a patre proposita et proceribus commendata, ut in ea

amplectenda concordessent unionemque retinerent. Qua in re cum solam voluntatem patris adimpletam respiciant quidam germanici scriptores, haereditatis jus illis principibus hoc exemplo stabilitum asserunt. Sed videant quae, quid mox post mortem Boleslai Comitij Cracoviensibus actum sit. Nos licet hoc loco aliud persequamur propositum, ostensuri nempe tunc primum communi deliberatione sententijque Polonorum de summis Reipubl. negotijs constitutum fuisse, tamen cum res ipsa se offerat ac exigere videatur, inquiremus prius nonnihil, an haec designatio principis divisioque provinciarum a Boleslao ante obitum facta libertatem tum de rebus suis statuendi, quid vellent, Polonis eripuerit? Qui ita sentiunt, exaggerant magnopere imprimis verba Joannis Dlugossi seu Longini celeberrimi historiae scriptoris, cujus integrae fidei exactaeque diligentiae plurimum tribuunt. Ne (inquit) Boleslao absumpto inter filios pro regno bella, odia aut contentiones contingerent, Poloniae regnum, cujus ipse in eum diem unus fuit princeps et monarcha, inter filios divisit. Et primogenito quidem Cracoviensem Syradiensem etc. terras legat: decernens ut circa eum primogeniturae jure superioritas et principandi autoritas consistat, omnibus alijs fratribus sibi parere et intendere jussis. Clariora sunt Dlugossi verba haec et his similia, quam ut ea explicari oporteat; sed nos quoque verbis ipsiusmet Dlugossi utemur, quibus sententia auctoris clarius elucescet, et reipsa ostendetur partitionem hanc Poloniae a Boleslao destinatum, acceptamque, Polonos tandem obligasse, curam ut deinceps ipsimet de sua patria solertiore assumerent (quam hucusque fere integram solis confidebant principibus) constituerentque communi omnium deliberatione, quod illis tunc magis e Republica visum esset. Audiendus est jam ipse Dlugossus: *Lugubris, inquit, Boleslai ducis e vita excessus diu Polonos, ne ad substituendum alterum ducem et ad providendum de Reipublicae forma, ordine statuque procederent, tenuit. Polonos igitur e sententia Dlugossi ad substituendum alterum principem providendumque de forma Reipublicae procedere oportebat? sed non ne jam, ut superius dixit, Boleslaus regnum divisit, provincias legavit? quid ergo necesse erat post Boleslai obitum cogitare de substituendo duce, providere de Reipubl. forma, quando et ducem majorem natu, et formam dividendae in quatuor partes Poloniae jam Boleslaus praescripserat? haec ut secum cohaerent fateri oportet Boleslao ante ipsam mortem destinasse quidquid libuit, Polonos autem ejus morte liberos sibi relictos, jure suo procedere potuisse et debuisse ad substituendum, alterum quemcunque ducem, et ad dandam quae videretur Reipublicae formam. Aliter sibi ipsi non cohaereret Dlugossus, et qui illo priores aut posteriores sunt authores historiae. Ita autem, Dlugossus prosequitur: *Postquam deinde rerum publicarum vacillatio principibus diversa sententibus diversaque jubentibus oriri coepit; et prin-**

Dlug. lib. 4.

Destinata a Boleslao divisio Poloniae, causa fuit, cur primum tunc Poloni de rebus suis consularint et statuerint.

Dlug. lib. 5.

Designatio a Boleslao facta sine consensu Polonis invalida.

Constitutio primum auctoritate Ordinum Comitij facta.

Cur Poloni approbarent divisionem Poloniae?

Crom. lib. 6.

cipes quatuor filij Boleslai, juxta paternam ordinationem ad ducatus et terras eis designatas se admitti flagitarent; fit apud Cracoviam generalis omnium terrarum Conventus. Admitti se flagitabant omnes quatuor principes (quintus enim minorensis erat) ad terras juxta ordinationem paternam distributas? non sufficiebat igitur quod illis pater eas terras incuriose legasse dicitur; necesse erat generalia omnium terrarum, comitia convocari, ut flagitantium votis satis fieret. Ubi post varios tractatus et deliberationes (Dlugossus narrationem continuat, quidque ab universis Polonis constitutum sit ijs Comitij refert:) primo Major Vladislaus patri in monarcham omnium Praelatorum, et Baronum assensu et ordinatione successurus decernitur. Secundo ut circa ipsum superioritas remaneat statuitur. Tertio, ipse quoque caeteris fratribus videlicet Boleslao, Miecislao, Henrico, imperitet. Quarto, bella conformiter et ex aequo gerant, sed assumendi ea circa Vladislaum autoritas consistat, caeteris non inferendi sed repellendi potestas permissa. Quinto, apud Vladislaum quoque Casimirus quintus dux infans relictus est, sibique illius cura tam a caeteris fratribus quam a Poloniae Satrapis et Consiliarijs mandata. Cunctis taliter ordinatis, tribus principibus, Boleslao Masoviam, Miecislao Posnaniam, Henrico Sandomiriam, secedentibus; Vladislaus Dux et Monarcha Cracoviae relictus est. Illustrior est haec quoque Dlugossi sententia quam ut explicari indigeat. Nam ea quae patrem ante mortem decrevisse obiter dixerat: nunc in communi coetu omnium Praelatorum Baronumque assensu et ordinatione decerni, statui, permitti, mandari, testatur. Quod cum re ipsa non aliter factum sit, illa quae ante mortem Boleslai exposuit, non sunt nisi destinata rogata et commendata a principe, haec autem quae comitij acta esse post mortem retulit, sunt sancita et decreta ab ordinibus.

Jam si forte quaesieris, cur autem Poloni destinata a Boleslao inter filios, Poloniae divisionem adeo Reipublicae perniciosam confirmarint? cur aliter longe vero salubrius, siquidem ipsis id liberum erat, non constituerint? Rerum ita ut erant a Boleslao propositae confirmatarum prima causa fuit: amor et benevolentia Polonorum erga Boleslaum optimum principem ejusque filios. Altera causa, ab antiquioribus praepjudiciis exemplisque, quod Poloni aliquot jam ante principibus simile quid non gravatim permiserint, consensuque suo approbarent. Tertia denique, quod id non ita illa tempestate periculosum Reipubl. videretur, si uni delato principatu, caeteris fratribus provinciae jure feudi cum recognitione supremi dominij concederentur, quam si inter fratres exorirentur odia, publicam belli calamitatem tractura. Sed Cromerus gravissimus scriptor verissime in potentes factiones et studia principum denique in penuriam rectoris consilij id refundere non dubitat: *Conventu, inquit, apud Cracoviam instituto, cum flagitatio fratrum, studia atque factiones comparatae ad unum deferri universam rerum sum-*

mam non paterentur, nec rectius quidquam cuiquam in mentem veniret, necessario Boleslai constitutio approbatur, necessitate nimirum cogente, cum aliud consilium divisio in partes omnium studij non occurreret; quod alioquin quam libere factum approbatumque sit, clarius desiderari nequit documentum, quam quod hoc ipso Vladislae (qui voluntatem patris approbantibus Ordinibus, supremus Poloniae princeps creatus erat, ob male administratam Rempublicam) exacto cum uxore et liberis, concordia fratrum juxta ac procerum Nobilitatisque sententia ad Boleslaum Principatus et summa rerum delata est. Post cujus obitum Boleslai obitum Conventus Cracoviae fratribus ejus et a Vladislai filijs proceribusque cunctis de creando novo principe constituitur; et quanquam omnes ejus orae, quae minor Polonia dicitur, procerum et equitum studia in Casimirum inclinabant; vicit tamen major pars, quae Miecislau qui majori Poloniae praerat, utpote natu majorem nequam praetereundum esse censebat. Crom: lib. 6. Tamen hic ipse Miecislau, quem deinde praefracte et impotenter dominantem, amovendum esse principatu Polonia censuit, principatu dejectus est, Casimirusque princeps Poloniae concordia voto renuntiatus.

Si sola jam patris horum principum Boleslai Crivousti voluntas designatioque principis et partitio provinciarum ante mortem facta tanti ponderis fuisset, ut contra eam nihil fieri fas esset, si jure quoque haereditario regni successio majori natu debebatur, Vladislaus ad principatum a patre designatus, et Miecislau, ambo majores natu illo spoliari potuissent? spoliati sunt: Boleslao et Casimiro Justo minoribus natu, dum seniores viverent, regnum conferri potuisset? collatum est: cum successio descendat non ascendat, filij Vladislai maximi natu, quique primus ex Fratribus imperavit, excludi, ad patruos regnum deferri potuisset? exclusis illis ad hos delatum est.

Adeoque jam luce clarius liquet, ex his quae antecesserunt, et quae mortem Crivousti consecuta sunt, principem decrevisse, divisisse, legasse, prout illi collibuit, et quemadmodum optavit; Rempublicam deinde ejus voluntatem approbasse, cummutasse, statuisset, prout sibi expedire videbatur. Et ita omnia ut ait Cromerus cessisse patris voluntate cunctaque Poloniae consensu.

A Comitij Cracovien: Anni 1140 ad Casimirum Magnum, ostenditur ad condendas leges et ad constituendum aliquid de Republica, necessariam fuisse auctoritatem consensumque Ordinum.

§ 7.

Jam ut unde digressi sumus ad propositum redeamus. Constat quidem ex principibus polonae historiae, Longino, Cromero, aliisque, unum fere et viginti generalia Regni Comitia, seu Conventus Ordinum celebratos fuisse usque ad annum 1140 non quod revera plures celebrati non fuerint; sed quod vix horum, memoria e

Vladislaus quia patre destinatus erat princeps Poloniae principatu perit Crom. in Bol.

Majores natu fratres, et Vladislai filius principatu exclusi.

Lib. 6.

Sine intermissione Juris.

Primum id liquet a morte Boleslai Crivousti.

Dlug. lib. 4. Boleslai acta ante mortem.

veterum extet monumentis; ut id melius suo loco elucidabitur, cum summarium Comitiorum omnium ab initio regni Poloniae ad nostra tempora jam confectum in lucem dabimus. Sed omnia illa ad annum 1140 Comitiam solius gratia electionis vel designationis vel coronationis principum fuisse convocata videntur, nec praeterea aliud ijs actum memoratur, quam de principatu alicui conferendo. Unde electiones quidem principum ut alibi ostendemus liberas jam tum semper fuisse constat: sed utrum ad consultationes quoque communes de caeteris maximis rebus accesserint Ordines, idque cum autoritate de ijs cum principe sua quoque sententia aliquid statuendi? Primum quod sciam in amplissimis probatissimisque poloniae historiae scriptoribus exemplum rei istius legitur in his Comitijis anni 1140 post obitum Boleslai Crivousti celebratis, quorum rationem et acta jam exposuimus. In ijs enim primum, post varias deliberationes Reipubl: omnium Praelatorum et Baronum assensu ordinatione decretae sancitaeque quinque illae constitutiones leguntur: de principatu Vladislai, de suprema autoritate super caeteros fratres, de belli administrandi rationibus, et de tutela Casimiri Justi principis. Adeoque cum non satis liquido constet an ante Cracoviensia haec Comitiam Ordines Poloniae praeter electiones principum aliquid aliud de Reipubl: sua sententia constituerint, certe jam hac necessitate compulsi, ut et patriae et quatuor principum admitti se ad provincias a patre destinatas flagitantium rebus consulerent, ubi Cracoviam frequentissimi convenerunt, hoc vel primum, vel longe pulcherrimum posteris reliquerunt praedictum et autoritatis in definiendo publica patriae negotia, illustre exemplum.

Ab hoc enim tempore stante vita principum frequentiora jam sequuntur Comitiam aut Senatus Consilia, cum ad Boleslai Crivousti obitum aliorum fere generalium Conventuum non extet memoria, praeterquam eorum qui post mortem principum, principis creandi ergo convocabantur. Et ut paucis dicam, ab hoc tempore, ubi de maximis Reipubl. negotijs sanciendo fuit, non jam a solo principe sed a Proceribus quoque et Nobilitate sanciri oportuit. Sane ex re recenter praedicta Vladislaus ipse cum caeteros fratres provinciis exuere moliretur, atque ad se totum principatum pertrahere conaretur, Senatus convocatus, queritur pernitiosam et exitialem eam partitionem Reipublicae, quocirca vellent, juberent, penes unum se, quem primogeniti praerogativa caeteris fratribus praetulisset, vere esse regnum attributurum se fratribus definitos e fisco redditus etc. Deinde sententias rogati Senatores omnes paucis exceptis crudele consilium principis detestari, orare, monere, ne patris voluntatem irritam faciat, ne universae Poloniae consensum aspernetur. Et Boleslaus Crispus qui Vladislao fratri exturbato, concordii fratrum Procerum ac Nobilitatis sententia suffectus erat, sub finem anni 1167 edixit Comitiam Cracoviam cum alijs de re-

bus tum de Sandomiriensi dominatu, Henrico sine liberis extincto, quid fieri oporteret. Post longam consultationem placuit, ut Casimiro minimo de filijs Boleslai Crivousti principatus ille mandaretur. Et hic ipse Casimirus Justus fratrum ultimus pulso autoritate Procerum Miecislao Seni fratri suo in principatu suffectus, cum fratris fortuna et calamitate graviter afficeretur: de revocando Miecislao, et ad dominatum suum restituendo ad Senatum refert graviter, Senatus et non obscuro murmure eam orationem principis excipit, objurgatque principem quod privatum officium publicae tranquillitati anteferet. Leges quoque pernecessarias utilissimasque Reipublicae laturus idem Casimirus Magnum Conventum Lenciciam indicit, quantisque regnum affligeretur incommodis in ducum, Episcoporum et militarium frequenti multitudine edicit. Aderant Praesules octo, Baronum quoque militarium multitudo copiosa, quorum frequentes sententiae abolendas consuetudines iniquas decernebant, cum vero perlatae essent quas superius retulimus Constitutiones, in scriptum reductae et ducis Casimiri, Pontificum, Principum et Baronum sigillis munitae sunt. Certe mos iste proceribus antiquissimus constitutiones una cum principe subscribendi, suisque illas sigillis muniendi, satis illustre documentum est autoritatis in sancienda lege. Apponere enim suum nomen, suum stemma, atque ita jussa firmare cum principe, est etiam jubere cum principe. Quid plura? post decessum omnium Boleslai Crivousti filiorum Vladislai nimirum, Boleslai Crispi, Miecislai senis et Casimiri Justi Poloniae principum, quorum tempore ut jam satis probavimus vel coepit vel maxime confirmata est Ordinibus potestas cum principe condendi leges, deliberandi et sententia communi constituendi de plerisque maximis Reipubl: negotijs: jam certe nullus est subsequendum principum regumque qui huic autoritati derogarit, et non potius eam constabiliverit auxeritque. Cujus rei licet jam plurima suppetant documenta quae nimis longum esset enumerare, tamen ut id firmiter comprobetur uno alterove exemplo facile supersedebimus. Lescus Albus Casimiri Justi filius Masoviam et Cujaviam de Consilij Conventusque sententia Conrado fratri minori concessit Comitijis eam potissimum ob rem Sandomiriae habitis. Henricus Barbatus princeps habito Cracoviae cum communi Episcoporum et Baronum consilio ex eorum sententia Reipubl: provide ordinavit, leges instituit.

Jam illud omnino illustrius est alijs ejusmodi monumentis quod cum jam inde a Boleslao Audace parricida Divi Stanislai principes fere undecim regio titulo abstinerent, ducumque duntaxat insignibus uterentur, Premislai ducis simulque Poloniae Ordinum autoritate et lege regis nomen et dignitas restituta, et principatus iterum in regnum erectus sit Comitijis Gnesnensibus anni 1295 ubi universorum Praelatorum et Baronum Poloniae concordii voto, deliberatione, et pari consensu, regium diadema decretum est Premislao. Qui honor Vladislao Loctico eadem Ordinum autoritate et constitutione abrogatus

Crom. lib. 6.

Dlug. lib. 6.

Mos subserendi et sigillis muniendi constitutiones.

Crom. lib. 4.

Ib. et Dlug. lib. 6.

Autoritate Ordinum principatus in regnum mutatur.

Dlug. lib. 7.

Dlug. lib. 9. fuit. Praelati enim et Barones omnium terrarum Comitiam apud Posnaniam egerunt, ubi postquam gravamina per Vladislaum illata recensita sunt, abrogandum et finiendum ejus regimen tanquam inutile universali sententia omnes decernunt: decreto nullo discrepante condito, et ab universis approbato et laudato.

Is vero ipse Vladislaus post mortem Venceslai regis ad regnum denuo revocatus praeter alia apud Chentios anno millesimo trecentesimo trigesimo primo Comitiam habuit. In ijs cum alia nonnulla de Reipubl: salubriter constituit, tum quod vires suas laboribus et adversis rebus attritas considerabat, Casimirus filium unum et viginti annos natum de amplissimi Consilij sententia Majori Poloniae toti praefecit.

Sub Casimiro quoque Magno Loctici filio eadem Ordinum autoritas maxima in definiendis sancendisque Reipubl: negotijs egregie eluxit, cum Casimirus regni sui generalem Conventum egit, deliberaturus an ad ea quae magister et ordo Cruciferorum super terrarum Pomeraniae Chelmensis et Michaloviensis renuntiatione et titulo a rege expetijt, annuendum ne vel quid facto opus foret? in deliberationem autem re producta omnium Praelatorum et Baronum vota sententiaeque evidentissimis rationibus concludebant NULLATENUS Cruciferorum petitioni DECISIONEM REGUM EXCEDENTI ASSENTIENDUM, negabantque SE ULLO PACTO IN

CONDITIONES IPSAS CONSENSUROS. Legant haec quaeso, qui eo quod nimis fortunam Poloniae intueantur, autoritatem Ordinum in decidendo summa quaevis Reipubl: negotia proximis natam saeculis comminiscuntur, legant haec inquam quae hucusque integra fide attulimus, fateanturque jam ante Casimiri Magni tempora fuisse negotia publica quae decisionem regum excederent, assensumque Ordinum ad aliquid lege definiendum adeo fuisse necessarium.

A Casimiro Magno, et sub Jagellonum regimine ostenditur eadem autoritas Ordinum, quae hucusque viget.

§ 8.

Hactenus itaque ostendimus ab obitu Boleslai Crivousti seu ab anno 1140 praeter autoritatem principis, communi deliberatione, sententia et consensu Ordinum leges condi, constitutiones de plerisque regni negotijs sanciri sine intermissione juris solitas fuisse: idque ex historicis deduximus monumentis. Jam a temporibus Casimiri Magni (a quo primum leges scriptae extant) id ipsum cum in hoc tum in caeteris harum Poloniae legum voluminibus dilucide patebit. Nam ut Casimirus Magnus in Visliciensibus comitijis anno 1347 celebratis fol: 2 ante suas egregias leges claris verbis effert: Nos Casimirus etc. una cum Praelatis Baronibus caeterisque Nobilibus et subditis nostris etc. ad laudem Dei, et utilitatem subditorum nostrorum decrevimus etc.; ut Ludovicus Rex qui Casimiro

Reges consensum et voluntatem ordinum suis in constitutionibus

successerat aperte loquitur fol: 58 omnes alias literas pacta etc. de consensu eorundem Baronum, Militum et Nobilium dicti Regni Poloniae cassamus vacuumus etc.; ut Vladislaus Jagello qui Ludovicum consecutus est in sua ad leges in Comitijis Vartensibus conditas praefatione monet: Iniquitati viam praeccludere volentes, de unanimi consensu Praelatorum et Baronum ac Nobilium nostrorum talem Ordinem observandum fore volumus etc.; ita et omnes alij deinceps reges Vladislaus Poloniae et Hungariae, Casimirus, Joann: Alb., Alex., Sigismundi in suis Constitutionibus quoad publica regni negotia ferme semper Comitiorum tempore factis eundem observarunt stylum, testabanturque semper his fere vocibus: consilio, consensu, unanimi sententia, ordinatione, communi deliberatione (alijsve similibus) Praelatorum, Baronum, Nobilium, Militum, se sancire, statuere, ordinare etc. ut fere quovis loco legitur. Ipsis quoque ejusmodi sanctionibus, praeter principis nomina quoque et sigilla Senatorum et praecipuorum e provincijs virorum nobilium passim apponebantur: quod quemadmodum diximus non est postremum in condendis legibus definiendisque negotijs inveteratae in ordinibus autoritatis signum.

Quae cum ab anno 1140 ut hucusque patuit, more et consuetudine antiqua (cum inde sub nullo rege jus hoc intermissum sit) fulta munitaque esset, denique, et legibus ipsis firmari solidius coepit. Anno namque 1454 in Comitijis Nessoviensibus Casimirus Jag. ita declaravit folio 257: Item pollicemur quod nullas novas constitutiones faciemus, neque terrigenas ad bellum moveri mandabimus, absque conventionione communi in singulis terris instituenda. Promittit hoc loco et ad omnes sancendas novas constitutiones sensum sententiamque provinciarum omnium (quae se per delectos e Nobilitate viros in Comitijis Generalibus declarare solet) se expectaturum, nihilque ijs inscijs, aut contra earum rationes constituturum. Quod Casimiri hujus frater Alexander Rex anno 1505 in comitijis Radomiensibus fol. 299 clarius explicavit: Quoniam jura et constitutiones publicae non unum, sed communem populum afficiunt, itaque in hac Radom: conventionione cum universis Regni nostri Praelatis, Consiliarijs, Baronibus, et Nuntijs terrarum aequum et rationabile censuimus, ac etiam statuimus ut deinceps futuris temporibus perpetuis, nihil novi constitui debeat, per Nos et successores nostros sine communi Consiliariorum et Nuntiorum terrestrium consensu, quod fieret in praedictum gravamenque Reipublicae, et damnum atque incommodum cujuslibet privatum, ad innovatipnemque juris communis et publicae libertatis.

Non est autem quod frustra existimes (ut nonnulli qui de jure condendarum apud Polonos legum tractavere opinati sunt) ab Alexandro aut Casimiro ejus fratre collatam esse novam potestatem Nobilitati, sed omnino veterem duntaxat confirmatam et lege communitam. Certe enim ante hanc anni 1454 Casimiri Re-

Quod jus equestri Ordini lege stabilitur.

Leges tantummodo confirmatum vetustissimum jus.

gis declarationem, jam eodem quoque regnante in Comitijs anni 1447 constitutio de pecunia minuta recipienda, fol. 156 quae incipit: *Statutum est insuper omnium unanimi voluntate etc. ita reperitur subscripta, Nos vero Praelati, Barones, Majoris Poloniae Syradien: Lencicien: Cujaviensis etc. terrarum, in evidentiam consensus et voluntatis omnium praemissorum sigilla nostra praesentibus etiam fecimus subappendi.* Et anno 1451 apertius adhuc id elucescit. Cum constitutiones hujus Casimiri in Comitijs Petricoviensibus latae ita subscriptae legantur: *Nos vero Sbigneus S. R. E. Cardin. Ep. Crac. Vladislaus Gnesnen. Archiepisc. etc. hic Senatorum, deinde Nobilium in provincijs omnibus officio aliquo fungentium longus ordo subsequitur, atque ita terminatur: Nicolaus Subiudex Sandomiriensis caeterique Praelati et Barones et dignitarij, Nobiles et Proceres in hac Conventione generali Petricoviensi congregati, innitentes approbationi confirmationique praefati serenissimi domini nostri Regis, etc. eadem statuta supradicta quae hic habentur inserta per omnia approbantes, in omnibus punctis, articulis, clausulis firmiter attendemus etc.*

Approbari igitur constitutiones unanimi consensu Senatus et Nobilitatis Regni quae e provincijs ad Comitata confluebat, non ut novum aliquid Casimirus, Joannes, Albert., et Alexander jussere, cum morem hunc ut satis superque probatum est antiquissimum jam ipsi repererint, (quod vel ex istis mox adductis anni 1447 et 1451 testimonijs satis liquet. Declaratio autem Casimiri de non faciendis novis constitutionibus absque etc. Anno 1454 primum emanavit, id quod jam vel proximis superioribus annis religiose servabatur ex antiqua consuetudine) sed ne unquam penitus contra vetus jus aliter fieri contingeret legibus providerunt. Et quod etiam libenter concedimus, his Casimiri Albertique legibus id effectum esse, ut cum ad eorum tempora aliqua Reipubl: negotia etiam alicujus momenti, a solis definirentur et constituerentur regibus, et maxima duntaxat communi ordinum deliberatione sancirentur, jam post has eorum solennes declarationes, nihil omnino novi constitutum est sive in minoribus sive in maximi momenti rebus et negotijs ad Reipubl: pertinentibus universam. Itaque evidentissime jam liquet, reges hos non (ut quidam sensere scriptores) novum contulisse, sed vetustissimum Ordinibus jus ampliasset et firmasset, quod a sex jam amplius saeculis coeptum, integrum hucusque manet Reipublicae.

Jam speciatim ostenditur equestri ordini antiquissimam esse auctoritatem eandem, circa leges et constitutiones sancientias.

§. 9.

Restat ut ultimae hoc loci satisfaciamus difficultati extraneorum quorumdam scriptorum qui utcunque Senatorium Ordinem spectasse antiquitus ad Consilia frigidius asserant, cum nos etiam

suffragio eundem semper valuisse satis probaverimus, tamen ajunt equestri ordini primum collatum fuisse jus consultandi de negotijs publicis eaque definiendi anno 1496 constitutione Radomiensi. Idque non esse nobilitati antiquius manifeste probare sibi videntur, quod ante annum 1496 nulla nuntiorum terrestrium mentio reperitur: tunc vero primum Alexandrum Regem declarasse sine nuntijs terrarum nihil novi constitui debere. Alij plurimum nobis indulgere videntur dum hoc jus equestri ordini non altius quam ab anno 1454 deducunt: quando Casimirus pollicitus est nullas novas constitutiones se facturum sine conventionione communi in singulis terris instituenda. Ex quibus conventionibus mandantur nuntij seu legati provinciarum ex equestri Ordine ad Comitata Generalia. Antehac ergo (inquiunt) nuntij provinciarum ad sola tantummodo tributa sciscenda vel neganda vocari et convenire solebant, ab anno vero 1454 vel certius a. 1496 ad alias quoque res Reipublicae definiendas pertinere coeperunt; proinde Nobilitas quam repraesentant Nuntij ad id usque tempus hoc jure caruerit necesse est. Breviter omnino huic dubio dilucideque respondebimus.

Certissimum ergo nobis est, nedum Senatorium, (de quo nihil amplius, ultra ea quae diximus adjicere oportet) sed etiam equestrem ordinem aequali juris hujus antiquitate merito gloriari. Consensio ne siquidem omnium historicorum hisque quae hoc libro leguntur monumentis liquet, homines equestri ordini olim etiam vel equitum, vel militum, vel nobilium, vel nonnunquam procerum, Optimates vero nedum Senatores sed et praecipuos e Nobilitate Baronum aliquando et Praelatorum, Praesules semper Praelatorum nomine fuisse nuncupari solitos. Jam superfluum esset, sexcenta e Cromero Długosso alijsque adducere certissimae rei testimonia, cum a principio Poloniae fere in singulis electionibus regum, ab anno vero 1140 in alijs quoque maximis Reipublicae negotijs conceptis verbis ferme ubique efferunt *sententia, consensus, ordinatione, Praelatorum, Baronum, Nobilium, Nobilitatis, Equitum, Militum, virorum militarium etc.* res Reipubl. esse constitutas. Alibi omnium Polonorum, universae Poloniae, omnium ordinum etc. voluntatem testantur, et ut paucis dicam vix aliquid publice constitutum memoriae produnt, quin aliqua ratione praeter Principem, Praelatos et Senatores, Nobilitatis e regno confluentis, constituentis, volentis, ordinantis mentionem faciant. Praeterea cum narrant passim ut Długossus an. 1140 *omnium terrarum Generalem Conventionem factam*, et cum revera ex omnibus regni provincijs ad Comitata quaevis semper evocari more veteri solita fuerit Nobilitas, praesertim officijs terrestribus fungens, an otiosos spectatores et testes confluisse et evocatos semper fuisse credideris?

Jam in ijs quaecunque exstant Comitiorum legibus et sanctionibus hunc in librum collectis, fere semper hujus ordinis consentientis, decernentis etc. expressa sit mentio perinde ac Senatorij, ut liquet ex illis quae paulo ante addu-

Error eorum qui Nobilitati, Jus sancientis, ut plurimum ab a. 1454 competere asserunt

Refutatur ex historicis.

Ex ipsamet Statutis.

ximus Magni Casimiri verbis in const. anno 1347, *Nos Casimirus etc. una cum Praelatis, Baronibus, caeterisque Nobilibus decrevimus etc.* Item *Nos Ludovicus etc. consensu eorumdem Baronum Militum et Nobilium dicti Regni etc.* item *Nos Vladislaus unanimi consensu Praelatorum Baronum ac Nobilium nostrorum etc.* quae ordinum distributio et ratio ab omnibus deinde est observata regibus. Consensum ergo ad perferendum aliquid lege a Nobilibus requisitum neget, sine quo reges ipsimet nihil se fecisse testantur?

Adde quod hic maximi momenti est, omnemque praesentem difficultatem facile solvit, nimirum quod in his quaecunque antiquissima extant Reipublicae monumentis, ubi Senatorum, ibidem et hominum equestri ordini communis elucet in statuendo auctoritas, atque nomina et sigilla in aequali apponuntur jure. Praesules enim Palatinos Castellanosque sequuntur subscribentes Succamerarij, Vexilliferi, Judices, Dapiferi etc. qui certe non sunt Senatorij ordinis. Quae documenta cum hic oculis subjecta sint, unum quod hujus generis antiquissimum omnium cum subscriptionibus extat anni 1382 fol. 59 in confederatione post mortem Ludovici regis inita, hic adducere sufficiat: *Nos Vincentius Posnaniensis, Sandivogius Calissiensis Palatini: Ioannes Calissien: Sandivogius Naclensis etc. Castellani, Stanislaus Posnaniensis. Nicolaus Calissien. etc. Succamerij, Ublislaus Pincerna Calissien. Lassota Dapifer, etc. Nyczko, Kaczkowski, Ian Popczyk, Ianusius Iarogłowski, Albertus de Goray caeterique Nobiles Milites totaque communitas Majoris Poloniae etc. Ioanni Episcopo Cracov. Palatino Cracov. Castellano Sandomir. etc. caeterisque omnibus strenuis et Nobilibus, ac omni communitati terrae Cracoviensis Sandomir. Syrad. etc. sub sacramento nostrae fidei promittimus etc. volumus etc. In cuius rei testimonium sigilla nostra praesentibus sunt appensa etc.* An ergo hic equester ordo cum senatorio non eodem concurrunt jure ad constituendum de Republica? Adeoque ita caetera omnia subscripta ab utroque ordine videre licet, quemadmodum jura illa a Vladislao Jagell. ad Cervinum sancta: *Praesentibus etc.* ubi post Senatores et e diversis provincijs Equites subscriptos ita concluditur: *Sarnowski Lanciensi Iudice, et alijs pluribus Baronibus et Militibus etc.* quamobrem clarissime jam liquet, multo jam tempore ante Casimirus Jagellonidam Albertumque nedum Senatorium sed et Equestrem Ordinem in constituendo de Republica in jubendis quoque legibus auctoritatem obtinuisse.

Cui diminuendae frustra opponunt illi, qui cavillari amant, quod legibus passim subscriptum hac ratione legatur: *Praesentibus etc.* ubi praesentiam tantummodo Senatorum Equitumque requisitam fuisse, non vero necessaria eorum suffragia satis ingeniose afferunt. Nam praeterquam quod ipsimet veteres reges ubique fateantur se consilio communique omnium consensu et voluntate cuncta statuere: praeterquam quod ante annum 1454 (quo prima lex provincialis nobilitatis

jus confirmavit) jam anno 1447 aliter reperitur subscriptum: *Nos vero Praelati, Barones etc. in evidentiam consensus et voluntatis omnium sigilla nostra praesentibus fecimus subappendi etc.*; certe longe etiam post Casimiri, Alberti Alexandrique obitum, (qui nobilitati condendarum legum jus jam plenissime stabiliverunt, ut de eo nemo deinceps dubitet) tamen idem adhuc stylus in subscribendis constitutionibus diu servatus est: *Praesentibus etc. Episcopis etc. Palatinis et Castellanis et terrarum nuntijs etc.* quare leve omnino est ex hoc vocabulo cavillantium argumentum.

Unde qui hoc jus (de quo agimus) statuendi, intercedendi, Equestri Ordini longe ante Casimiri Jagellonidae tempora competijisse in dubium vocant aut negant, vel aegritudinem animi aliena nimium intuentis, vel indiligentiam in investigandis nostrae historiae rebus fateantur necesse est, cum sit satis reducere in memoriam vel id solum quod superius adduximus jam anno 1336: *Ordines conclusisse: nullatenus Cruciferorum petitioni decisionem regum excedenti assentiendum esse: se nullo pacto in conditiones ipsas consensuros.*

In nuntios seu provinciarum legatos a tempore Casimiri Jagell. Albertique jus statuendi et intercedendi translaturum.

§. 10.

Jam quod primum a Casimiri vel Alberti Regum temporibus nuntiorum terrestrium mentio aut subscriptiones reperiantur, nihil nostrae sententiae officit. Qua de re id nobis statuendum videtur, Nuntij terrestres (de quorum origine a temporibus Vladislai Jagellonis deduci solita alibi erit dicendi locus) qui ad tempora Casimiri Jagellon. ad sola tributa sciscenda vel neganda jure veteri pertinebant, eoque fine ad Comitata Regni definito eorum numero a singulis provincijs passim mandabantur, jam ab aetate Casimiri Jagellonid. et Alberti R ad alia quoque omnia negotia Reipublicae definienda pertinere coeperunt.

Itaque cum antehac ex omnibus provincijs ea ratione ad Comitata consultaturi et sententias perlaturi convenirent Nobiles Poloni, ut numerus eorum definitus non esset, illicque cum primis ad ea mandarentur aut ipsimet accederent numero non definito, qui aliquo officio terrestri, aut majore industria, animo et auctoritate in singulis provincijs magis pollerent, (ut hodie non longe absimili ratione in provincijs Prussiae usuvenit, et ut moris est *na Seymach Koronnych*) vetus haec consuetudo ante duo fere saecula immutari coepit; atque in nuntios (qui ratione contributionum sciscendarum a singulis expediebantur provincijs) tota tribunitia potestas translata est ampliataque quo ad omnia alia Reipublicae negotia. Ita colligitur aliud quidquam non esse factum sub Casimiro Albertoque Regibus, quam nuntios illos qui solum tributorum sciscendorum ergo creabantur in conventionione communi in singulis terris in-

Et ampliarunt.

Dług.

stituta, id totum exercere coepisse caeterorum Equitum absentiumque nomine, quod antea quicumque officio terrestri vel aliqua auctoritate praeditus Polonus nobilis adibat comitia, exercebat.

Quamque haec non leviter dicantur, sed reipsa ita contigerint, vel ex ipsis subscriptionibus patet. Nam si has examinatis, fere ubique antiquitas eas ita esse reperies, ut fol. 170 anno 1451; *Nos etc.* ubi multorum recensentur nomina, denique ita clauduntur: *caeterique Praelati Barones et Dignitarii, Nobiles et Proceres, in hac conventionem Generali Petricoviensi congregati, eadem Statuta per omnia approbantes etc.* Unde clarissime liquet ex his vocibus *caeterique congregati*, quae passim leguntur, multos in Comitibus numero non definito congregari fuisse solitos, jusque approbandi vel intercedendi exercuisse. Jam ubi nuntij terrestres non ad sola ut olim tributa, sed ad omnes constitutiones in Comitibus Generalibus sancendas vel antiquandas lege pertinere coeperunt, ipsi quoque paulatim reliquae Nobilitatis (quam ut legati e singulis provinciis representabant) nomine, cuncta agere coeperunt, sensimque non omnino simul jus illud statuendi vel vetandi a multitudine nobilium non definita ad nuntios translatum est. Siquidem cum prima mentio in Comitibus Petricoviensibus nuntiorum terrestrium in his legibus extet facta his verbis fol. 255: anno 1496 *privilegium etc. praeclarorum Baronum ac nuntiorum de singulis terris hic congressorum universorum consilio et voluntate confirmandum duximus*: paulo inferius ita legitur: *communi et diuturna consultatione praemissa cum Praelatis, Baronibus, Nobilibus terrarumque nuntijs, ac subditis nostris spiritualibus et saecularibus in hac generali Conventione Petricoviensi existentibus, Corpus regni ejusdem cum plena facultate absentium representantibus, etc.* haec ipsa vero ita finit constitutio: *Petricoviae in Conventu Generali per Nos et universos Barones regnicolas et terrarum nuntios celebrata etc.* (hic subscribentium nomina) *Praelatis spiritualibus et saecularibus ac Baronibus, ratione dignitatum et officiorum quae obtinent, praesidentibus, consilijs praeceptis atque decretis regni nostri, reliquis vero supra scriptis et alijs fide dignis regnicolis subditis nostris publicis in Conventione praesenti pro communi Reipublicae bono aequitateque decernentibus, agentibus, interessentibusque omnibus praemissis.* Ex his verbis styloque, (qui in alijs posterioribus constitutionibus fere conformis est) jam satis patet, praeter Senatum, nuntios quoque provinciarum *Corpus regni absentiumque* civium auctoritatem representantes, consilio et voluntate cuncta decrevisse, egisse, an vero praeter Senatum, praeter nuntios ipsos terrestres, alij quoque praesentes ad consulendum agendum decernendumque spectarent, et si non evidentissime ob confusam verborum stylique rationem liquet, tamen id satis colligitur, etiam alios Barones ratione dignitatum et officiorum quae obtinebant, publicis in Conventione praesenti decernendi agendique, munus

adhuc more veteri obijisse. Inde facta ab Alexandro Rege constitutione anno 1505 in Comitibus Radomiensibus *ut deinceps nihil novi perpetuis futuris temporibus constitui debeat sine communi Consiliariorum et nuntiorum terrestrium consensu*, nuntij seu legati ipsi confluentes e provinciis paulatim locum auctoritatemque Nobilitatis antea non definito numero confluere solitae, supplere coeperunt. Unde illa Sigismundi I. dicendi ratio fol. 358: *Annuentes votis totius Nobilitatis, cujus nuntij cum plena facultate ex singulis regni terris ad consultandum nobiscum de futuro Reipublicae statu convenerunt etc.*

Sed nos diffusius alibi de nuntijs terrestribus tractabimus, hoc loci unum id satis nobis fuit evincere, auctoritatem condendarum legum et constitutionum non eo primum tempore Ordini Equestri accessisse, quo nuntij terrestres Nobilitatis praeter contributiones ad omnia alia Reipubl. negotia post annum 1454 pertinere coeperunt, sed jus illud aliquot jam antiquius saeculis, (quo omnes Equestri loco nati, ut est evidenter demonstratum, gaudebant, conveniendi ad Comitibus ferendique sententias) ante duo saecula tantummodo commodius transferri coepisse, translatumque tandem esse ad nuntios, representantes potestatem totius Equestri Ordinis, numerumque definitum pro non definito duntaxat successisse.

Jam ergo hactenus satis clare demonstratum esse existimamus id quod dicendum imprimis proposuimus, *cujus nimirum magistratus sit proprium aut unquam fuerit in Polonia leges condere et de Reipubl. negotijs constituere.* Nimirum principio ipsorum regum id jus fuisse proprium: circa annum 1140 post obitum Boleslai Crivousti, jus idem Nobilitati cum principe, coepisse esse commune, nec unquam hactenus Senatui aut Equestri intermissum perdurasse: Ordinem autem Equestrem antiquitus per evocatos e provinciis viros nobiles terrestribus officijs functos, post constitutionem autem anni 1454 per nuntios auctoritatem suam exercuisse, semperque voluntatem et consensum Ordinum ad constituendum aliquid de Reipubl. fuisse et esse necessarium. Nunc breviter agemus:

Qua ratione perferantur in Polonia leges?

§ 11.

De usitata veteribus ferendarum legum ratione agere, ne longitudo orationis fastidium pariat, supersedemus: hodie etiam quis usus sit, amplior hac de re dicendi locus, ubi agemus de Comitibus, nobis suppetet. Nunc ea tantum perstringemus, quae ad solam legum non Comitiorum rem pertinent. Cumprimis igitur a Rege ante Comitibus Generalia quae (singulis duobus annis convocantur) mandantur legati ad singulas provincias, qui in Conventibus (quos illae varijs in civitatibus peragunt) propositiones (quae rogationes Romanis veteribus) regias exponunt, quae continent eam quae in futuris Ge-

Compendium omnium quae hucusque dicta sunt.

Initia Generalis Consultationis.

neralibus Comitibus pertractanda est deliberationis materiam. Proponunt in iisdem provincialium Conventionibus et Senatores alijque Equestri Ordinis, ea quae ipsis videntur e Reipubl. Si variae hujusmodi propositiones tam nomine regis quam ab ipsismet provinciae incolis factae, omnium praesentium concordi sententia nemine intercedente admittantur, mandantur literis, nuntijsque ad Comitibus Generalia legitime electis traduntur, qui suae cujusque provinciae circa ea quae sunt proposita sensum in communi totius Poloniae coetu explicare et constantissime tueri debent. Mos hic requirendi omnium sensum per provincias, fundatur potissimum in lege anni 1454 superius posita, quae vetat *ullas constitutiones debere fieri sine conventiona communi in singulis terris instituenda.*

Jam ubi ad Generalia Comitibus ventum est, eligitur nuntiorum praeses seu Mareschalcus, qui facultatem nuntijs suam cuique proferendi sententiam praebet: itur ad salutandum publice regem: propositiones regiae a Cancellario breviter iterum perstringuntur: audiuntur de iisdem Senatorum sententiae; his deinde finitis ad suum conclave nuntij revertuntur. Res tum ab ijs juxta mandata cujusque provinciae facunda oratione exponuntur, quorum sententiae vel propugnantur vel impugnantur, donec cuncti ne uno quidem amplius intercedente nuntio in eandem iverint sententiam. Quae admiranda sane animorum consensio tum veteri more, tum lege anni 1505 exigitur: *Nihil novi constitui debet sine communi nuntiorum terrestrium consensu.*

Potestas autem intercedendi amplissima cuilibet nuntio absque juris circumscriptione competit vetustissimo usu et constitutione anni 1609 *non derogando pro libertate et integritate jurium suorum liberae voci cujuslibet, nobilis in conventionibus provincialibus, nuntij autem in Comitibus; secundum antiquam consuetudinem lege descriptam.* Adeoque cum nuntio cuilibet intercessionis tribunitiae absoluta potestas insit, nihil maturari conficique, nisi cunctis omnino annuentibus, non potest. Vox vero sanctissima illa atque unica est: *concordia*, qua communiter omnium consensus exprimitur, legesque firmantur. Altera autem *veto*, quae sola sufficit ad antiquandum omne id, quod alicui nuntio non videtur e Reipubl. Quemadmodum apud Romanos perinde religiosissimus erat ille duarum literarum usus: tabellae siquidem singulis, qui jus habebant suffragij, distributae vel signabantur his notis: U. R. Uti Rogas, seu consentio ut ita sit uti rogas, vel hac unica: A. antiquo; hoc est nihil novari volo.

Agendi ratio.

Porro re una ita ab omnibus nullo dissentiente probata et annotata, itur ad alias propositiones, in quibus eadem servatur ratio. Nihil vero novi proponi solet, donec una res quae in deliberationem accepta est, vel rejiciatur vel probetur ab omnibus. In collegio tamen nuntiorum nihil adhuc concluditur, nihil integram vim legis obtinet, sed omnia quae ab illis una-

nimi sententia commendata sunt, praescripto tempore regi et Senatoribus communicantur, suoque iterum ordine Senatorum sententiae de singulis rebus excipiuntur, qui et fere semper sancita per nuntios approbare solent, et nihil novi proponunt quod jam in nuntiorum collegio pertractatum, eorumque consensu non sit praemunitum. Rex etiam concordem utriusque ordinis sententiam sua auctoritate semper comprobatur. Consensus itaque regis, Senatorij, et Equestri Ordinum aequo necessario requiritur, ut aliquid robor legis obtineat. Nuntij enim primum (quorum augustum conclave *officina legum* communiter meritoque appellatur) leges concipiunt, quae ferme nunquam sunt irritae: Senatores easdem constabiliunt, rex confirmat quas neque rex ipse juxta constitutionem anni 1538, neque alteruter aut uterque ordinum sine rege statuit. Unde cum jam olim anno 1503 contigisset absente rege Alexandro Comitibus Petricoviae celebrari, leges quae ibi sunt conditae, necessario uti omnes aliae ab ipso rege postmodum approbatae sunt. Quod et de temporibus interregnorum debet intelligi, acta enim sub interregno reges in primo ad regnum aditu confirmare solent.

Rebus ita regis ordinumque auctoritate firmatis quid restet, patet ex constitutione anni 1588. *Constitutiones in Comitibus unanimiter scriptae, debent subscribi a Senatoribus ad id deputatis atque a personis e collegio nuntiorum ad idem destinatis. Itaque postea debent tradi ad Cancellariam, et illis (Senatoribus et Nuntijs) praesentibus, debent coram nobis legi, cum interrogatione per dominos Cancellarios, utrum Nos, domini Consiliarij, et nuntij, eas sigillari jubemus?*

Videlicet eliguntur duo vel tres ex senatu, e Nobilitate seni (ita ut e Majore, e Minore Polonia et ex Lithvania bini sint) omnes gravissimi et in jure patrio versatissimi viri, quorum industriae fideique constitutiones exacte conscribendae commendantur, quae ab iisdem subscribuntur. Anno 1640 Franciscus Dubrawski Succamerarius Premisliensis Mareschalcus seu praeses nuntiorum primus cum duobus deputatis ad constitutiones, eas reperit subscripsisse. Morem tamen hunc antiquiorem esse testatur lex anni 1613 hac de re perlata. Anno vero 1661 Mareschalcus Comitiorum Michael dux Radziwif primus ante Senatores subscripsit:

Omnes autem deputati ad constitutiones concinnandas subscribendasque lege anni 1678 juramentum praestare obligantur: *Curaturos se nulla ut constitutio quam Ordinum consensus non approbaverit in volumen irrepit.* Ita diligentissime examinatae approbataeque constitutiones, publice praesentibus omnibus Ordinibus perleguntur, interrogatione quam lex praescribit ter repetita, cum nemo qui intercedat supersit, sigillis muniuntur, et in acta Cancellariae lege anni 1588, in acta publica Varsaviensia lege anni 1613, (in Lithvania autem fit idem Grodnae)

Leges regis ordinumque consensu condantur.

Subscribuntur.

Comitia Provinciarum ante Comitibus generalia.

aut in metricen, ut vocant, regni aeternaturae inscribuntur.

Ad id ergo tempus, donec in Comitijis omnes simul congregati Ordines interrogentur, an unanimes consensu omnia sancita approbent? adhuc a quovis nuntio aut Senatore, vel singulae, per tribunitium illud sacrosanctumque veto, vel omnes simul irritari possunt, dum Comititia dissolvuntur per protestationem etiam unius, quicunque eam denunciando e medio se proripit conclaveque excedit, atque illam mox inscribit actis publicis, qua de rationibus suis, quibus ad dissolvenda Comititia motus sit, universos certiores reddit. Post illud vero tempus, cum interrogatione perfecta, nullus se dissentire denuntiat, seque omnes suis sedibus movent, tunc nulla jam intercessio valet.

Qua ratione promulgentur leges?

§ 12.

Publica legum, de qua mox diximus lectio primae promulgationis loco censeretur potest. Tamen ut et absentibus et posteris innotescant, pro aereis tabulis columnisque quibus apud veteres Romanos perennaturae incidebantur leges, typis exprimuntur. Huic autem usui regum et Reipubl. beneficio destinata est typographia Varsaviensis olim dicta Elertowiana hodie collegij Scholarum Piarum. Quemadmodum id declarat Constitutio anni 1668 fol. 10, typographia Elertoviana quae est conducta a Rep. propter commodum publicorum negotiorum. Haec autem constitutio inhaeret privilegio Vladislai IV anno 1643: *de consilio Consiliariorum nostrorum civitatem Varsaviensem Regiae nostrae et Comitiorum regni sedem, typographiae praelo ornata et instructa esse cupientes, in animum induximus, ut ibidem autoritate nostra officina typographica erigatur etc. ideo Petro Elert de domo nostra Regia benemerito, quo usibus nostris Varsaviae inservire possit, typographiam erigere et exercere in civitate nostra Varsaviensi, per hoc privilegium concedimus: et eundem in typographum nostrum assumimus. Quem ibidem inferius idem rex appellat typographum suum privilegiatum. Joannes item Casimirus rex in diplomate anni 1663 jura ejusdem typographiae Reipublicae sic confirmat: eandem penes jura concessa olim a Serenissimo Fratre nostro etc. praesertim in RECUDENDIS CONSTITUTIONIBUS regni etc. conservamus et manutinemus. Unde Joannes etiam III. in diplomate edito anno 1675 regie asserit: Praesenti nostro privilegio, legibus et confederationibus regni declaratur, typographiam Elertovianam a Republica assumptam et adscitam esse. Clarius vero diplomate anni 1685 idem Joannes III. typographiae hujus a Republica adscitae jura exequitur: Nos etc. eandem typographiam Elertovianam insistendo legi publicae confederationis anni 1668 a Republica propter commodiorem publicorum negotiorum expe-*

ditionem ordinatam, IN TYPOGRAPHIAM NOSTRAM ET REIPUBL. THESAURIQUE REGNI ET M. D. LITH. SOLAM ET UNICAM PERPETUIS TEMPORIBUS quousque duraverit et permanserit, assumimus et institutumus. Dantes et concedentes eidem Carolo Schreyber illiusque successoribus VEL PRAESENTIS IURIS ACQUISITORIBUS plenariam facultatem imprimendi, excudendi, dividendi constitutiones Comitiorum, confederationum, electionum regni quoties in publicum dabuntur Varsaviae, aut ubi Comititia celebrabuntur. Inwentarz konstytucyi etc. summaryuze y inne listy skarbowe, STATUT KORONNY Y WIELKIEGO XIĘZTWA LITEWSKIEGO etc. Ut autem praesenti privilegio alijsque antiquioribus iuribus SCHREYBER cum suis SUCCESSORIBUS secure gaudere possit, mandamus et injungimus tam omnibus in universum typographis quam alijs cujuscunque status et conditionis personis ne ipsum in usu privilegiorum per se vel subordinatas personas impedire, MATERIAS ET LIBROS SUPERIUS expressos typis imprimere et dividere, aut in derogationem praesentis nostri privilegij in legumque et confederationum regni, quibus declaratur typographiam eandem a Republica assumptam et adscitam esse convulsionem etc. in publicas materias, utpote do konstytucyi koronnych y W. X. LITEW. SUMMARYUSZOW, y innych listow z kancelaryi koronney y skarbowey wychodzących typo mandandas se ingerere quisquam audeat, sub paena mille aureorum Hungaricalium singulis vicibus pro singula contraventione de integro succumbenda et irremissibiliter luenda confiscationisque omnium exemplarium et librorum per medium parti laesae et fisco nostro applicandorum, decidimus et determinamus etc. Dat: quae jura omnia in eorum legitimos acquirentes Patres Scholarum Piarum plenissime transfusa sunt, ut Joannes idem tertius in diplomate anni 1694 declarat: Nos etc. dignitariorum et Consiliariorum nostrorum supplicationi annuentes, praemissa privilegia, contractus, inscriptiones, transfusiones tam defuncto Petro Elert, quam Carolo Schreybero, ejus consorti et successoribus servientia, praesentito patri rectori, et toti collegio Varsaviensi Scholarum Piarum officiose transfusa, in omnibus praesentis privilegiorum, contractuum, inscriptionum punctis, etc. prout de verbo ad verbum, in se continentur, approbamus, et confirmamus etc. Dat. Varsav. anno 1794 regni nostri anno 21. Serenissimus denique Augustus II transfusionem privilegiorum Elertovianorum, PP. Scholarum Piarum factam, in suo diplomate sic confirmat: Cum nobis nomine religiosorum patris Venceslai a S. Francisco rectoris totiusque coll. Varsav. supplicatum sit, ut ipsis iura et privilegia super typographiam Elertovianam antiquitus nuncupatam in auctionem provisionis collegij eorum Varsav. a sereniss. IOANNE III antecessore nostro donatam, per sereniss. VLADISLAUM IV et IOANNEM CASIMIRUM collata et confirmata etiam suprema nostra autoritate regia approbare dignemur, etc. Nos eidem supplicationi benigne annuentes etc. libentissime supra insertam donationem et pri-

Typographia Reipubl.

Comitia Relationis.

Protestationes.

Leges latae patent.

Pausanias in Lacon.

vilegia Serenissimorum Antecessorum nostrorum in omnibus punctis, clausulis, nexibus, articulis, prout de verbo ad verbum in se continentur etc. autoritate nostra Regia approbamus, et confirmamus, et circa eandem typographiam idem Coll. Vars. Scholarum Piarum aeviternae conservamus, et in Regiam nostram typographiam cooptamus. Haec quasi aliud agendo eo dicta sunt, ut cuilibet constet, quod cum typographia haec istos ipsos omnium legum et constitutionum Poloniae libros typis imprimit, nihil aliud quam sibi injunctum officium propriumque munus exequatur, atque suo utatur jure: cum illam a regibus et Reipubl. assumptam adscitamque constet, solaque et unica perpetuis temporibus plenariam facultatem habeat, materias ejusmodi imprimendi. Caeterum constitutio perlata anno 1659 nihil officit, cum haec de sola constitutione a 1658 clare loquatur: ejus ergo solius, quae ob multa clam inserta corrigi debuerat, prohibetur impressio, ut patet ex ipsismet constitutionis verbis. Sed his de rebus necessario vel pauca haec dixisse satis sit, rem nostram prosequamur.

Ita in lucem e praelo productae leges, ad Conventus provinciarum, quos vocant Comititia Relationis mandantur, hacque ratione universae Nobilitati innotescunt. Contingit autem in his Provincialibus Conventionibus, aliquos contra sancita in Comitijis Generalibus agere, seu protestari, qui tamen mos consensum totius Reipublicae in Comitijis praestitum non infirmat.

Caetera quae ad magistratum perferentem leges, ad ipsarumque sanctionem et promulgationem legum pertinent, clarius adhuc elucidabuntur, cum ante sequentem tomum de Comitijis pertractabimus. Restat aliquid innuere:

De vi perlatarum legum. Leges amplissimas esse.

§ 13.

Vis perlatarum legum in eo sita est, quod sint amplissimae, decretoriae, et perpetuae. Legum conditarum in Comitijis Regni tanta est amplitudo, ut in omnes quotquot sunt provincias earum extendatur potestas. Quamvis soli Prussi post Comititia Generalia contra sibi jus reservent consultandi in sola Prussia de rebus Prussicis, videndique an constitutiones Comitiorum eorum rationibus conveniant: innixi privilegio anni 1454. Enimvero nedum civibus sed regibus etiam superior est legum in libero regno autoritas. Hinc omnes Poloniae Reges solenne jusjurandum praestant, contra iura, libertates etc. se nihil commissuros. Id quod etiam Pausanias de Spartana testatur Republica: unam illam supremam fuisse rationem et regulam Spartanis regibus, regum id quoque pulcherrimumque esse, legibus se ultro submittere: tantum posse, quantum leges sinerent. Hocque iuramentum singulis mensibus reges Spartatarum innovasse: se regnum administraturos juxta praescripta legum. Adeoque in liberis Rebuspublicis imperium le-

gis imperantibus quoque imminet. Quod illa jubet cunctis sacrosanctum est.

Leges decretorias esse: ubi de lege homicidij anno 1347 lata.

Leges quoque decretoriae sunt. Tantum enim est illarum robur et efficacia, ut quicquid lege definitur decerniturque, id ab omnibus existimandum sit quasi Divinum quidquam, et oraculo simile. Clarae legis tantum est lumen et firmitas, nemini ut eam in dubium vocare aut infrimare liceat. Quare optimis quibuscunque civibus ea apud nos sententia per familiaris est: *obediendum legi: lex jubet non disputat*. Cum enim autoritate regis lectissimorumque e tota Republica virorum consilio formentur, consensu firmentur leges, sanctissimas omnes sapientissimasque existimare oportet.

Scio quidem ut nonnullas alias frivole carpi, ita praesertim legem anni 1347 fol. 26 Comitijis Visliciensibus perlatam de homicidiis male audire a quibusdam, quam illi in invidiam apud orbem terrarum vocant: deserent vero calumniandi libidinem, siquod vel incuria vel librorum penuria nondum fecerunt, legant ipsummet exemplar Łaskij, quo nullum omnino antiquius extat. Haec igitur sunt legis verba: *quamvis secundum legum sanctiones occidens hominem foret capitali poena plectendus, Nos tamen rigorem illum temperantes statuimus, quod occidens nobilem (nobilem) triginta marcas parentibus, pueris vel amicis defuncti etc. solvere teneatur*. In mendosis vero quibusdam aliorum posteriorum tempore scriptorum libris eadem lex forsitan primum a Przyluscio ita vitata reperitur: *quamvis occidens hominem secundum Dei et legum sanctiones esset capitali poena plectendus Nos tamen rigorem illum temperantes etc.*

Ubi adjuncta est vox Dei quae in Łaskij, e quo solo omnes hanc legem hausisse oportuit, omnino non reperitur. Hinc futilis cavillandi occasio veteres illos constituisse voluisseque mitigare rigorem Dei Divinaeque legis: quo nihil minus ex verbis hujus legis elicitur. Causa altera cavillandi, quod contra jus Divinum et naturale, poena capitis homicidae debita, commutetur in pecuniariam. Capitalis autem pro homicidio poena adhuc in lege naturae a Deo Op. M. lata esse videtur Geneseos 9 versu 6: *quicumque* (inquit Deus ad Noe generis humani parentem, atque in illo ad totum humanum genus) *effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Jam proculdubio si poena haec talionis legis naturalis vim sanctitatemque obtineret, nihil magis impium esset quam eandem contra jus naturae mitigare.*

At sentiant quid velint illi; lex haec talionis nullatenus inter leges naturae numerari debet. Nam si illa juris naturae esset, quaecunque potestas humana poenam capitis homicidae debitam in aliam leviorum commutaret, omnino contra naturam peccaret, quod asserere stultum omnino impiumque esset. Nam 2do Reg. 13 Da-

Legum autoritas.

Przyluscius alijque legis verba vitaverunt.

Pro homicidio poena talionis an sit lex naturae?

Id omnino negatur.

vid Sanctissimus princeps *vir secundum cor Dei* parricidae Ammonis Absaloni filio suo, poenam mortis laudabiliter condonavit, aliaque longe mitiore permutavit. Qua de re etiam commendationem in sacra historia promeritum est, et ne complura alia religiosissimorum principum adducam exempla, jure canonico toties sacris cavetur personis, ut pro homicidio non vita sed tantummodo priventur officio: quod si contra jus naturae esset, a nullo sacro aut politico magistratu unquam alia poena homicidis decerni posset, quam mortis. Jura enim naturae non tantum a nullo hominum, sed ne ab ipso quidem Deo mutari possunt. Praetereo legem Romae Corneliam de sicarijs, quae nobiles personas homicidij reas exilio, plebejos vero capite plecti jussit.

Hominem non occidit in iuste, jus est naturae; sed non poena talionis.

Id jam unum certissimum est: *hominem non occidere* esse legem, et jus manifestum naturae, contra naturam enim est partes generis humani, (nisi justitia aliquando id legitime exigente) maligne destruere: at vero minime jus naturae est homicidam capite aut hac vel illa poena plectere. Verba igitur Dei Op. Max. Geneseos 9 superius allata comminationem prae se ferunt quod nimirum ab illo qui dixit: *mihî vindicta et ego retribuam*, fundetur sanguis homicidae; fere enim semper providentia Divina hoc talione sceleratos afficit: nequaquam autem eadem verba legem naturae stabiliunt, ut nimirum contra jus naturae peccet magistratus, qui sanguinem pro sanguine non effuderit. Paucis dicam: leges praesertim poenariae non sunt ulla lege naturae descriptae, sed a Deo relictæ sunt in manu arbitrioque cujuslibet summae potestatis. Nec ex municipali Haebreorum jure quod talionem severissime exigebat necessitas alijs rebus publicis imposita est.

Leges poenariae municipalis sunt, nullo iure naturae definitæ.

Quare Visliciensis de poena homicidarum lex severitatem in alijs nationibus usitatam, sed non Divinam, non naturae legem, temperavit. Qua in re Rex et Respublica suo jure duntaxat uti sunt. Caeterum haec ipsa sanctio si quid indulgentiae tunc forte prae se tulit, Respublica deinde saepius severioribus poenis in homicidas graviter animadverti jussit, ut passim pro ratione temporum his in libris videbitur. Secundum enim gravitatem sceleris factique *circumstantias* carcer duodecim ulnis in profundo turris excavatus spatio unius anni et sex septimanarum homicidae decernitur; qui ergastuli aerumnas (quibus pauci supersunt vivi) morte ipsa saepius permutare mallet. Nonnunquam etiam spatium poenae duplicatur. Parricidae, latrones publici cujuscunque conditionis sint, morte plectuntur. Optandum enim vero esset, ut jussiones legum in ejusmodi sceleratos perlatae, exacte observentur, et si Reipublicae dominae juris sui aliquando collibeat, ut plebeiorum quoque caedes severius vindicentur.

Severae aliae in homicidas poenae.

Tandem si cui adhuc lenitas hujus antiquae legis non probatur, aut si fortasse in alijs legibus quidpiam desideret, praeterquam quod, si quae sint tales, reperiet illas melioribus poste-

rius semper correctas institutis, id etiam sapientissimi Consulis et philosophi dictum memoria repetat: *Non est existimandum, omnia justa esse, quae scita sunt in populorum institutis atque legibus etc. Nihil credo justior illa lex, quam interrex noster tulit, ut dictator quem vellet civium indicta causa posset occidere.*

Cic. lib. 1. Leg.

Leges perpetuas esse, ubi et de illarum multitudine, de novis legibus et de earum observantia.

§. 14.

Denique leges in Polonia perpetuae sunt, quousque publica auctoritate non abrogantur. Abrogari vero sine consensu totius Reipublicae nullatenus possunt: quod lege anni 1662 ita declaratur: *constitutiones Comitiorum nec mutari, nec augeri per Senatus consulta debent, nec edicta Regia quibus illa tollerentur emanare, sub nullitate hujusmodi edictorum.* Adeoque quemadmodum condi, ita nec antiquari possunt ullae leges praeterquam omnium Ordinum voluntate. Cum vero contingit majorum instituta, (ut humana omnia temporum vicibus sunt obnoxia) sensim obsolescere, ea quae magis ad communem felicitatem faciunt, saepe saepius innovantur.

Constitutiones nisi ab Ordinibus abrogari nequeant.

Inde est quod ad tantam molem ingens hoc legum opus excreverit, cum et veteres iterum atque iterum excitentur, et novae identidem necessario enascantur, quo praesentibus malis praesentissimum adhibeatur remedium. *Usu videlicet probatum est, egregias leges apud bonos ex delictis aliorum gigni; nam emendari quam peccare posterius est.* Hinc uti nullus vitij, ita nullus bonis legibus finis. Nec vero (cui enim id contigit?) illa beata existimatur Respublica, ubi sit nemo qui peccet, sed ubi mox certa ex praescripto legum bonos praemia, scelestos manet poena; ubi illico via praecluditur delinquentibus. Etsi bonis vel paucae sufficiant, improbis autem coercendis ne infinitae quidem sint satis leges. Eas tamen et novas dum expedit statui, et veteres semper innovari oportere sapientes senserunt. Inde enim et perpetuo vigilem magistratuum curam inspectionemque colligi, et memoriam refricando juvari, et majorem vim inesse recentibus. Solidiora quidem esse antiqua, magnamque illam Lacaedemoniorum laudem videri: *Lacaedemonij soli toto orbe terrarum septingentos amplius annos unis moribus et nunquam mutatis legibus vixerunt; sed nisi saepius eas renoves, natura et desuetudine in vetustatem verti, aut situ atque senio emori.*

Leges ex delictis Tac. An. 15.

Leges renovandas.

Cic. pro Flacco.

Leges non sunt novae.

Ut vero *nova omnia* suspecta nec firma sint, at non recte legem quod hodie perferatur ideo novam dixeris: quaelibet enim praecipua jam est sapientissimis majorum institutis. Nihil jam est novi in rebus novis. Praesentibus tantum priora firmantur. Deinde utcunque in novas nocendi artes videantur leges perferri novae, atqui et omnia quae nunc vetustissima creduntur aliquando fuere nova: *inveterascet hoc quoque et quod hodie exemplis tuemur erit inter exempla.* Haec dicta sunt ad continendam eorum cavillandi libidinem,

Tac. An. 11.

qui carpunt multitudinem novarum semper in Republica legum, qua in re convitium faciunt humano generi, cum ab omnibus orbis universi magistratibus, semper novi aliquid statuatur: nec aliter fieri oportet in quavis bene ordinata Republica.

Leges hodie condi nec observari vana calumniam.

Leges vero apud nos condi nec observari, si id generatim et confuse dictum sit, contumelia est, dirumque, et audax mendacium: si vero idem de aliquibus personis aut multis dicatur, non est nec nostri coeli nec nostri saeculi vitium.

Tac. An. 1.

Vel in illa, e qua cunctis exempla promuntur, Romana Republica *ob certamina potentium et avaritiam magistratuum invalida erant legum auxilia, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.* Offendunt te quaedam nostra aetate patrijs institutis non consona? at vero ullane actas vacavit a culpa? sunt ne temporum an hominum vitia? Nullo sane saeculo caruerunt optimaes leges et illis quibus religioni, et his quibus neglectui essent. Cautum erat anno 1374 a Ludovico Rege, *ut honores et dignitates, uti Palatinatus, Castell. Iudicia, Succam. officia non conferrentur, nisi talibus qui sint incolae terrarum regni, in quibus hujusmodi dignitates et honores consistunt.* Tamen eodem fere tempore *Otto Pilecius genere et virtute praestans qui nullas possessiones habebat in Majori Polonia contra leges Praefecturae ejusdem obtinuit.* Adhuc igitur plus fortasse demiraris jam illa ipsa tempestate, qua propemodum nascebantur leges, non ab omnibus religiose custoditas fuisse? Est vero quod magis mirare, quod denique illi lectissimi tota Republica viri, quos Romana civitas legibus condendis praefecerat, vix dum aereis duodecim tabulis sanctissimas incidere et promulgare leges, eas mox illi ipsi sceleratissimis pessunderunt exemplis *ut pessimam Decemvirorum famam memoriamque foedissimae potestatis reliquerint.* Appius ipse primus legum condendarum ergo creatus Decemvir, *penes quem regimen totius magistratus erat, deorum hominumque contemptor, expers et civilis et humani foederis, qui cum omnia iura populi obrisset, arreptus a viatore et in vincula duci jussus.* Nec major unquam Romae visa est aut magistratus improbitas, aut populi seditio, quam recentissima adhuc in animis legum heri promulgatarum specie. *Et si aestimare licentiam cujusque saeculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quam coram Catone peccatum est. Senec. Ep. 98.* Adeo nec novum est, nec uno in loco contingit, leges condi nec semper observari. Quarum perfecto cultu nullum adhuc imperium, nulla felix fuit hucusque Respublica. In hac vero ut in alijs, non pauca neglectarum, sed infinita custoditarum legum exempla et antiqua et recentia suppetunt.

Crom. lib. 13.

Liv. lib. 3.

quos *amicos, quos stipendiarios, qua quisque lege, conditione, foedere: tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum.* Ad quarum rerum perfectam notitiam ea sane sufficere possunt acta Reipublicae omnia quae hoc caeterisque exhibebuntur voluminibus. Cuncta hic reperiuntur, quae cum extraneis, quae cum civibus, quae bello, quae pace, quae in templis, quae in curijs et scire et exercere oportet. Jam vero quoniam nostra non interest, aut ad exactam harum legum custodiam publice cohortari, aut si quid contra patriae instituta usquam perpetratur censoria notare virgula; satis mihi erit saluberrimis aliquot hominum sapientissimorum monitis hanc de legibus lucubrationem concludere, quas gravissimorum virorum sententias non parum utilitatis legentibus allaturas existimo. *Magistratibus imperandi, civibus obtemperandi modum praescribunt leges.* Cicero lib. 3 de Leg. *Vere dici potest magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum.* Cic. lib. 3 de leg. *Si quid injungere inferiori velis, prius in te ac tuos recipias necesse est, quod jus ipse statueris; quo facilius omnes obedientes habeas.* Liv. 3 de cad. 1. 8. *Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est, et qui modeste paret videtur qui aliquando imperet dignus esse. Itaque oportet et eum qui paret sperare se aliquo tempore imperaturum et qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse parendum.* Cic. de leg. *Caeteris specimen esto, quod si est, tenemus omnia. Si velis replicare memoriam temporum, qualescunque summi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuisse.* Cic. de leg. *Quaecunque mutatio morum in principibus exstiterit, eadem in populo sequitur.* Id. ibidem. *Tum caetera paret turba libens, servit proprijs cum legibus auctor.* Sidon. Appollinar. *In commune jubes si quid censeres tenendum, primus jussa subi. Tuus observantior aequi fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum auctorem parere sibi.* Claudianus. *Facilius est errare naturam, quam ut dissimilem sui princeps possit formare Rempublicam.* Aur. Cass. 1. 3. Ep. 12. *Digna vox est Majestate regnantis, legibus se alligatum principem profiteri; et revera majus est imperio submittere legibus principatum.* Theodos. Impe. Leg. 4. *Cum possis omnia, sola tibi crede licere laudanda.* Cass. Ep. 16. *Plebem legi, legem principi subjectam esse, tirannica vox est.* Aenae. Sylvius. *Cum leges praescripsisti alijs, praescripsisti et tibi. Leges enim imperator fert quas primus ipse custodiat.* Ambros. Ep. 32. *Non facile obediunt legibus, qui se nimium felices putant.* Lang. in Poly. *Leges non debent esse tanquam araneorum casces, quos majores aves facile perrumpunt muscis.*

Allquot circa leges monita sapientissimorum hominum.

§. 15.

Cic. lib. 3. de leg.

Necessarium esse Senatori (inquit Cicero) nosse Rempublicam: idque late patet; quot habeat militum, quid valeat aerario, quos socios habeat Respublica,

duntaxat irretitis. *Lege enim nihil cunctis esse oportet communius.* Roterodamus.

Nemo tantae auctoritatis censendus est, ut qui leges transgressus fuerit inultus maneat. Nullum tantum beneficium in Republicam, neque homo quisquam, neque dolus aliquis, aut aliud quidpiam excogitari debet, cujus gratia qui leges violaverit, non luat poenas. Nullas adversus sceleratos illa vires habet Respublica, in qua venia et amicorum preces plus valent quam leges. Demost.

Nulla alia re quam hac una in contemptum veniunt leges, cum multae feruntur, et paucae executioni demandantur. Varsevitijs.

Duas ob causas in Republica omnes feruntur leges, tum ut nemini quidquam injusti liceat agere, tum ut ijs qui isthaec transgressi sunt, supplicio affectis, caeteri meliores efficiantur. Demost. in Aristog.

Lex justorum iniquorumque est distinctio, quae supplicio improbos afficit, defendit et tuetur bonos. Cic. lib. 2 de leg.

Leges non in bonos feruntur, boni non indigent legibus. Max: ser. de le.

Leges non omnia praescribunt, quid honestum quid turpe sit, ratio docet. Stobaeus Ser. 42.

Summum bonum, naturam sequi, et ejus quasi lege vivere: virtute tanquam lege vivere. Cic. lib. 2 de leg.

Vetustissimi mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coercionibus agebant, neque praemij opus erat, cum honesta suoapte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabatur. Leges primo rudibus hominum animis simplices erant. Tac. Ann. 8.

Corruptissima Republica, leges plurimae. Tac. Ann. 3.

Extremis temporibus magis exarsit libido novarum legum condendarum et antiquorum mutandarum. Quo fit ut hae propemodum exolescant, novae autem vix ac ne vix quidem inolescant. Crom. lib. 2 Descript. Pol.

Ut ante hac flagitijs ita nunc legibus laboratur. Tac. Ann. 3.

Contemptum affert crebra legum mutatio. Poririus. *Quod saepe mutatur in deterius labitur.* Tacitus Ann. 14.

Ubi multi medici, ibi multi morbi; ubi leges permissae, ibi plurimum est vitiorum. Laert. lib. 4.

E mutatis legibus manat perniciose consuetudo, non obtemperandi magistratibus. Perionius.

Tutius illi degunt, qui iisdem legibus etiam malis constanter utentes eodem modo Republicam capesunt, quam qui mutationibus gaudent. Thucyd. lib. 3.

Nec omnis lex, nec omnibus una commoda esse potest, quin necesse sit alia alijs statui, eaque pro ratione temporum et hominum plerumque mutari et variari. Sigism. I.

Leges senio atque situ emoriuntur. Gellius lib. 20. *Res tristissimae portenduntur a legum interitu et iuris occasu.* Arn.

Legum interitu imperij occasus appropinquat. Cic. *Sublatis legibus Respublica tollitur.* Aristoteles.

Ejusdem est leges dare et defendere. Carolus Magnus.

Legum defensores non oppugnatores esse debent principes. Langius in Poly.

Iucundissimum est libere in civitate versari, ubi leges obtinent summam libertatem: neque enim sublata libertate leges, neque rursus sublatis potest esse libertas. Campanus.

Legibus convenit auctoritas in homines, non hominibus in leges. Plutar. in Lacon.

Legi divinae nec derogare aliquid licet, nec abrogari potest, nec vero per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus. Lact. lib. 4.

Intercessor rei malae, civis salutaris esto. Cic. lib. 3 de leg.

Constat profecto conditas esse leges ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, ad vitam omnium quietam et beatam.

Quam a Deo Opt. Max. uti cunctis ex animo precor, ita in continuando hoc utilissimo toti Reipub. opere, vires omnes alacritatemque devoveo. Stanislaus Konarski Scholarum Piarum. Varsaviae anno 1732. XV. Kal. Septembris.

TESTIMONIUM

IOANNIS ŁASKI CANCELARIJ REGNI DEINDE ARCHIEPIS. GNESN. ET PRIMATIS, DE LEGE SUPER CANTICO „BOGARODZICA.“

Tametsi aeraria Regni publica velut antiquitatum domicilia, monimenta contineant admiranda, in privilegijs et vetustissimis scriptis, bullis aureis, metallinis et cereis signatis; tamen tam ex illis, quam Sacrarum Aedium testimonijs constat, non alium quam Divum olim Adalbertum Rosensium de Bohemiae Pragensi in Gnesnensem Metropolitanam ecclesiam translatum, et tanquam Polonorum Apostolum, primam sed Divinam Regibus et nationi Poloniae Sanctionem sub uno cantici contextu Dei Genitrix, quod vulgari Polonico BOGARODZICA legitur, edidisse, quod canticum ipso olim sanciente Praesule, Regibus quoque et universis Regni Proceribus (ex praecepto et consuetudine laudabili) approbantibus, initijs bellorum in Regno Poloniae praeponi consuevit. Sic quoque scimus ex privilegio veteri sub ejus concentu bellorum initijs signa dari. Post illud non reperi quidquam constitutum publicitus, usque ad tempora etc. in praef:

Bogarodzica Dziewica Bogiem sławiona Maria, U twego syna Gospodzyna, Matko zwolona Maria. Ziści nam, spuści nam, Kiryeleyson.

Twego Syna Chrzciciela zbożny czas: usłysz głosy, napelni myśli człowiecze: słysz modlitwę, ienże cię prosiemy.

To dać raczy, iegoż prosiemy: day na świecie zbożny pobyt, po żywocie Rajske przebył: Kiryeleyson.

Narodził się dla nas Syn Boży, w to wierzy Człowiecze zbożny, iż przez trud Bog swoy lud, odiał Diabłu strożę.

Przydał nam zdrowia wiecznego: Starostę skował pie-

kielnego, śmierć podiał wspomnioną człowieka pierwszego. Tenże trudy cierpiał bezmierne, ieszcze był nie przyspiał za wierne, aliści sam Bog Zmartwychwstał.

Adamie, ty Boży Kmieciu, ty siedzisz u Boga w wiecu, domieść nas swe dzieci, gdzie kroluą Anieli.

Tam radość, tam miłość, tam widzenie Tworca, Anielskie bez końca, tuć się nam ziawiło Diabla potępienie.

Ni srebrem, ni złotem; nas diabłu odkupił, swą mocą zastąpił, dla ciebie człowiecze, dał Bog przekłóć Bok, Ręczę Nodze obie, Krew Świętą swą z Boku na zbawienie tobie.

Wierze w to człowiecze, iż Iezu Chryst prawy, cierpiał za nas Rany, swą Świętą krew przelał za nas Chrześciany.

O duszy, o grzeszney, sam Bog pieczę ima, Diabłu ią odeyma, a gdzie sam przebywa, tu ią ksobie przyima. Iuż nam czas godzina, grzechow się kaiać, Bogu chwaię dać, ze wszemi silami Boga miłowaci.

Maria Dziewico, proś Syna twego, Krola Niebieskiego, aby nas uchował ode wszego złego.

Wszyscy Święci proście, nas grzesznych wspomóżcie, byśmy z wami byli, Iezu Chrysta chwalili.

Tegoż nas domieści, Iezu Chryste miły, byśmy z tobą byli, gdzie się nam raduą wszystkie niebieskie siły.

Amen, Amen, Amen, Amen, Amen, Amen, Amen, tak Bog day, byśmy poszli wszyscy w Ray, gdzie kroluą Anieli.

LEGES

STATUTA, CONSTITUTIONES

PRIVILEGIA

REGNI HUNGARIE, MAGNI DUCATUS LITHUANIE

GENERICIS PRIVILEGIORUM A COMITIBUS VINDOBONENSIBUS

REPUBLICAE BOHEMIE AD USUM REGNI HUNGARIE

AD SERENISSIMUM POTENTISSIMUM

AUGUSTUM II.

POLONIAE REGEM.

VOLUMEN PRIMUM

ab anno 1847 ad annum 1847

ACTA REIPUBLICAE CONTINENS.

WARSZAWA 1847

Wydawnictwo...

Wydawnictwo...

AD

SERENISSIMUM POTENTISSIMUM

CASTRIS
AUGUSTUM II.

POLONIÆ REGEM,

MAGNUM DUCEM LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIJOVLIÆ,
VOLHYNIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNIECHO-
VIAEQUE, DUCEM SAXONIÆ ETC. ELECTOREM S. R. I.

*Cum singulari Dei Opt. Max. erga hanc Rempu-
blicam beneficio, trigesimum jam sextumque annum
Rex Potentissime, imperij hujus iura et libertatem
tueris, dubitandum nobis nullatenus fuit, opus quoque
hoc praestantissimum, quod universae Reipublicae
administrationem continet, et pergratam Majestati
Tuae, et Regio Tuo fore non indignum praesidio.
Jure autem optimo haec omnibus numeris absoluta
Polonarum legum collectio Augusto Nomini Tuo dicari
consecrarique debuit, cui et ipsae quod vigeant de-
bent leges. Tuum profecto munus est, quod his tem-
poribus sit longe florentissima omnis Reip. disciplina.
Pax siquidem et tranquillitas publica, qua magis
diuturna imperio huic nunquam obtigit, Tuis auspi-
ciis, sapientiaque firmissime stabilita id effecit, ut
ad pristinum splendorem patrium jus integre resti-
tuerit, et suam vim saluberrimis majorum institutis
reddiderit. Ut enim belli tempore conticescunt leges,
ita armis cessantibus earundem studia maxime efflo-
rescere solent. Adeoque hac tempestate, qua omni-
bus Regni Tui provincijs dulcissimam quietem imper-
titus es, Rex Auguste,*

*Firmatur senium juris, priscamque resumunt
Canitiam leges, emendanturque vetustae,
Acceduntque novae: talem sensere Solonem
Res Pandioniae, sic armipotens Lacedemon
Contempsit muros, rigido munita Lycurgo.*

CLAUDIANUS.

*Tanto autem major sanctissimis hisce institutis
accedit religio, quanto et ipse libentius ad caeterorum
exemplum auctoritati legum Tuam ultro submittere
non dubitas Majestatem; ut nedum primus condenda-
rum sis Auctor, sed et observandarum regula. Quam-
obrem egregie ostendis, ipso majus esse imperio le-
gibus sponte subdere principatum; atque ita demum
fieri, ut nulli sit gravis jussio, quae constringit et
principem.*

*Ita cum ipse omnia Majestatis exerces jura e prae-
scripto legum, eadem ut exacte serventur ab omni-
bus, nulli Te labori parcere, vires omnes eo inten-
dere, contemptisque pro bono et salute cunctorum pro-
prijs commodis, Tuae Te oblivisci propemodum vitae,
omnes non sine intimo animorum sensu videmus, et
satis demirari non possumus. His ergo meritis, huic
indefessi principis curae, huic imprimis pacatae ab
Augusto patriae jucundissimo debetur otio, religione,
legibus, militia, opibus, artibus, universa optime
constituta Respublica.*

*Interest ergo maxime cum totius Reip. cujus haec
cuncta felicitas dependet a salute principis, tum
omnium privatorum, qui aequae fruuntur eodem incre-
dibili bono, ut singuli Majestati Tuae, tranquillae
diuturnitatem, omnemque fortunam imperij ex animo
optemus, et divinitus comprechemur,*

MAJESTATIS TUÆ

Fideles infimique subditi,

Collegium Varsaviense
Scholarum Piarum.

De reo citato non comparante.

Cum omnes constitutiones et statuta legem imponant rebus et negotijs praesentibus, et futuris, et non praeteritis, volumus, ut omnes nostrae constitutiones, editae nunc in colloquio generali in Vislica, non respiciant praeterita; sed tantummodo praesentia et futura. Unde si quis ad iudicium citat aliquem, pro haereditate, aut pecunia obligata, et ipsum ad iudicium evocavit, etsi tunc reus in termino peremptorio non parebit, actor lucrabitur nominatam pecuniam, aut haereditatem pecunia nihilominus reo restituta.

3 De fluvii aut rivuli fluxu seu alveo novo et antiquo alias rzezczysko haereditates limitante.

Crebra altercatione inter nostros subditos, super limitibus in haereditatibus ipsorum distinguendis, graves suscitantur quaestiones: ex quibus augentur expensae et labori nimio interdum supponuntur discordantes. Et quia fluvij et fluviorum alvei ut plurimum, inter haereditates, possessiones, et villas fluunt et habentur, unde si quae villae, haereditates, invicem conveniunt aliquo fluvio, vel rivo mediante, si inter easdem haereditates non sunt limites de jure facti, tunc illa quaelibet haereditas, suam teneat ripam illius fluminis seu rivi ad ipsam haereditatem protensam, et idem fluvius, seu rivus pro limite semper sit habendus, qui fluvius, seu rivus si etiam omissio primaevae alveo per alia loca suum divertit meatum seu defluxum, sine ministerio hominis, sed propria virtute naturali, nihilominus ejusdem fluvij primaevus alveus, ubi ante decursus aquae fuit, versus limes haereditatum illarum erit: in quo antiquo fluvio seu rivo, alias antiqui fluvij alveo, homines utramque villam, seu haereditatem illam inhabitantes licite suas facient piscaturas: prout faciebant tunc cum aqua suum primaevum seu antiquum cursum in eodem antiquo alveo habuit. Sed si fluvius seu rivus hujusmodi per hominis industriam, aversus esset ab antiquo cursu, et alveo ut in alium novum infueret alveum, tunc ille novus alveus haereditates limitabit, dabit quoque sic ut antiquus ille alveus dare consuevit unam ripam uni haereditati, alteram alteri, quam alluit, quo casu dum per hominis industriam fit fluminis aversio, una haereditatum ipsarum, illa videlicet in qua remanet antiquus alveus, omnem et integram habeat proprietatem in alveo, et ripis antiqui fluminis seu rivi.

De eo quod quilibet in bello sub certo vexillo se locare teneatur.

Jus militare admonet, ut attendamus et super id constituamus, quod quidam ex nostris Baronibus, nobilibus, caeterisque subditis, cum in castris contra hostes positi fuerint, omni abjecto rubore cum omni nobilium strenuitate communicantes, sub nullius vexillo neque ali-

cujus ditione nostri exercitus, se locare praesumunt, aliquando ad hunc praesertim finem, ut machinarum et propugnaculorum, caeterarumque rerum bellicarum, aut ipsius exercitus custodiam, vel vigiliam nocturnam evitent et defensionem, quam caeteri commilitones, et fratres ipsorum sub certis vexillis locati secundum modum inter ipsos ordinarent, idcirco quoniam turpis est pars quae suo non congruit universo, statuimus ut quilibet miles, aut simplex sub certo vexillo erecto, cum sua statione conquiescat, ut ingruente necessitate belli, et dimicationis cum hostibus, sciat capere locum certum, magisque animadvertere pro sui vexilli defensione: alias volumus, quod si tales amplius in nostro exercitu hujusmodi fuerint inventi, per Succamerarium terrae, seu districtus in quo degunt, et militant capti, Nobis praesentabuntur. Equi vero eorum eidem Succamerario, pro ipsa culpa, et delicto applicentur.

De victis aut condemnatis in iudicio, si illico non satisfecerint et recesserint, capiendis.

Quia victus tenetur victori satisfacere de evictione et condemnatis, neque de iudicio prius recedat, nisi satisfaciatur, de eo in quo est condemnatus; quidam tamen rebellionem, aut inobedientiam ducti, nescitur quo animo, de iudicio recedunt condemnati, pro debito nullam satisfactionem adversariis impendentes, quapropter volumus quod tales inobedientes, de malitia ipsorum commodum non reportent, postquam convicti fuerint in iudicio, ad manus suorum adversariorum ligati tradantur. Etsi in captivitate manentes effugerint, a potestate ipsorum, sicut liberi et absoluti ipso facto, et omni debito quod tenentur et obligantur, praeter debitum furti: quod semper condemnati solvere tenebuntur.

De pignoribus ad iudices pertinentibus, non distrahendis, sed per certa tempora servandis.

Ut in rapinis aut pignoribus nostrorum subditorum aliquis modus habeatur et observetur, consueverunt hactenus avari iudices, et eorum officiales, ut postquam pro poenis, aut mulctis in iudicio condemnatis, aliquos pauperes aut nobiles cujusvis status impignerant et obligant, statim pignera et spolia dividunt, nullam gratiam et benevolentiam pignerato facientes. Itaque: benevolentiam, cum pignerato facientes, ad succidendam et amputandam hanc consuetudinem perniciosam, eamque observare amplius nolentes, ac prohibentes, statuimus, ut si quis Judex, Palatinus, Castellanus, aut ipsorum officiales, vel maleficiorum Judex, qui *oprawca* dicitur, aut alius quicumque pro poenis judicialibus per eos latis, aut alijs excessibus aliquem nostrum terrigenam, divitem, vel pauperem, nobilem vel simplicem, impigneraverint, vel pignerare jusserint, pignera in equis, pecudibus, aut in alijs substantijs quibuscumque sic re-

cepta non distrahendo, vel minuendo, si fuerint in aestivo tempore duabus septimanis integris, si autem hyemali tempore, octo diebus illibata per recipientem debeant observari: sive juste pignerati fuerint, vel indebite, rapina in eos commissa. Etsi extunc per illum, vel illos, quorum, vel ejus sunt pignora, pro commissis poenis non fuerint illis qui pigneraverunt satisfactum, vel suam innocentiam non ostenderint, tandem licitum sit illis, qui pignera detinent, illa distrahere, dividere, et pro libera ipsorum voluntate convertere. Quodsi tales iudices, aut alij superius nominati, eorum avaritiae non parentes, infra praedicta debita tempora, inter se dividerint, aut dissipaverint, vel etiam alienaverint unum animal de praedictis, damna passo juxta valorem animalis deperditi, quod suo comprobabit juramento, cum poena *piatnadziesta* tenebuntur restituere. Hoc statutum salubre, propter nostrorum iudicum et procuratorum rapinam enormem, quam saepius committunt ad ipsos: et ad iudices eorum extendimus et promulgamus.

De filijs proprium sigillum viventibus patribus non habituris.

Quia filij cum patribus una persona jurisdictione censentur, ideoque statuimus: quod viventibus patribus filij duntaxat sigillo paterno utantur, et aliud portare, vel habere non praesumant.

De scultetis, tam spiritualium, quam saecularium personarum ad bellum ituris.

Quia onus praesertim quod omnes tangit inter plures divisum facilius deportatur. Quapropter statuimus, quod indifferenter omnes sculteti tam spiritualium, quam etiam saecularium personarum juxta ipsorum facultates ad quamlibet expeditionem nobiscum transire teneantur.

De clericis bona haereditaria habentibus ad bellum ituris.

Cum jure suo nullus debeat defraudari, et quia plerique clerici nostri Regni bona patrimonialia tenentes et habentes de ejusdem bonis sub umbra clericali viventes, nobis et nostro Regno servitia debite facienda in expeditione subtrahere consueverunt; ideoque statuimus quod iidem clerici nostri Regni cujuscumque status existant, praedicta patrimonialia bona tenentes, vel nobiscum ad quamlibet expeditionem transire teneantur, juxta praedictorum bonorum facultates, vel eadem bona proximis suis fratribus laicis resignare et dimittere, et eisdem renunciare. Quodsi praefati clerici neutrum illorum facere curaverint, praedicta bona decrevimus et praesentium auctoritate decernimus, perpetuis temporibus nostro Regno applicanda.

De dominabus et virginibus quae citant aliquem aut citantur ab aliquo.

Ut dominarum habitatio propter fragilitatem

sexus a caetibus virorum omnimode sit distincta, et ne ad causas vocatae, premant se in turmis et conventibus masculorum, sanxit nostra auctoritas de praesenti, ut si quae domina, sive virgo citans, aut citata venerit ad terminum sibi praefixum, iudex praesidens iudicio officialem suum cum ejus adversarios ad hospitium illius dominae mittere teneatur, coram quo actionem sive defensionem suae causae advocato, vel suo procuratori cui placet, in toto delegabit.

De advocatis, procuratoribus, et proloquutoribus in iudicijs habendis cui expedit.

Quia cuilibet sua defensio et tuitio (cum juris sit naturalis) non est deneganda; ideoque statuimus quod in iudicijs nostri Regni, quilibet homo cujuscumque sit status et conditionis, potest et debet habere suum advocatum procuratorem, seu prolocutorem.

De iudicibus cujuslibet terrae ad Curiam Regis venturis.

Quia ex multiplicitate iudicium, prout experientia nos edocuit, in causis super eodem facto, variae et diversimodae, plerumque sententiae proferebantur; ideo volentes certum numerum statuere iudicum, et occurrere varietati praedictae; statuimus quod unus in Cracoviensi, et alter in Sandomiriensi Terris, iudices nostri habeantur: itaque dum nos contigerit, alienius terrarum earundem limites subintrare, volumus quod iudex et subiudex terrae, infra cujus limites morabimur in Curia nostra de causis iudicare, et cognoscere teneantur, declarantes potestatem eorundem iudicum, quod deinceps in quibuslibet causis magnis, etiam haereditariis, terminos ultra tres septimanas non possint nec valeant assignare, sed cum quaestio fuerit haereditaria, iudex vel subiudex eandem quaestionem teneatur nobis referre, cujus cognitionem in nostra Baronumque nostrorum praesentia volumus, et decernimus pertractari. Et si aliquo impedimento fuerimus praepediti, tunc sex, vel ad minus quatuor Baronibus, per Nos iudici et subiudici adjungendis, ipse iudex cum subiudice, una cum dictis Baronibus ad eandem quaestionem, seu causam haereditariam definiendi et cognoscendi habeant plenam facultatem.

De iudicibus Palatinorum.

Item ut Palatini certo numero suorum iudicum sint contenti, statuimus quod secundum tempora antiquiora Palatinus Sandomiriensis uno, et Palatinus Cracoviensis pariter uno, suis iudicibus contententur, declarantes, quod pro capite quolibet Castellanicorum iudices quilibet in sua Castellania iudicandi, et cognoscendi habeant facultatem.

De iudicijs duntaxat a mane, ad horam nonam tractandis.

Prava consuetudine noscitur esse observatum,

quod sine temporum et horarum differentia et distinctione, per iudices iudicia celebrabantur; et ita plerique non aliter ad causas veniebant pertractandas, quam post prandium repleti, et inebriati; propter quod iudicium parvipendebatur et debilitabatur, reverentiaque iudicis minime observabatur nec ad veritatem aliquis habebatur respectus. Itaque decernimus et volumus, ut certis temporibus, sive horis, et cum debita animi discretionem iudicia pertractentur et observentur, et quod deinceps iudices diebus terminorum et ad praesidentium consuetis a mane usque ad horam nonam, sive ad meridiem in quibuslibet causis debeant praesidere, et causas pertractare; etsi primo die terminorum ad horam meridiei omnes litigantes in causis et litibus ipsorum non poterint expediri, volumus quod absque alicujus causae vulneratione aut abbreviatione, diebus proxime sequentibus praesidendo duntaxat ad horam praedictam omnes et singuli litigantes debito modo secundum ordinem infra scriptum expediantur.

8 **Quis modus et ordo sit servandus in personis vocandis ad iudicium.**

Et ut facilius et sine clamore vel strepitu causarum expeditio habeatur; statuimus quod ad locum audientiae, in quo iudices praesident, non secundum merita personarum, nec secundum majoritatem, vel minoritatem causarum, sed secundum ordinem litigantium, tantummodo actor, vel reus vocati accedentes, per iudices audiantur et expediantur. Ordinem autem in vocando ipsos litigantes ad praesentiam ipsorum iudicum, taliter duximus describendum; quod scriptor causarum, sub poena privationis sui officii, non aliter quam secundum ordinem citationum, litigantes per ministerialem vocandos pronuntiabit seu nominabit; ita quod qui prius ad causam provocaverit, prius nominetur et expeditur, et sic deinceps, videlicet qui secundo loco, similiter loco sequenti, et taliter donec ad extremos procedatur. Quod si altera partium vocata, se praesidentibus non exhibuerit, sive quovis casu fuerit impedita et tribus vicibus evocata, tunc mox pars adversa quae fuerat praesens de audientia removeatur; et alii litigantes, secundo loco inscripti nominentur, et ad audientiam evocentur. Et nihilominus pars quae fuerat absens, et tribus vicibus evocata, si circa extremam horam meridiei iudice quasi surgere volente, iterum et secundo tribus vicibus evocata, non curaverit parere, extunc condemnatur. Si quis autem eo tempore, quo iudices praesideant, ad locum in quo praesident, praeterquam ad petendam citationem, vel de speciali ipsorum iudicum licentia, et mandato quavis praesumptione vel temeritate, intrare praesumpserit, absque aliqua remissione poena quae dicitur, *pietnadziesta* per iudices puniatur.

Quibus in locis debent iudicia celebrari.

Quia plerumque habentes jurisdictionem a casu

et pro libito suae voluntatis consveverunt ad iudicium acceptare vel eligere sibi loca quilibet indeterminate, et ideo ut quisque suis terminis sit contentus, statuimus quod Cracoviensis Castellanus in tribus duntaxat locis, videlicet in Cracovia, in Andrzejow et in Wieliczka sua debet et tenetur iudicia pertractare, alias tanquam a non suo iudice, quidquid factum fuerit vel iudicatum, nullam habeat facultatem, idem de Castellano Sandomiriensi, et alijs fieri statuimus.

9 **Quibus modis ministeriales citare debeant.**

Quoniam ex modo citationis nonnulla gravamina et oppressiones per nostros iudices seu officiales, nostris subditis evenire consveverunt; et ideo eisdem gravaminibus et oppressionibus volentes obviare, statuimus ministeriales seu officiales per nos seu quoslibet iudices deputandos fore, et esse in hunc modum formandam vel faciendam citationem; quod ipse ministerialis cum suo solito baculo accedere debet ad domum seu ad portam ejusdem domini, suo baculo tangendo et clamando eundem citet, literasque citationis porrigat: exponendo nihilominus in dicta citatione contenta, de cujus videlicet iudicis mandato, et ad cujus instantiam et propter quam causam fecit eandem citationem. Si autem ejusdem villae villani et ipse dominus villae fuerint simul culpabiles, volumus quod eodem modo tangendo portam cujuslibet villani seu kmethonis, clamando faciat simili modo ut praemissum est citationem. Qui villani si non fuerint culpabiles in delicto sui domini, volumus et prohibemus omnino quod per eandem citationem quomodolibet non graventur nec fatigentur. Tamen plerumque in contemptum et odium domini villae, et ex rancore consveverunt aliqui, villanos indebito fatigare et molestare. Quare huic morbo mederi volentes, statuimus quod quandocumque ipsos villanos absque justa et legitima ratione citatos et vocatos esse constat, quod ille extrahens citationem, et qui hoc malitiose procurat, puniatur poena, quae dicitur *pietnadziesta*. Et eodem modo volumus fieri citationem praedictam, ubi sine delicto domini villae ipsius fuerint villani communiter vel divisim culpabiles, vel delinquentes, ita quod ad portam tangendo quemlibet ipsorum citare teneatur, modo et ordine superius expresso, cessante qualibet oppressionem suprascripta.

De his qui inopinate et ex improvise citantur in Curia Regis, vel ad iudicium evocantur.

Praeterea cum in deliberatione consistat mater virtutum ipsa discretio, contingit plerumque, quod aliqui nostri familiares, vel alij quomodolibet in Curia nostra constituti, vel in iudicio arrestati, inopinate ad nostram vel iudicis audien-

9

10

tiam evocantur, et quaestiones de quibus minime cogitaverunt eisdem moventur, ideo parti utrique providere cupientes, et ut dicto modo citati, cum bona deliberatione et discretionem super propositis respondeant, neve actores suis quaestionibus sive causis frustrentur; statuimus quod cum aliquis in nostra Curia vel in iudicio inventus, et ad nostram vel nostri iudicis praesentiam fuerit modo praemisso evocatus, actor seu ipse iudex quaestionem sive causam debite citato exponere, et in scriptis tradere teneatur, et ad respondendum eidem quaestioni, ut alias prius. Si quaestio fuerit haereditaria, vel pro magna pecuniae summa, scilicet pro quadraginta marcis, terminus videlicet trium septimanarum, per iudicem eidem assignetur, alias si pro minori debito, vel pro injuria verbali, in crastinum terminus prorogetur.

De citationibus ministerialium sine jussu iudicis.

Flebili querela saepius recepimus, quod Ministeriales per terram girantes et cursitantes, pauperes villanos vel religiosorum villas, aut pauperes milites, caeterosque subditos nostros fatigandi vel vexandi modos exquisitos adiaverint, ita quod si alicujus villae pauperes milites, aut villani religiosorum, eos pro beneplacito ipsorum officialium, quibuslibet expensis non pertractant, nec procurant, ijdem ministeriales ipsos pauperes, nobiles, aut villanos sine culpa seu causa, et absque iudicis praeepto citant, occasione vexationis faciendae, terminos eis pro libito suae voluntatis assignantes; sicque, ijdem pauperes milites seu villani volentes redimere hujusmodi vexationes, et molestationes saopissime de certa pecuniae summa cum eisdem componunt. Unde nos hujusmodi malitiae et maginationi obviare volentes, statuimus quod deinceps ministeriales sub poena privationis sui ministeriatus et privatione omnium suorum bonorum absque speciali iudicis mandato aliquam citationem facere non praesumant, alias praemissam poenam et in facie adustionem et notationem non immerito poterint formidare.

De his qui cum strepitu et impetu ad iudicium veniunt in amicorum causis.

Plerumque sit quod aliqui propter causas consanguineorum vel familiarium suorum ad iudicia venientes per strepitum et importunam ipsorum acclamationem et infestationem sententiam seu victoriam causarum reportare consveverunt; unde super hoc providere volentes, statuimus quod deinceps nemo, cujuscumque status vel conditionis existat, propter causam consanguinei, vel familiaris aut servitoris ad iudicium venire tali modo non servata quadam reverentia et discreta decencia praesumat, quod si quisquam contra facere praesumpserit, poena quae dicitur *pietnadziesta* nostrae Camerae applicanda puniatur.

11

De his qui citati se excusant per dominos, referendo se ad illos tamquam pro alterius criminis citarentur.

Contingit etiam, quod dum aliqui pro quibusdam criminibus et delictis ad nostram audientiam evocantur, nominant dominos et quoslibet ipsorum superiores, allegantes, quod auctoritate et mandato suorum dominorum et superiorum huiusmodi crimina et delicta commiserunt. Verumtamen quamvis aliquibus temporibus, contra rationem fuerit observatum, quia hujusmodi malefactores per eandem nominationem a poena liberabantur, quae nominatio continet in se errorem intolerabilem, ex eo, quod directe contrariatur praeepto Divino. Unde Nos attendentes quod peccata teneant suos tantummodo actores, et secundum canonicam aequitatem nominatio in delictis non vindicat sibi locum, nec liberat delinquentem, ostensio auctoris delicti; statuimus quod citati pro quibuslibet criminibus et delictis in nostro iudicio iudicentur, et respondere teneantur, et convicti debita poena puniantur; non obstante praedicta qualibet nominatione, etiamsi super hoc privilegij nostris vel nostrorum Praedecessorum essent communiti, quae quantum ad hoc, ut perniciosa et erronea cassamus, irritamus, revocamus. In haereditarijs vero et alijs quibuslibet quaestionibus citati et in nostro iudicio nominati, tales si nostram jurisdictionem declinare voluerint, nolentes easdem quaestiones in se recipere, decernimus quod extunc praedicti citati, cujuscumque status et conditionis existant, habeantur pro convictis.

Nullus debet citari, nisi per ministerialem excepto ubi sit pro crimine recenti.

Possibilitas hoc dictat rationis, quod iudices in exercendis suis iudicijs habeant suos certos ministeriales, seu officiales; quapropter statuimus quod penitus nullus iudex per aliquam aliam personam quam per certum suum officialem seu ministerialem faciat et expediat suas citationes. Milites autem superiores per literas, excepto hoc si aliquod crimen in iudicio, vel in Curia iudicij recenter et de novo committatur, tunc pro hujusmodi crimine, per quemlibet familiarem, contra tales, liceat fieri citationes.

De illo qui extrahit et procurat contra aliquam citationem sine legitimo actore.

Praeterea quicumque praesidentes aut ipsorum officiales vel eorum familiares, aliquos malitiose laboribus et expensis gravare volentes, cupientesque et elaborantes emungere et extorquere aliquid pecuniarum aut rerum ab innocentibus pro vexatione redimenda quamvis penitus nihil habeant causae, seu quaestionis adversus eosdem, faciunt et procurant diversas citationes, finguntque et dictant causas; idcirco statuimus quod si quis citaverit vel procuraverit aliquem sine legitimo actore, vulgariter, *bespowoda*, taliter citans vel procurans talem ci-

12

8

tationem poenam *pietnadziesta* solvere citato teneatur, prohibentes nihilominus Castellanis et quibuslibet iudicibus et subjudicibus, quod deinceps sine certo actore et causa expressa, non debent decernere, nec dare aliquas citationes.

De illis qui sunt in remotis partibus, qualiter sunt citandi.

Dum aliquis pro haereditate citatur, et comparans in iudicio malitiose opponit, quod Petrus vel Joannes in remotis partibus est constitutus, cohaeres ejusdem haereditatis, cum tamen forsitan idem Petrus et Joannes nihil juris habeat ad eandem; ideo ille citatus dicit se non teneri respondere, pro eadem haereditate, propterea quod Petrus et Joannes cohaeredes sui agerent in remotioribus; quapropter statuimus quod taliter Petrus vel Joannes in iudicio nominatus de mandato iudicis, in aliquo eminenti loco, vel circa parochiam, de qua parochia est haereditas, pro qua eadem quaestio movetur, per ministerialem tribus vicibus publice proclamando, ad prosecutionem seu defensionem causae ad certum locum et terminum debet citari. Quo non comparente ipsius contumacia seu absentia non obstante, ad decisionem seu definitionem causae, licite per sententiam definitivam procedatur.

13 De pignoratione quot boves sunt recipiendi pro contumacia.

Experientia nos edocuit, quod quandoque non contumaces, pro contumacibus, vel ipsi contumaces, etiam modum et illud quod justum et aequum est excedendo, pro contumacia puniuntur et gravantur, in eo videlicet: quod dum in aliqua villa pignora recipiuntur, ubi sex boves fuerint recipiendi, triginta vel quadraginta recipiebantur; et antequam ad locum debitum depellebantur, per modum rapinae in non modicam pauperum destructionem dividebantur et consumebantur; ideoque ad subveniendum huic morbo pestifero; statuimus et ordinamus certam quandam mensuram et observantiam, videlicet: quod pro prima contumacia puniendi, ministerialis cum duobus famulis iudicis ad villam accedens, sicut alias praemissum est, si dominus villae tantummodo fuerit culpabilis, in duobus bobus duntaxat impigneretur; si autem kmethones aut villani extiterint culpabiles et citati contumaces, quilibet eorum tantummodo in uno bove pigneretur. Et idem decernimus, pro secunda contumacia esse faciendum et observandum. Si autem tertio dominus cum villanis fuerint contumaces, decrevimus quod contumax causam pro qua dignoscitur esse citatus, perdat et cedat ab ea per sententiam indicantis. Declarantes nihilominus, quod dicti boves pignoratitici per ipsos iudices in aestate duabus septimanis, in hyeme vero diebus octo, absque aliqua distractione observentur; volentes denique et decernentes, quod dicti boves pignoratitici sine poena cujuslibet contumaciae, tantummodo nobis et iudici nostro applicentur. De-

cernimus etiam et statuimus, quod si praedicto ministeriali deputato ad eandem pignorationem cum familia ipsius iudicis villa pignoranda per dominum villae et villanos non permittatur pignori, juxta praedictam seu praemissam imitationem, vel si ipsa pignora habita per eodem dominum aut villanos in villa vel ante villam, seu in via recipiantur violententer, dolum et rebellionem eorum puniendo, volumus quod poenam *pietnadziesta* quae dicitur xv, alias ijdem rebelles nobis et iudici solvere teneantur; et nihilominus cum alia poena *siedmadziesta* eadem pignora denegata vel violenter ablata integraliter observare aut assignare teneantur; qui si in dandis pignoribus praedictis et in satisfaciendo de poenis praedictis fuerint dolosi et rebelles, ita quod forte iudex propter potentiam eorundem ad puniendum et pignorandum eosdem pavesceret, volumus et decernimus, quod poena *siedmdziest* dicta nostrae Camerae applicanda puniantur.

De pignoratione et modo pignorationis.

Praeterea, quia per frequentem et immoderatam pauperum pignorationem plerique ipsi plurima damna et oppressiones multiplices patiuntur, videlicet in eo, quod catervatim et in turmis, non per modum justitiae potestatis, ad aliquam villam pignoratores accedentes, damnabiliter, et interdum absque iudicis mandato, et sine culpa domini villae vel villarum committere plurimas praesumunt rapinas, praetextu pignorationis; quapropter super hoc providere volentes; statuimus quod deinceps iudex vel subjudex ad impignorationem faciendam non plures quam duos familiares cum ministeriali transmittat. Et quod sine culpa vel causa, aut non condemnatos, seu convictos, aut in iudicio non confessos ipse iudex vel subjudex non praesumat, nec permittat pignorare; quod si ipse iudex, vel aliqui alij quavis auctoritate, vel potius propria temeritate, vel praesumptione pignorare, vel potius rapinas committere praesumant, praecipiendo decrevimus, quod pecora vel quaelibet alias res ratione impignorationis ablata et recepta, iudex domino villae, vel villanis villae ejusdem asserentibus se indebite et contra justitiam esse pignoratos, remota et cessante qualibet difficultate, eadem pignora integraliter et ex toto (praemissa tamen, et recepta fidejussoria cautione) restituere teneantur, termino eidem villae domino, aut villanis pignoratitici, ad ostendendum suam innocentiam et justitiam assignato, et nihilominus, ut audacia et temeritas pignorantium restringatur, decernimus; quod dum praemisso modo patefacta fuerit eorum innocentia, iudex et subjudex qui teneant jurisdictionem, ab omnibus et singulis qui fuerint in dicta impignoratione, vel potius rapina, qui vel auxilium praestiterunt, et a quolibet illorum in speciali, recipiant poenam *pietnadziesta*, domino villae pignorato damnumque passo, persolvendam.

De poena siedmdziest quando sit decernenda.

Ut itaque certa mensura et regula de poena quae consuevit nostro fisco, sive nostrae Camerae applicari, quae *siedmdziest* dicitur habeatur; statuimus quod totum in quatuor casibus infra scriptis, et non in pluribus nostrae Camerae applicetur. Primus casus est, pro incendio, ut dum aliquis de incendio accusatus, juxta formam juris legitime se non poterit expurgare. Secundus casus, ubi aliquis de violentia, sive spolio publicae stratae accusatus fuerit et defecerit in sui expurgatione. Tertius casus ubi aliquis iudicium nostrum parvi pendens coram iudicio cultellum vel gladium praesumpserit extrahere. Quartus casus, cum aliquis iudicatus et condemnatus jussusque satisfacere, vel sufficientem fidejussoriam cautionem facere contempserit, et de iudicio per suam rebellionem discesserit, non praestita praedicta cautione; volumus quod praedicta poena in praemissis quatuor casibus nostrae Camerae applicetur.

De contumacia actoris et rei.

Actor faciat et procuret ad causam reum citari, reo itaque in termino comparente, actore totaliter se absentante, decernimus, ob contumaciam actoris, quae est major quam rei, ipsum reum causam obtinuisse. Si autem reus parere in termino sibi assignato non curaverit, actore per se vel suum nuncium comparente, decernimus, quod pro hujusmodi contumacia reus duorum boum poena mulctetur.

De his qui pro haereditate, aut debitis citantur.

Licet in pluribus casibus celeritas commendetur, tamen eadem celeritas, in iudicijs et causis expediendis rationabiliter quandoque non est observanda, sed potius amplianda et dilatanda. Ex eo, quod iudicantem cuncta oportet rimari; ideoque statuimus, quod si aliquis super capitali haereditaria quaestione, primo, secundo et tertio citatus non comparuerit, a iudicioque se contumaciter in termino sibi assignato absentaverit, tunc ob contumaciam ejusdem citati, actor in termino tertio et peremptorio, per iudicem admittatur sententia definitiva mediante in veram ejusdem haereditatis possessionem, et ab omni jure ejusdem haereditatis et ipsius qualibet venditione per iudicis sententiam reus decernatur et pronuntietur cecidisse. Si autem quaestio erit personalis, puta pro pecunia debita, aut quibuscunque rebus obligatis, et primo, secundo et tertio termino citatus contempserit, vel in termino parere neglexerit sibi assignato, decernimus quod tunc creditor quarumlibet rerum obligatarum sibi post certum terminum per sententiam iudicis praefixum distrahendi et alienandi auctoritate iudicis, plenam habeat facultatem. Ita tamen quodsi auctoritate praemissa res obligatae distractae et alienatae minoris valoris inveniantur et existant tempore alienationis, quam fuerit pecunia obligata seu credita, et ipse creditor pro summa pecuniae per ipsum

simpliciter et sine aliqua cautione credita vadium receperit, sufficiat creditori vadium, qui nulli alteri quam sibi ipsi quod simpliciter vadium receperit imputabit. Sed si conditionem creditor apposuerit circa res obligatas majoris vel minoris quantitatis, si pro minori pecunia res obligatas alienaverit, debitor per iudicem decernatur creditae pecuniae summam adimplere; si vero pro majori summa pecuniae res alienaverit obligatas, residuum quidquid fuerit, ultra summam creditam debitori creditor restituere teneatur.

De accusato pro violentia.

Praeterea ut calumnijs via praeccludatur; statuimus quod si aliquis bonae famae in iudicium pro quibuslibet violentijs evocatur, actor teneatur quod asserit comprobare, alias reus tantummodo proprio juramento se valeat expurgare.

Cum aliquis de furto accusatur per aliquem de eodem districtu vel de una parochia.

Si aliqui fuerint ejusdem parochiae, seu districtus et de furto quarumlibet rerum unus alium ad iudicium voluerit evocare; statuimus quod intra annum tantummodo ad hoc faciendum liberam habeat facultatem. Si vero secus facere voluerit, annoque elapso eandem moveret quaestionem, tunc accusatus rationabiliter per idoneos testes, teneatur et potest se comprobare in facto esse innocentem.

De civibus vel mercatoribus aliquid in mutuum dantibus terrigenis.

Finem litibus imponere cupientes; statuimus ut si quis civis, aut creditor pannos aut alias res seu mercantias alicui terrigenae mutuo concesserit, praeter literam obligationis in qua constare posset de debito suo, civis agens probabit per testes talem contractum initum secum, et probans judicialiter obtinebit, alias reus negans debitum per proprium juramentum praestitum, ab impetitione agentis absolvetur.

De nobilitate inculpata.

Nobilitatis stirpes ex progenitoribus eorum ducunt originem semper, quorum nati progressum de genealogia approbare eorum fideli testimonio consueverunt. Si quis itaque dicat se nobilem aut illustrem, et caeteris nobilibus hoc negantibus, asserat se parem, ad probandum suae genealogiae nobilitatem debet inducere sex nobiles viros seniores, duos de sua stirpe genitos, et hi duo jurati dicant quod sit eorum frater, et de domo ac stirpe eorum paterna procreatus de secunda et tertia genealogia etiam per duos testes producendo.

De eo qui vulnerat aliquem vitam suam defendendo.

Accepimus quod Petrus insequendo Joannem graviter in platea vulneravit, quod cum Joannes in iudicium deduxisset, Petrus licet confiteatur se Joannem vulnerasse, tamen assererat

se hoc fecisse necessitate compulsus per ipsum Joannem, qui ab initio et antea ipsum Petrum vulneraverat, quod idem Petrus offerebat se probaturum. Nos itaque in tali casu decernimus ipsius Joannis probationem esse admittendam super eo, quod dum in platea Petrus ipsum Joannem insequeretur, vulneraverit. Cum dictus Petrus non vitam defendendo, sed injuriam sibi alias illatam ulciscendo, Joannem noscitur vulnerasse.

De illo qui accusatur de furto apum et mellium.

Petrus traxit Joannem ad iudicium, asserens quod apes seu mellificia ipsius, tempore nocturno furtive ad domum propriam deportasset, quod se offerebat probaturum, Joannes vero negabat se hoc fecisse, sed dicebat proprium suum mel, ut decuit in domum suam propriam portasse. Tandem Petrus per iudicem pluries interrogatus, si per eos qui vidissent apes, seu mellificia sua per Joannem recipi, et in suam domum deportari, intentionem suam posset probare, Petrus respondit: quod tales testes de visu nullo modo posset habere. Nos itaque statuendo decernimus in tali casu iuramentum Joanni imponendum, si alias fuerit bonae famae, et pro expurgatione asserenti, quod proprium suum mel in domum deportabat.

Qui invadit domum alterius manu violenta et vulneratur et alios vulnerat in domo.

Petrus deposuit contra Joannem, quod sibi quatuor infixisset vulnera, Joannes vero fatetur hoc se fecisse ex eo, quia manu armata domum ipsius invasisset, et in eadem invasione matrem, aut sororem, vel uxorem, seu filiam sibi vulnerasset; quod vulnus refert per ministerialem conspectum, vel visum fuisse, obtulitque se probaturum. Tamen ministerialis interrogatus per iudicem, negavit se praedictum vulnus vidisse vel conspexisse, et quia post negationem ipsius ministerialis, idem Joannes mox praedictum vulnus matri suae illatum per alios idoneos testes, qui dictum vulnus viderunt, et conspexerunt se offerebat probaturum. Nos in tali et simili casu decernimus eundem Joannem ad producendum testes, de calumnia fore admittendum.

De vulneratis in discordia et de vulnerato a se ipso.

Querelam Petrus deposuit de Joanne, quod ipsum vulnerasset, Joannes vero constanter assererat, quod Petrus seipsum vulnerasset, quod offerebat se legitime probaturum. Nos autem in tali casu duximus distingvendum; quod si in contentione et discordia Joannes asserit Petrum seipsum vulnerasse, tunc Joannis probationes sunt admittendae. Si autem extra omnem contentionem et discordiam Petrus esset vulneratus, tunc ut est moris dicimus Petri iuramentum fore et esse admittendum.

An testibus in causis productis obijci possit excommunicatio?

Per experientiam didicimus, quod sententia ex-

communicationis in producendis testibus malitiose plerumque consuevit opponi; ex qua oppositione pullulabat oppressio veritatis, unde circa eandem exceptionem sic duximus statuendum. Quod cum aliquibus testibus producendis fuerit objecta exceptio excommunicationis, producens testes eosdem, absque suae causae lacione, alios testes, si potest, nominandi et producendi plenam et liberam habeat facultatem, si vero non poterit alios testes nominare, vel habere praeter eos, quibus obijcitur sententia excommunicationis, volumus, quod hic ad cujus instantiam fuerint excommunicati, debito modo, scilicet cum sufficienti fidejussoria cautione, vel juratoria depositione, cum reverentia aut satisfactione requiratur et petatur, quod eisdem testibus excommunicatis ad perhibendum tantummodo testimonium et subveniendum veritati, ne veritas opprimatur, beneficium absolutionis impendat. Quod si excommunicator praemisso modo petitus, pro testimonio perhibendo beneficium denegaret absolutionis, hujusmodi postulationem veniam et absolutionem quantum ad Deum censetur obtinere. Volumus et decernimus, quod extunc absque vulneratione causae, testimonia eorundem testium per iudicem recipiantur, et habeant ipsorum testimonia firmitatem.

De testibus consanguineis et in probatione contractuum et venditionum.

Conradus a Dominico domum vendicabat, et ad suam intentionem probandam Conradus sex testes juxta iudicis mandatum produxit, quorum primus testis Jacobus, alter Petrus ipsius Conradi compater et mediator, seu amicabile compositor in eadem causa, quem ipse Dominicus cum testes in iudicio secundum consuetudinem nominarentur, neglexit impugnare, nec hujusmodi consanguinitatem obijcere, demum circa testium iuramentum, opponendo praedictus Dominicus testimonium dicti Petri propter praefatam consanguinitatem constanter asseruit non valere, et sic dicebat se causam eandem obtenturum. Nos considerantes, quod amicales compositores, seu mediatores consanguinei esse consueverunt, declaramus in tali casu testimonium praedicti Petri pro Conrado valiturum.

De praescriptione haereditatis petendae.

Cum praescriptio propter segnitiam et pigritiam dominorum sit instituta, proinde statuimus et decernimus, quod si aliquis credit vel reputat se habere aliquod jus ad aliquam haereditatem, quam aliquis praesentialiter possidet, si intra tres annos et tres menses tempore pacis et concordiae sustinet, et patitur pacifice ipsum possessorem possidere eandem haereditatem, ita tamen quod licet possit de facili intra praedictum tempus et spatium trium annorum et mensium ad ipsum possidentem venire, vel coram iudice convenire eundem, tamen immo eandem reliquit quaestionem et passus est possidentem, extunc ab omni jure haereditatis, quomodolibet sibi com-

petente, censemus eundem post decursum trium annorum et trium mensium cecidisse.

De praescriptione obligatae haereditatis redimendae vel non redimendae.

Si vero aliquis dedit bona quaedam haereditaria in obligationem, seu pignorationem, volumus et decernimus, quod idem sic obligans, aut eo deficiente ejus consanguinei, aut proximiores in gradu, coram iudice nostro, si saltem ipsius praesentiam habere poterit vel in parochia illa, ubi impignorata illa haereditas sita est, aut praesertim in colloquio generali, faciat fieri publice, semel ad minus in anno unam protestationem et denuntiationem obligatae illius haereditatis, nomenque et summam pecuniae, pro qua impignorata extat exprimere faciat, qua protestatione sic facta et denuntiatione, dictus obligans aut proximiores ejus in gradu ut praemissum est intra triginta annos redimendi et liberandi praedictam haereditatem plenam et liberam habeant facultatem; quodsi non curaverint vel neglexerint, per continuos quindecim annos, dictam facere protestationem, ab omni jure haereditatis sic obligatae sentiant se cecidisse.

20 Quam habitura est praescriptionem mulier maritata, ad actiones per eam movendas pro haereditate.

Mulier maritata ad aliquam haereditatem, dicens et credens ratione dotis, vel quolibet alio modo se jus habere et ad eam pertinere, si infra decem annos non curaverit, vel neglexerit pro eadem haereditate quaestionem intentare, ita, quod infra idem tempus decem annorum tempore pacis et concordiae patiatur possessorem pacifice et quiete possidere, extunc decernimus, quod eadem mulier ab omni jure haereditatis ejusdem se agnoscat cecidisse.

Vidua quam habitura est praescriptionem ad actiones per eam movendas.

Vidua eodem modo asserens aliquam haereditatem ratione dotis, vel quomodolibet alio jure ad se pertinere, quam haereditatem alius possidet, si intra sex annos tempore pacis et concordiae sustinuerit, vel passa fuerit possessorem ipsam haereditatem quiete possidere, decernimus quod vidua sentiat se ab omni jure illius haereditatis cecidisse, ipsi vero possessori ratione praescriptionis in eadem haereditate, plenum jus sit acquisitum. Volumus tamen et declaramus, quod praemissae praescriptiones tempore pacis et concordiae, vendicent sibi locum; tempore autem guerrarum, seu discordiarum, nullatenus sibi locum debeant vendicare, scilicet tunc oportebit se salubri remedio ejusdem praescriptionis providere juxta discordiam guerrarumque qualitatem. Sicut et captivis per Tartaros nullam volumus fieri praescriptionem.

Sepe quam praescriptionem est habitura.

Franciscus deposuit querelam contra Aegydius quod in ipsius haereditatem et fundum po-

suit sepes, et intra illos sepes, omnes fructus quos fecit et facere poterat percepit, Aegydius autem respondit quod idem Franciscus, in eadem villa die ac nocte praesens est, et fuit cum ipso; et per duos annos tacuit, nec unquam admonuit ipsum Aegydius unico verbo, pro sepebus praenotatis amovendis. Nos itaque attendentes desidiam, seu pigritiam, ipsius Francisci, declaramus in hoc casu ipsi Francisco duorum annorum obstare praescriptionem.

Virgo seu orphana quam praescriptionem post desponsationem est habitura.

Franciscus neptim suam Luciam in infantili aetate constitutam orphanam cum bonis centum marcas valentibus, tuendam et servandam in suam accepit curam, tempore vero procedente, ipsam dum adhuc esset minorennis de viginti duntaxat marcis dotatam marito tradidit. Deinde stando cum marito, post quatuor annos eadem Lucia pro residuis bonis haereditarijs restantibus, ultra praedictas viginti marcas, Francisco suo avunculo et tutori movet quaestionem, Franciscus autem respondit, quod longo tempore post contractum matrimonium per quatuor annos videlicet nunquam fuit monitus, pro rebus vel pro bonis praedictis. Nos itaque talibus volentes casibus providere, declaramus et statuimus; quod praedicta Lucia postquam cum marito fuerit sive steterit per tres annos et tres menses, intra eosdem ad causam non provocando, sive sit minorennis, sive major; de cetero non poterit, nec debet agere pro quibuscunque bonis, vel rebus residuis, obstante sibi, termino trium annorum et trium mensium, taciturnitate et praescriptione.

In venditione bonorum seu haereditatum, quae praescriptio possessoribus data est.

Franciscus vendidit Gregorio haereditatem pro centum marcis, pro qua ipse Gregorius statim quadraginta marcas exolvit, residuam pecuniam promittens in certis terminis per annos soluturum; et sic idem Gregorius per quatuor annos pacifice et quiete, non facta totali solutione tenuit et possedit praedictam haereditatem. Demum prope finem quarti anni, idem Gregorius emptor reliquam pecuniam offert se daturum et soluturum Francisco venditori, Franciscus vero nititur et quaerit, quod possit rescindere et revocare eandem venditionem, cum per totum tempus sibi totalis solutio non fuit facta nec subsecuta. Quapropter nos statuimus et declaramus, propter quietam et pacificam possessionem habitam per tres annos et tres menses, venditionem praedictam perpetuam habere firmitatem, obstante tanti temporis taciturnitate et praescriptione.

De praescriptione petendae restitutionis frumenti.

Franciscus Gregorio mutuavit viginti mensuras tritici, quas pluries monitus non restituit, Gregorius autem quaeavit ab ipso Francisco, quando sibi praedictum triticum mutuasset; res-

pondit quatuor annos esse elapsos. Nos ipsi Francisco imposuimus silentium propter tanti temporis decursum et suam taciturnitatem.

22

De memoriali sive pamiętne solutione.

Licet pro redimenda pauperum vexatione dum solutio dicta vulgariter *czesne* aut *pamiętne*, quae consueverat iudici praesidenti, seu aliquam causam definiendi applicari, fuerit sublata et extincta, tamen eadem solutio exquisito colore, sub alio nomine quod dicitur *pamiętne* dignoscitur esse innovata, quae dicitur esse contra praedictam solutionem, et eam transcendere comprobatur. Unde circa hoc modum imponere volentes decernimus, quod in causis haereditarijs, vel non haereditarijs magnis, iudex praetextu solutionis praedictae *pamiętne* ultra quatuor grossos exigere et recipere non praesumat, in minoribus vero causis, tantummodo duos grossos exigendi, facultatem habiturus.

De sententia super haereditatem divisorum fratrum prolata, et de fratribus divisam sententiam talem impugnantibus, ac fratrem indivisum citatum.

Quamvis negotia mortua et finita, tanquam et quasi contra naturam suscitare difficile est, et retractare, reperiuntur tamen nonnulli, qui coloribus exquisitis mortua et finita negotia moluntur et conantur refricare, in hoc videlicet, quod licet aliqui fratres, seu sorores cum fratre sint in bonis paternis, abinvicem separati et divisi; tamen si contingat quod aliquis frater eorum in quaestione haereditaria recipiat contra se sententiam diffinitivam, postmodum alter ipsorum accedens ad praesentiam iudicis allegat se contemptum, et ad eandem quaestionem tanquam illum cuius intererat non vocatum, postulans ex hoc debere eandem sententiam retractari. Et sic huiusmodi sententia per talem petitionem consuevit retractari. Unde nos volentes quod in huiusmodi litibus certus finis habeatur, statuimus quod ubi fratres vel sorores fuerint abinvicem in bonis paternis divisi et separati, si contingat unum ipsorum in haereditaria quaestione contra se definitivam sententiam reportare, alteri ipsorum postmodum sit penitus interdicta potestas infirmandi seu redarguendi sententiam eandem, scilicet pro parte haereditaria dumtaxat ipsum contingente, movendi quaestionem plenam habeat facultatem. Si vero huiusmodi fratres vel sorores cum fratre non fuerint in bonis paternis abinvicem separati et divisi, si ad annos legitima aetatis pervenerunt, et habentes plenam discretionem, volumus quod in haereditate, pro qua quaestio agitur, vel ventilari speratur, per ministerialem ut in alia constitutione docetur terminus citationis juxta edictum publice apponatur, citando, ut si quis sit, qui habet vel habere possit, aliquod jus in dicta haereditate, vel ad haereditatem, aut sua quomodolibet intersit, die prout assignata veniat et compareat, jus suum ostensurus, alias si post talem citationem eo

cuius intererat, non comparente definitiva sententia super eandem haereditatem proferatur, cuilibet postmodum venienti et volenti eandem sententiam agere et refricare seu innovare, ut in casu praecedenti sit interdicta potestas, sed ipsam sententiam decernimus habere perpetuum robur.

De fure, utrum debeat insequi per vicinos villanos, aut non.

Nagoth deposuit querelam contra suos vicinos, quod cum equus tempore nocturno fuisset sibi subtractus, idem Nagoth cum instantia requisivit, et petijt suos vicinos villanos, ut per vestigia eundem furem sequi velint sibi esse auxilio, quo a fure suum equum habere posset, villani vero furem insequi recusarunt, et ita Nagoth praedictum furem cum equo amisit. Nos itaque in tali casu declaramus villanos ad solvendum equum praedicto Nagoth condemnandos.

De membrorum mutilatione.

Petrus conquestus est de Joanne, quod ipsum quatuor digitis in manu mutilasset, quod Joannes se fecisse negavit; et quia idem Petrus pro eadem mutilatione, post annum elapsam, satisfactionem habere petebat, Nos itaque in tali casu eundem Petrum metertium pronunciamus juraturum, quod praedictam mutilationem digitorum quatuor habuit a Joanne.

De illo, qui se asserit injuste condemnatum.

Petrus agebat contra Joannem iudicem, quod in causa, quam coram ipso habuit, injustam et iniquam sententiam contra ipsum promulgasset, a qua tamen sententia quando ipsam iudex idem tulit, Petrus non provocavit, nec appellavit: vulgariter *nienaganit*. Nos itaque huiusmodi sententiam iudicis, quae non fuit aliqua provocatione suspensa, vulgariter *nienaganiona*, declaramus transivisse in rem iudicatam, praedictum Petrum ad poenam debitam alias pro iudicibus expressam, condemnantes.

De fratre seniore citante, et causam perdente, junctoreque litem eandem innovare, ac sententiam contra fratrem latam, impugnare volente.

Falco pro haereditate agebat, contra Henricum, Henricus autem opposita longi temporis praescriptione, ac ipsam praescriptionem, ut debuit probavit. Iudex autem ipsum Henricum absolvit ab eadem petitione, silentium Falconi imponendo. Post haec veniens Nicolaus, junior frater Falconis, refricat, et innovat eandem quaestionem. Nos itaque finem litibus imponere cupientes, declaramus eundem Nicolaum fratrem juniorem, praedicti Falconis, non esse audiendum, et sententiam iudicis, transire in rem iudicatam.

De fratribus unum molendinatore habentibus.

Franciscus, Falco, et Henricus, tres fratres, habentes unum molendinatore, Henricus tertius

frater, super quibusdam ipsius molendinatoris excessibus coram iudice deputato, dato, vel electo debito modo, ipsum molendinatore iudicare praecipit, demum frater alter Falco veniens conqueritur de Henrico, quod ipsius molendinatore iudicasset, et condemnasset. Nos itaque attendentes, quod licet cuilibet, de jure prosequi suam injuriam, declaramus ipsum Henricum juste et debite iudicasse.

De bonis derelictis, post mortem villanorum vel civium absque prole decedentium.

Abusiva consuetudine noscitur esse observatum, quod cum aliqui kmethones, seu rustici, vel alij civiles homines, absque prole de hac luce decedunt; ipsorum omnia bona mobilia et immobilia nomine vulgariter *pusciżna* domini eorumdem consueverunt occupare. Unde nos eandem consuetudinem, ut vero contrariam et absurdam reputantes; statuimus, quod de bonis eorumdem decedentium, si tantum reperiatur in eisdem bonis, calix pro marca cum media ecclesiae parochiali dandus comparetur, reliqua vero bona, ad proximos consanguineos, vel affines, cessante quolibet impedimento devolvantur, prout aequitas et justitia svadent.

De equo in accommodatione laeso.

Nicolaus deposuit querelam, contra Mathiam, quod licet sibi equum suum sanum ad certam viam tanquam amico accommodasset, tamen Mathias eundem equum sibi restituit claudicantem, Mathias vero respondit bona fide eundem equum tanquam proprium equitasse et servasse, nec sciret, unde sibi veniret talis laesura. Nos autem in tali casu declaramus praedictum equum, intra duas septimanas, quiete, et absque labore per eundem Mathiam observandum, qui equus si intra praedictum tempus non convaluerit, extunc pro eodem equo, prout poterit, amicabiliter secum componere teneatur.

De kmethone, seu rustico alium occidente, et solutione poenae capitis.

Licet antiquitus fuerit observatum, quod kmetho kmethonem occidendo, solutis tribus marcis grossorum, a poena homicidij liberabatur; tamen quia huiusmodi poena non sufficiebat ad debitam delicti correctionem; unde nos statuimus, quod kmetho occidens kmethonem, pro poena homicidij, Castellaniae, in qua homicidium fuerit commissum, vel ei, in cuius jurisdictione delictum et homicidium hoc est perpetratum, quatuor marcas; consanguineis vero, sive amicis proximioribus interfecti sex marcas persolvat; qui si non fuerit in solvendo, et captus fuerit, poena capitali puniatur.

Si plures de homicidio accusantur, quis eorum poena homicidij puniendus?

Item si plures; puta duo, vel tres, aut quatuor, de homicidio accusentur; licet antiquitus per juramentum accusatoris, omnes poena ho-

mucidij puniebentur; Nos tamen huiusmodi juramentum restringentes, statuimus, quod unus tantummodo per juramentum actoris de homicidio condemnatur et puniatur; consortes vero ejusdem accusati, per probos et idoneos testes, de homicidio et vulneribus se teneantur expurgare, alias in expurgatione deficientes, puniantur.

De illis qui casu mortem incidunt.

Item quacunque morte casuali, vel inopinata contigerit aliquem de hac migrare luce, puta de arbore cadendo videlicet, vel in aquam mergendo, aut quovis alio modo; statuimus quod pro tali homine sic decedente, penitus nulla quaestio moveatur. Item dum ignoratur, quis commisit homicidij immanitatem, decernimus quod Castellania de hoc aliquam non moveat quaestionem, sed consanguinei et proximiores culpabilem inquirentes, causam dum poterint, prosequantur juxta juris formam.

De milite qui occidit militem.

Ut violentorum audacia refranetur, statuimus, quod dum miles sibi militem occiderit, pro capite sexaginta, pro mutilatione membri cujuslibet, triginta, et pro simplici vulnere, quindecim marcas solvere teneatur.

De illo qui occidit matrem alicui.

Laurentius conqueritur de Martino, quod sibi matrem interfecit; Martinus respondit quia Laurentius non fuit de legitimo matrimonio, sive thoro procreatus; et asserebat eum esse filium vagabundae mulieris; Nos in tali et simili casu, caput matris exolvendum et obtinendum decernimus.

De fratricidio, patricidio, sororicidio.

Et licet lex tam novi, quam veteris Testamenti fratricidium et alia saeva crimina graviter puniat, et damnet, tamen quidam velut hostes proprii sanguinis, et honoris, legis poenam minus formidantes, fratricidium committunt, sorores etiam vel proximos occidunt, ut ex eorum morte bona haereditaria lucentur. Volumus itaque ut unde bona haereditaria, et lucra habere cupiunt, inde damnis afficiantur, aut puniantur in quo peccaverint. Ideo omnes regnicolae, et nobiles Regni nostri, fratres, aut ipsos consanguineos interimentes, in haereditaria succedere possessione non valebunt, nec ullum ad eam accessum obtinebunt, quoniam sententiam ipsos et ipsorum filios, et privamus omni legitima talium haereditatum portione, in quibus bonis seu haereditatibus alij consanguinei, licet remotiores in linea obtinebunt successionem; quos in aggravationem culpae ipsorum, propter immanitatem criminis omnes fraticidas et patricidas, infames pronunciamus, et inhabiles, ad aliquos honores promovendos.

23

26

De milite occiso item de eodem mutilato aut vulnerato, item de poena super id constituta, item de kmethone occiso, item de kmethonis mutilationibus.

Quamvis occidens hominem secundum legum sanctiones, foret capitali poena plectendus, Nos tamen rigorem illum temperantes, statuimus, quod occidens militem triginta marcas, parentibus, pueris, vel amicis; mutilans autem in pede, manu, vel naso, quindecim marcas; in pollice vero mutilans, octo marcas, digitum vero quemlibet alium amputans, tres marcas grossorum ipsi mutilato, vel in digito laeso ut supra dicitur solvere teneantur. Pro qualibet vero vulneratione, praedictorum membrorum vulnerato, poena quae dicitur *pietnadzista* persolvatur. Si vero quispiam kmethonem occiderit, decem marcas solvere teneatur, quarum sex uxori, seu pueris, si superstites fuerint, et residuae quatuor marcae domino occisi exolvantur. Si vero occisus fuerit dominorum duorum, tunc dictae quatuor marcae inter dominos sunt dividendae. Vulnerans autem, kmethonem, eidem vulnerato, unam marcam, domino autem ipsius, si vulnerans et vulneratus unius domini fuerint unam marcam integram, ipse vulnerans pro poena solvere teneatur. Si vero vulnerans et vulneratus duorum dominorum fuerint, inter ipsos marca hujusmodi poenalis dividatur.

De vagantibus hinc inde, et rapinas committentibus.

Sunt nonnulli qui per indiscretionem, victum longi temporis brevi hora consumunt, tandemque assumunt sibi extra propria occasionem vagandi, et taliter vagantes, aliena rapere non formidant, ut igitur tales a qualibet occasione vagandi et rapiendi saltem formidine poenae retrahantur, statuimus quod taliter vagantes et rapinas committentes, quibuslibet bonis ipsorum quae habent ipso facto sunt privandi; et si contigerit hujusmodi fugitivos nostrae gratiae reconciliari, volumus nihilominus quod inter suos pares ut infames habeantur.

De ministerialium ad conspiciendos occisos vocatorum, abolita consuetudine vestium recipendarum, et de eorum salario.

Consuetudine iniquissima ministerialium extitit observatum, quod dum ad aliquem in via, vel alias occisum vocabantur, ipsum vestibus, in quibus fuerat occisus, jure ipsorum quod ipsi *krwawne* nominabant, expoliabant, unde cum afflictis, non sit addenda afflictio, eisdem ministerialibus prohibemus, quod de caetero quoslibet occisos spoliare, seu exuere non praesumant sed tantummodo unico grosso contententur, quem decernimus eis dandum pro labore per eum, qui ad aliquem occisum procuraverit eosdem vocari, donec eadem homicidij quaestio totaliter fuerit diffinita.

De his qui aliorum semina eorum pecoribus depascunt.

Ut quilibet de proximi indemnitate vigilet damnisque et jacturis diligentius curet, statuimus

quod si quis alterius semina iumentis vel quibuscunque pecoribus majoribus depascat, quod ille cujus esse pecora reperta fuerint, pro quolibet jumento vel pecore, unam quartam denariorum, damnum passo solvere teneatur.

De illo qui agit contra aliquem jure theuthonico et re-conventionem pariter. 28

Cum actor forum rei undique sequi debeat, volumus quod si quis in iudicio juris theuthonici contra reum suam dirigat actionem, ut proponat contra eundem, reus ibidem super aliqua quaestione simili vel inaequali reconveniri non poterit, sed suam litem aut causam coram iudice competenti cum voluerit agitabit.

Jumenta damna inferentia qualiter sunt tenenda de damno abacta.

Ad evitandam autem quamlibet altercationem decernimus, quod ad proximiorum Castellaniae seu curiam Castellaniae, sive fuerit regalis sive alterius cujuscunque iudicis, jumenta damnum passus depellendi habeat facultatem; ita tamen quod sub testimonio vicinorum in propria domo jumentis sive pecoribus per noctem servatis, in crastino autem ad proximiorum curiam Castellaniae praedicta jumenta depelli teneantur.

De incendiarijs et exustoribus

Ex lege imperiali clara luce nobis constat, quod incendiarij et exustores domorum horreorum aut quorumvis bonorum voluntarij morte crudeli et turpissima puniantur, quibus etiam inventis, si ad ecclesiam effugiant patrocinium ex hoc nullum debeant obtinere, propter criminis damnati saevitiam; consueverunt enim hactenus hujusmodi malefactores ut manus iudicum iustitiam exequi volentium effugiant, ut plurimum in civitatibus vel villis theutonicis permanere, ut actionem contra illos propositam eludant per juris theutonicum defensionem; et sic saepius talium malefactorum crimina remanent impunita, unde de nostrorum Baronum et Procerum consilio, statuimus, quod accusati de crimine incendij sive exustionis etiam inventi in civitatibus aut villis theutonicis, extra forum ipsorum trahantur, et in iure polonico coram iudice competenti tenebuntur respondere ac sententari seu puniri poena digna, juxta commissi criminis demeritum.

De illis qui habentes jus theutonicum utuntur polonico.

Cum secundum Patrum Sanctorum decreta lex decernat illos amittere privilegij auctoritatem qui concessa sibi non utuntur potestate, plures sunt nostri milites jus theutonicum habentes in multis ipsorum villis ex nostra aut nostrorum praedecessorum gratia eis facta, et tamen jure theuthonico omisso secundum jus polonicum se regunt in quibusdam, statuimus quod si in aliqua villa abusi sunt jure theutonico, amplius contra agentes per jus theutonicum non

29 poterint se defensare: quapropter volumus quodsi crimen est commissum illo jure, quo villa eadem usa fuerit, tenebitur iudicari simul et terminari.

De illo qui citatur contra suum privilegium.

Statuimus quod dum aliquis contra suum privilegium in qualicunque causa citatur, et exhibendo suum privilegium in iudicio amittit sexagenam, quam iudex ab exhibente pro se tollit; si actor jurare renuerit, quia nesciebat reum quem citaverat fuisse privilegiatum, solvet reo sexagenam, sicuti praemittitur amissam, sed idem actor si velit jurare, se nescivisse reum fuisse privilegiatum, et provisum isto tali privilegio, praestito hujusmodi juramento, sexagenam illam non solvet reo quem citaverat.

De villanis invito domino, alio se subijcientibus, item in quibus casibus istud licebit illis.

Cum ex separatione subditorum bona dominorum suorum saepius annihilentur, et deserantur, nulla praesertim legitima causa ad hoc persuadente, ob id visum fuit Nobis ac nostris Baronibus huic periculo non segniter obviantibus, cum quibus una statuimus; quod non plures kmethones aut incolae de una villa insimul ad aliam villam possint recedere, nisi unus aut duo praeter domini illius villae in qua degunt voluntatem. Nisi in casibus hic exceptis, ut si dominus villae opprimat filiam aut uxorem sui kmethonis, aut si pro excessu seu culpa haereditis, ibidem villani bonis ipsorum depraedantur, vel in sententia excommunicationis per annum durant sui domini ex delicto, in talibus casibus non tantum tres aut quatuor villae ejusdem incolae abire possunt, sed et omnes ibidem habitantes recedant, quo unicuique placebit.

De pueris annis discretionis carentibus injuriam passis, si pro injurijs sunt acturi in aetatem perfectam venientes.

Infantibus praesertim egenis succurrere et providere volentes, statuimus, ut si aliquibus patre mortuo per quempiam injuria fuerit illata, venientes ad annos discretionis, possunt juridice agere contra injuriantes, et exceptio praescriptionis eis opponi non poterit, nisi tunc aetate legitima in eis completa, et infra tempus debitum si agere neglexerint, pro injurijs olim eis illatis, tunc obstat eis exceptio praescriptionis propter negligentiam allegatam.

30 De eo qui de furto aut alio crimine accusatur, qui tamen alias bonae famae extitit.

Ut viri famosi et juste viventes aliqua speciali praerogativa apud nos, inter caeteros nostros fide dignos consolentur, statuimus de nostra Baronumque nostrorum voluntate; ut si quis miles vel alius vir nobilis, cui aliqua quaestio de eo prius in iudicio mota non fuit, de furto vel latrocinij crimine accusetur: fas sibi sit propter bonam praesumptionem apud vicinos de ipso

habitam, proprii juramenti praestatione, a tali accusatione se expurgare.

De eo qui aliena recipit sine domini voluntate.

Aegidius proposuit cum querela, quod cum in via dormivisset, Falco superveniens taliter dormienti gladium recepit, et peram in qua fuerunt tres scotti grossorum; et quamvis gladium, et peram sibi restituisset, tamen tres scottos non restituit, ipsos pro se usurpando; Falco vero reus quamvis de gladio et pera confitetur et se eadem restituisse fatetur; tamen praedictos tres scottos se habere negat; unde Nos attendentes quod nullus debet res alienas attrahere domino rerum invito, praedictum Aegidium actorem in tali casu decernimus ad juramentum fore admittendum.

De morsu canis, ex alicuius incitatione.

Aegidius conquestus est, quod canis Falconis, ex incitatione, seu impulsione ipsius Falconis taliter ipsum laesit et momordit, quod ex illo morsu ostendebat et asserbat se claudicare; Falco vero eandem incitationem seu canis impulsione negabat, et quia Aegidius actor hoc non poterat comprobare; Nos in tali casu declaramus, quod Falco per juramentum proprium debet se expurgare.

De extinctione candelae, et vulneris incussione.

Querelam Aegidius proposuit contra Falconem; quod dum in domo ipsius Aegidij facta fuisset in sero contentio quaedam, ipse Falco superveniens candelam suffocavit et extinxit; qua extincta Aegidius nescit, nec scire potest, per quem in illa contentione et discordia fuerit vulneratus. Licet Falco extinctionem candelae confitetur, tamen ipsum Aegidium vulnerasse negat. Nos itaque a praedicto Aegidio actore juramento recepto, quod in praedicta candelae extinctione nescit, per quem vulneratus sit, ideo Falconem praedictum, quia extinctione candelae vulnere praestitit occasionem, in vulnere duximus condemnandum.

De pastore ovium.

Praeterea de villanorum pastore Aegidius deposuit, quod ovem ad gregem impulsam, et custodiae pastoris commissam de grege amisit, nec per pastorem sibi esse restitutam dicit, pastor vero asserbat se ovem praedictam, una cum alijs ad villam reduxisse, Nos in tali casu decernimus, pastorem hoc videlicet quod ovem cum caeteris ad villam impulit, juramento firmare debere.

De ludo taxillorum.

Ut noxius ludus taxillorum abijciatur, per quem ut saepius justis patres propter filiorum excessum, de bonis eorum pelluntur et absque ipsorum demeritis ad nimiam deducuntur paupertatem, statuimus: ut si filius quisque utrisque parentibus vivis et sanis ludo amiserit aliquam pe-

cuniae quantitatem, praedicti ludentis parentes non tenebuntur ipsi victori pro ipsorum filijs vel filio ad pecuniae perlusae satisfactionem; idem dicimus de judaeis, si mutarent pecuniam tali filio superstitionibus dicti filii parentibus et sanis, quod videlicet ejus parentes non teneantur de mutuo, nec aliquo modo compelli debeant, nec possunt, sic etiam dicimus de omni contractu inito cum filiofamilias, qui non valet cum sit in paterna potestate constitutus (juveturque Senatus consulto Macedoniano) propter quod non habet alicujus rei dominium, vel aliquam possessionis traditionem.

De lusoribus taxillorum.

Ad praeccludendam lusoribus taxillorum malitiae subtilitatem, qui consueverunt cum inebriatis aut ad iracundiam provocatis et deductis, novam taxillorum ludi formam adinvenientes, super credito aut obligandis rebus etiam et impignorandis quibusvis pecunijs, equis, bonis, et haereditatibus ludere, eosque sibi debitores taliter facere, spoliare bonis, et malitiose amovere; qui tandem sic ludis exuti, et ad inopiam deducti, ut plurimum ad vitia deteriora labuntur, propter quod ultio judicialis juxta ipsorum demerita, a Nobis consuevit in talibus exerceri; quare ad hoc malum evitandum, quod praesertim nostri Nobiles rebus abundantes, strenuitati dediti pro defensione Regni fortius pervigilent; decernimus, quod deinceps nullus terrigena noster cum alienigena cujuscunque status aut conditionis existat, in Regno nostro ludat taxillos ad praestationem aut creditum seu credentiam, sed tantummodo pro pecunia parata; quod si quisquam contra hoc statutum venerit temerarie, ipso jure non valeat creditum, nec ad aliquam solutionem seu satisfactionem victus victori tenebitur, nec fideiussor datus ab ipso vincente poterit pro debito conveniri. Si quis vero contraveniens statuto proque pecunia sic credita acriter monuerit suum debitorem cum verbis turpibus, vel ejus fideiussorem, quotiescunque maledixerit et impropulerit pro debito praelibato; toties illi pro sua verecundia poenam *pietnadziesta* solvet, et nostro iudicio nihilominus aliam similem poenam, pro inobedientia assignabit.

De terrigenis ad bellum transeuntibus damna villanis inferentibus.

Expedit Reipublicae, ut subditi quiete vivant, et quod nullinoceant, et in virtutibus convalescant, quidam praetereuntes ista, veluti legis transgressores quod cum per terras proprias pergunt ad expeditionem bellicam, quasi hostes infinita damna pauperibus (etiam plura quam hostibus) inferre non verentur, per quod terrae nostrae maxime devastantur; volentes itaque huic periculo de remedio opportuno providere; statuimus, quod quotiescunque ad bellicam expeditionem fit progressio, nullus in villis stationem faciat, sed in campo, nec rapinas in equis, pecudibus, pecoribus, vel in alijs rebus committant, sed solummodo pabula recipiant moderate pro suis equis, nec stationes faciant de

lignis in silvis, gais, aut rubetis pro aedificijs valentibus, ut ex hoc aedificia villarum integra, et illaesa permaneant; et si quis velut temerarius hujus statuti violator fecerit contrarium, domino illius villae aut cui damnum est illatum, damna restituat juxta suum sacramentum cum restitutione ablatorum super ablatum praestitum, cum poena *pietnadziesta* ad hoc apposita et nihilominus alia similis poena, cedat Nobis occasione violationis statuti. Per hoc tamen non negamus quin pabulum moderatum equis et victus ipsorum sine quo transitus alias haberi non possit, recipiatur.

De filijs qui moriente matre, petunt a patre portionem maternam antequam secundam uxorem ducat.

Ex communi usu in Regno nostro extitit observatum, quod moriente matre pueri omnium bonorum a patre ipsorum tollunt medietatem pro portione et haereditate materna, propter quod saepe contingit filios in teneris annis existentes, rebusque suis consulere non valentes, sic receptam haereditatem inutiliter consumere, expendere, et dissipare consuevisse, patri denique de pietate et beneficijs ingratitude exhibentes, impellunt plerumque etiam eundem vergere ad inopiam, sicque vicissim sentiunt incommoda et jacturas, quare aequum visum extitit Nobis, et nostrae militiae, ut matre moriente filij non petant bonorum et haereditatis maternae devolutae portionem et successionem a patre, donec ad secundas nuptias convolabit, nisi tunc velut famae suae prodigus bona et haereditates illas communes indebite dissiparet.

De profugis et furta committentibus.

Saepe contingit quod quidam de militari prosapia procedentes, veluti prodigi honoris et famae ipsorum, furta sive latrocinia committentes, fiunt profugi nostri Regni ipsorum spontanea voluntate, et sic occasionem quaerentes, mala committere non formidant, pro quibus in iram nostrae indignationis incidunt, tandem de commissis furtis, et caeteris actibus malis poenitentia ducti, amicorum suorum mediante nostram consueverunt implorare clementiam; et sic nostrae gratiae de novo restaurantur. Volumus quod licet nostra ira sit dimissa eis et poena, nihilominus pro furtis, et damnis viris bonis et justis illatis tenebuntur, judicialiter respondere et satisfacere juxta definitionem per deputatum judicem factam, et nihilominus tales infames reputamus, neque alijs nobilibus qui nunquam profugi extiterunt in fama et sublimitate honoris posse adaequari. Statuimus etiam illum qui occulte insidians inhabitatoribus Regni nostri fures et profugos aut prodigos servat, eis hospitium praebet, aut partitur cum eis rapta et male conquisita, tales infames esse imparesque viris probis, et bonis reputari.

De usuris judaeorum qualiter exigi debent.

Cum in usurarum voragine sit insatiabilis appe-

titus, extorsionique pecuniarum quidam terminum non imponentes, proinde statuit nostrorum Baronum et Nobilium auctoritas, quod judaei (fidei nostrae Christianae veri inimici,) Christianis pecunias ipsorum mutuantes non plus de usura qualibet septimana exigere debent, nisi tantum unam quartam, alias unum grossum a marca debent et tenentur cum gratiarum actione recipere. Etsi aliqui judaei per novas deceptiones, ad literas obligatorias pecunias eorum mutuarent, et per duos annos suum debitorem sustinerent; pro usura accrescente, et pro summa principali, debitorem ad iudicium non provocantes; extunc ipso facto usuram ultra duos annos accrescentem amittere debent, in sorteque principali et summa capitali sola, et absque ullis usuris debent esse contenti; neque per eandem litteram obligationis obligantem poterint ad majorem summam compellere, neque obligatus tenetur stare, vel observare ipsi suam obligationem vel promissum, ultra hoc se extendens.

De his qui in silvis alienis damna faciunt.

Quidam de ipsorum audacia multum praesumentes, intrantes silvam vel gajum alicujus praeter domini voluntatem, quercus et ligna excidunt meliora, nullam poenam ex hoc sequi praetendentes, ideo statuimus, ut si quis inciderit quercum in bonis alicuius domino invito ad axem valentem, vel de minoribus quercubus vel alijs lignis curram impleverit, poenam quae dicitur *pietnadziesta*, illi solvat in cujus dominio sunt incisa; statuimus etiam quod pro qualibet arbore fructifera seu pomifera excisa duodecem grossi dumtaxat passo damnum cum poena *pietnadziesta* exolvantur.

De illis, qui nocte, alicujus frumenta in campo recipiunt.

Et licet canonica sanctio depopulationes agrorum magno odio habeat, tamen temerarios a malo non revocat nisi addatur torques collo ipsorum, et temporali disciplina impij puniantur, propter quod statuimus, ut si alicujus militis, praelati, civis aut alterius hominis simplicis familiaris frumenta de nocte kmethonum vel quorumcunque receperit, licitum sit domino frumenti, aut suis servis, vel amicis, ipsa defensare, equos rapientium vel alias res pro se libere tollere; et si tunc quempiam occiderint impunito volumus ipsum pertransire, dominum vero illum de cujus dominio tales exiverunt depopulatores in poenas Nobis *pietnadziesta* decernimus incidisse; etsi vulneraverint vel occiderint frumentorum defensorem, solvat vulnera laeso, vel caput pueris aut amicis cum poenis praenotatis.

De improperationibus seu turpiloquio alicui illato.

Cum omnis scurrilitas verborum et turpiloquium homines ad rixas provocans apud virtuosos homines non immerito debeat evitari, atque (nisi metu poenae quandoque aliqui prohibentur a talibus et refraenantur) nequeunt alias prohi-

beri, unde volumus, ut si quispiam lingvam suam non refranans si nobilis nobili improperaverit assrens eum esse filium meretricis, et statim, non revocat, aut negat quod dixit, neque probat eum esse talem ut asserebat, pro vituperio illius, quem sic vituperavit, ratione poenae solvat sexaginta marcas grossorum, veluti ipsum occidisset. Idem dicimus, si matrem ipsius meretricem nominaverit, nec probaverit quod asseruit, in similem poenam ipsum decernimus incidisse et revocando debet dicere, id quod sum locutus, mentitus sum sicut canis.

De villani et kmethonis vulneratione.

Ut poenarum distinctio et legitima divisio habeatur, si kmetho vulneratur cum sanguinis effusione, aut percutitur enormiter, de omnibus poenis pro vulneribus aut percussionibus sententiatis, duas partes laeso, tertiam autem iudicio, ubi causa agitatur, dare demandamus.

De percussionibus militum, nobilium et kmethonum.

In percussionibus militum et aliorum nostrorum subditorum, istum in poenis modum exigendis volumus observari; si miles militi, aut nobilis nobili plagam vel ictum dederit absque sanguinis effusione, nobili cui illata fuerit talis percussio poena quae dicitur *pietnadziesta* per inferentem et laedentem debet assignari. Si autem illi inferatur, qui non habet jus militare, tunc marca grossorum pro tali vulnere, kmethoni vero *sześć grzywien*, alias poena sex scotorum per inferentem debet solvi.

Plantationes et insertiones pomoerij destruentes et evellentes.

Statuimus et decernimus, quod si aliquae plantationes jam insertae et radicatae evellantur et extirpentur, etiam si fuerint propriae ipsius extirpantis, qui debet medietatem illarum plantationum dimittere in solo seu area, poena sex marcarum teneatur.

De aliqua re violenter recepta.

Item si quis violenter mantellum suum, vel aliam rem propriam quamcunque alicui auctoritate propria receperit, jure repetendo cum poena sex marcarum, eandem restituere teneatur.

De cultura agri alieni.

Si quis excolens, vel seminans agros alicujus violenter, semine careat in eisdem agris seminato, cum poena *pietnadziesta*.

De receptione boum per violentiam.

Cum alicui quatuor boves fuerint recepti violenter, et de hujusmodi violentia fecerit protectionem, volumus, quod pro hujusmodi negligentia boum et laborum pro qualibet septimana, quatuor scottos damnum et injuriam passo cum poena *pietnadziesta*, et iudicio aliam similem poenam solvere illator injuriae teneatur.

De feno violenter recepto.

Item pro curru foeni violenter recepto, damnum inferens solvat cui abstulerit, tres scottos cum poena *pietnadziesta*, et pari modo iudicio seu iudici praedictam poenam, in cuius iurisdictione, hoc perpetratur idem perpetrans solvere teneatur.

De poena pro frumentorum receptione solvenda.

Item pro una cassula cujuscunque grani in die recepta poenam iudicio sex marcarum et damnum passo quindecim alias *pietnadziesta* recipiens solvere teneatur; si autem tempore nocturno id factum fuerit, tunc furtum esse decernimus et declaramus.

De golotis servis damna alicui facientibus.

Item si famulus alicujus dictus *golota*, aut alias *oblomek*, vicino domini sui aut alieni alij damnum intulerit, aut injuriatus fuit, dominus ipsius pro ipso satisfacere teneatur.

De homine paupere divitem pro violentia citante.

Item cum pauper divitem pro violentia citat, dives per testes debet et poterit se expurgare, alias juxta violentiae qualitatem, debita poena est mulctandus.

De poenis Castellanos, Judicum, Notariorum, Succamerariorum, et Camerariorum eisdem per illos qui eorum sententias impertinenter redarguant solvendis.

Cum aliquis arguit alias *naqani* sententiam Castellani Cracoviensis, tunc pelliceam hermellinam alias *gronostaiowy*, Castellanis autem Sandomiriensibus et Lublinsibus pelliceas mustellinas, Judicibus autem Cracoviensibus et Sandomiriensibus pelliceas mardurinas, Subjudicibus autem vulpinas, Succamerariis per sex marcas, Camerariis autem istorum et aliorum omnium nostrorum dignitariorum per sex scotos, Judicibus Castellanos per mediam marcam, cuilibet Notario Terrestri pelliceas vulpinas, alijs vero Castellanis et Judicibus (Cracoviensibus et Lublinsibus exceptis) per sex scottos marcas absque omni contradictione, et antequam ad aliquam audientiam admittatur, dare et satisfacere teneatur.

37

De filio non emancipato lusore, et quis modus in ludis servandus sit.

Filius nondum emancipatus, in paterna constitutus potestate, nec a fratribus divisus vel separatus, si globisando, vel tesserisando, aut quemlibet alium ludum damnosum ludendo, aut alia exercendo, aliquid perdidit, talia omnia et singula per ipsum deperdita volumus et decernimus, quod in ipsius partem seu sortem computentur. Nihilominus tamen decernentes, quod sive in taxillis, aut scacis, vel in quibuscunque alijs ludis lucrosis, ipsis ludentibus, ad pecunias equos aut alias res lucratas seu in hujusmodi ludis acquisitas mutuos fidejussores interposuerit, monendi, requirendi, petendi, seu vendicandi, non obstante qualibet fidejussoria cautione,

seu obligatione, penitus nullum jus ex praedictis ludis sit acquisitum. Sed duntaxat quoslibet ludos habere concedimus et volumus gratia temporis deducendi et causa solatij et exercitij habendi.

De villano, militi aut nobili plagam inferente.

Militi pro una plaga vel pluribus a kmethone facta vel factis poena quindecim alias *pietnadziesta*, percusso et iudicio alia similis poena persolvi teneatur. Si vero fuerit baculo cruentatum vulnus illatum, sicut pro gladiali vulnere declaramus satisfaciendum. Pro capite vero militi famoso, alias *szlachcie* sexaginta marcas, scartabello triginta marcas, militi autem creato de sculteto vel de kmethone, quindecim marcas pro capite. Item militi *szlachcie* pro vulnere decem marcas; scartabello vero quinque marcas, sculteto vel kmethoni factis militibus tres marcas pro vulneribus statuimus persolvendas.

De falcastratione alicujus prati.

Bartoldus deposuit querelam contra Andream, quod pratum ipsius falcastrasset, et gramina abscidit. Andreas licet sit confessus praedictum pratum se falcastrasse, tamen adijciendo proposuit, quod idem pratum vladarius Bartoldi pro certa pecunia sibi falcastrandum vendidisset, et pro eodem prato pecuniam idem vladarius accepisset, quem tamen mortuum asserebat; Nos autem considerantes confessionem praedicti Andreae, et mortem ipsius vladarij, in tali casu decernimus eundem Andream probare praedictam prati emptionem et solutionem taliter, ut praemittitur esse factam.

De vulneratione alicujus in ludo.

Item Bartoldus deposuit contra Andream, quod ipsum vulnerasset, Andreas confessus est ipsum Bartoldum vulnerasse, dicens se invitum et nolentem fecisse solatijque causa, prout amici plerumque assolent facere jocando; Nos igitur audita ipsius Andreae confessione, attendentes quod ludus non debet se extendere ad aliquam laesionem, seu vulneris offensionem, ipsum Andream in tali casu decernimus Bartoldo ad vulneris satisfactionem condemnandum.

38

De fidejussoria cautione.

Nicolaus Mathiae mutuavit decem marcas, pro quibus Mathias Laurentium dedit fidejussorem, et post aliquot dies, idem Mathias debitor, ipsi Nico laocreditori, in absentia Laurentij fidejussoris eandem pecuniam exolvit, et ut debuit restituit, tempore vero procedente praedictus Nicolaus creditor Laurentium fidejussorem praefatum, traxit pro dicta pecunia ad iudicium, seu ad causam, et quod idem fidejussor in iudicio constitutus, asserebat praedictam pecuniam per Mathiam debitorem principalem fuisse persolutam, Nos in tali casu decernimus probandum, factam fuisse solutionem.

De uxore et paraphernalibus circa quae debeat remanere post mariti mortem.

Statuimus, quod marito mortuo uxor circa donationem et dotem, et quaelibet paraphernalia, in pecuniis, gemmis, lapidibus et vestibus superextantibus, et remanentibus debeat remanere, ipsa autem mortua ad liberos si ipsos habuerit praedicta omnia bona devolvantur. Quae mulier habendo pueros, si alium virum receperit vel recipere voluerit, decernimus, quod tantummodo ad eosdem pueros omnia bona paterna integra cum alia parte ipsos in divisione concernente quorumlibet bonorum maternalium, in quibuscunque rebus consistent, absque aliqua contradictione devolvantur, et cum alia residua suorum bonorum parte, maritum accipiat, juxta suam voluntatem.

De virginum desponsatione et earum dotatione.

Item statuimus, quod cum aliqua domicella maritatur, aut nuptui alicui traditur, dos seu dotatio in pecunia parata sufficiat, quae in praesentia amicorum assignetur, bona vero haereditaria coram Regia Majestate debeant assignari. Etiam statuimus, quod si quis militum aut nobilium de hoc saeculo migraverit, habens filios, vel filias, tunc filiae per fratres maritis tradantur, dote tamen eis more consveto assignata; si autem filios non habuerit, sed filias, tunc filias omnes possessiones cedant paterna. Et si fratres patruales hujusmodi haereditates obtinere voluerint, tunc milites secundum ipsorum conscientiam praedictas haereditates taxabunt, et a die taxationis hujusmodi, dicti fratres patruales, sororibus intra annum parata pecunia (secundum quod fuerint taxatae haereditates) persolvere tenebuntur; etsi in tempore unius anni neglexerint solvere, tunc filiae haereditates perpetuo possidebunt.

39

De expurgatione furti in via publica commissi.

Martinus conqueritur de Nicolao, quod die forensi, in via publica sibi de pera octo scotos violenter recepisset, Nicolaus vero negabat, iniusteque, se ab eo accusari asserebat, cum eandem pecuniam non amisisset, nec sibi recepta fuisset, volens se tantum sex testibus de hoc expurgare. Nos in tali casu decernimus cum duodecim testibus fide dignis et non paucioribus fieri hujusmodi expurgationem.

De inventione alicujus rei, et expurgatione eiusdem inventionis.

Item Martinus deposuit contra Nicolaum, quod dum agros coluisset proprios, bursa eidem cecidisset, in qua fuissent tres scotti, Nicolaus vero seminans bursam invenit eandem cum eisdem tribus scottis et eos monitus restituere non curavit, Nicolaus autem negavit se praedictam bursam invenisse vel pecuniam habuisse; Nos itaque in tali casu indiximus eidem Nicolao, proprio se juramento expurgare, quod non invenit, nec habuit pecuniam eandem.

De inculpatione vladaril per ipsius dominum.

Praeterea cum dominus contra suum vladarium, aut contra alium familiarem, pro aliquibus rebus, vel injurijs moverit quaestionem, tunc ipse vladarius aut familiaris domino suo non deferendo juramentum, teneatur se cum sex testibus expurgare.

De scultetiae emptione et venditione.

Cum officium scultetorum semper existat servile et ad nutum dominorum suorum stare et facere jure teneantur, indecens est ut majores, aut potentiores personae in scultetias aliquas, praeter dominorum voluntatem assumantur, idcirco fuit visum nostris Baronibus, ut nullus miles, aut alius quicumque illustris emat aut acquirat sibi in aliqua villa scultetiam, praeter illius villae possessoris, sive domini, sive patroni voluntatem, factam autem emptionem contra hoc statutum decernimus irritam et inanem.

De divisione facta coram amicis, cum praescriptione triennali.

Cum omnis dissensionis et discordiae sit mater ipsa communitio, in qua etiam fratres et quidem germani existentes ad odia et lites non modicas saepius provocantur, ad quas evitandas ne in periculum vitae utrinque incidant, consueverunt plerumque homines vivere et stare in domibus proprijs separatim, de parte bonorum sive haereditatum quae ipsos concernit habita divisione abinvicem, interventu ipsorum amicorum: et licet ad principem notitia ipsius divisionis non fuerit deducta, tamen quia saepe contingit, quod ex aliquorum vita activa et bona procuracione negligentes et in ratione dissoluti domos proprias et bona haereditaria reformare non curantes, domos reformatas et haereditates ad utilitatem deductas jure pro se ipsis obtinere nituntur, fratres aut amicos ipsorum ad iudicia protrahentes, et sic quilibet paterfamilias timore isto et abusu percussus, a reparacione bonorum se subtrahit et domorum erectione; quare ut a tali torpore et pigritia, tales retrahamus et excitemus, utque bene laborantes et procurantes aliquod commodum inde reportent; statuimus nostra auctoritate, ut quicumque fratres vel amici consanguinei, aut remoti sexus utriusque abinvicem separati fuerint, vel divisi, et in hac separatione vel divisione steterint per tres annos et per tres menses in taciturnitate ad iudicium non provocantes, (nisi causa legitima assignetur vel allegetur, propter quam praescriptio legitima impeditur) a repetitione seu vendicatione partis haereditatis fratris sui, vel amici, praescriptione objecta legitime excludentur.

40

De furto et latrocinio.

Cum furta et latrocinia propter criminis immanitatem et inflectionem, seu formidinem poenae pro delicto commissio opponendae, per maleficos interdum plurimum occultantur; itaque notitia criminis in brevi non potest propalari et mani-

festari, et sic furta quaecunque remanent impunita, et cum contra tales actio proponitur aut opponitur, tunc per exceptionem praescriptionis annualis volunt, et nituntur se tueri; in detestationem itaque criminis et maleficiorum decernimus, ut si quis de furto, aut latrocinio in iudicio accusetur, si accusans cum accusato sunt simul in una villa, vel in una parochia, audientes simul divina, tunc objectio et exceptio annualis praescriptionis procedat et habeat locum contra agentem de furto; si autem aetor et reus sunt abinvicem distantes, nec taliter ut praemissum est vicinitate conjuncti, non alia praescriptio vel exceptio agentem de furto repellit, nisi tantum triennalis, et imputent etiam suae pigritici omnes desides et lenti, qui in sui damni recuperatione minime curaverint vigilare.

41 **De pueris legitima aetate carentibus ad iudicia super haereditaria quaestione evocatis.**

Si impuberes cujuscunque pueri ante legitimam aetatem ad iudicia trahantur, super haereditaria quaestione, aut alia quacunque controversia et ob defectum aetatis cum actore litem contestari, seque tueri nequeunt, propter quod et plerumque infantilis aetas et pueritia consuevit offendi. Quare statuimus, ut ex interlocutione iudicis eadem litem contestatio usque ad aetatem debitam illorum puerorum prorogetur: et dilatione pendente aliquot anni effluere consueverunt, deinde pueris legitimam attingentibus aetatem, si quaestio eadem ipsis innovatur, ijdem pueri contra se agentibus, exceptionem praescriptionis, aut tantae taciturnitatis illorum annorum, quibus iudicati non fuerunt obijcere et opponere minime valebunt, sed tantum utantur istius temporis praescriptione si quae fuit apud ipsos, vel eorum progenitores, antequam fuissent primo ad iudicium tracti super eadem causa, et evocati.

De viduis et maritatis et earum praescriptione.

Cum realis distinctio personarum habeatur inter quas quaedam personae sunt liberae, ut virorum, aliae autem ut mulierum, quae minus libere agere possunt in iudicio super rebus et haereditatibus ipsis debitis et obligatis, propter quod statuimus, ut viris tantum et masculis praescriptio triennalis currat, viduis vero sex annorum praescriptio propter fragilitatem sexus apponatur, mulieri autem maritatae, cum non habeat sui ipsius potestatem liberam propter maritum, decem annorum apponatur praescriptio.

De illis qui calumniose de crimine homicidij accusantur.

Ut calumniis malorum hominum via praecludatur, consueverunt enim quidam homines litigiosi calumniose viros innocentes de crimine homicidij commissi ante multos annos querulose accusare, cujus probatio vel expurgatio propter facti vetustatem haberi non potest, unde statuimus, ut si quis de crimine homicidij vult accusare, vel agere contra aliquem, poenam pro capite sibi cupiens vindicare, et obtinere, antequam tres anni

elabentur, a die criminis commissi, hoc in iudicium deducat, alias tribus annis elapsis petenti et agenti pro poena capitis obstabit praescriptio et exceptio praescriptionis.

De sententia inique per iudicem lata et impugnata.

Cum in causarum processibus, apud justos iudices nil habeat odium vindicare, vel favor usurpare, timor praevalere, aut praemium justitiam evertere, sed gestant stateram in manibus aequo libramine lances appendentes, ut in concipiendis et ferendis sententijs solum Deum prae oculis habeant, ne velut famae suae prodigi, et persecutores honoris contra eorum conscientiam et justitiam per gratiam aut per sortes, quidquam faciant partis in gravamen, propter quod statuimus, ut si aliquis deinceps iudex ordinarius vel delegatus timore Dei postposito utique sententia-verit contra aliquem clientulum alteri parti ipsam condemnando super haereditate aut alia re certa in iudicium deducta, et propter hoc pars damnata ad superiorem appellet; et quia moris est in iudicio Polonicali, quod iudex a quo provocatur et cujus sententia per partem impugnatur, non prius teneatur suam defensare sententiam, nisi prius per partem tres marcae, aut pelles mardurinae sibi assignentur, ut parilitas in poenis habeatur, et si idem iudex vincatur per partem condemnatam, eidem pelles, aut tres marcas receptas cum poena *pietnadzista* suffusus rubore, suo adversario restituat, qui ad superiorem in falsa pronuntiatione evocavit.

Quando iudex non potest redargui.

Insuper statuimus, quod in nostra praesentia, vel coram nostro Capitaneo, vel quando generales termini tenentur Palatinis vel Baronibus praesentibus, iudex iudicans non possit de malo iudicio redargui, cum non ipse solus sed caeteri et plures iudicant supradicta.

De oblivione iudicatae sententiae.

Adijcientes quod quando super iudicato dubitatur et ad iudicem recipietur, alias *wstecz*, quod si ille in memoria teneat qualiter iudicavit, statim dicere vel in crastinum differe teneatur.

De pignoribus faciendis et pecoribus depellendis ministerialiumque constitutione.

Item ubi Curiae nostrae sunt remotae, terrigenae nostri possunt pignora recepta ad Curiam Castellani, aut Palatini in terra illa commorantis propellere. Hoc etiam specialiter declaramus, quod officiales, vel ministeriales alias *služebniki* nullus nisi Palatini instituere et eos iudicare, proque afflictione, aut vulneribus, vel capite eorundem poenas exigendi, vel levandi omnimodam habeant potestatem.

De illo qui sententiam iudicis redarguit.

Statuimus insuper, quod si litigator dixerit in nostra nostrorumque Baronum praesentia, vel absentia iudicantem in causa sua inique et perperam processisse, vel iudicasse, iudex per suos

42

43

collegas, qui secum praesederunt in iudicio eodem statim probare debebit, quia juste et legitime iudicavit. Sin autem arguens de falso sententiam suam probare voluerit, ipsum iudicem ut praemittitur inique sententiam protulisse, id probare teneatur per sex testes similis dignitatis, cujus noscitur esse iudex; isque redarguens sententiam iudicis, ut est dictum, nullatenus audiatur, donec iudici tres marcas vel pelles dederit mardurinas, quas idem iudex pro se judicialiter obtinebit.

De redargutione subjudicis.

Similiter redarguens sententiam subjudicis, non debet audiri, nisi prius illi tres fertones, vel pelles vulpinas curaverit assignare, quae eidem subjudici cedunt, si se juste comprobaverit iudicasse. Et id quod de iudice praemisimus, et Castellano etiam censuimus sentendum. Si vero iudicibus Castellanorum objiciet aliquis falsitatem sententiae, audiri minime teneatur, donec eis pelles agnellinae fuerint praesentatae, quas pro se obtinebunt, si similiter suum iudicium ostenderit fore justum.

De moneta in Regno currente.

Cum sub uno principe et capite eadem gens jura diversa habere non debeat, ne sit tanquam monstrum, diversa habens capita, expedit Republicae, ut uno et aequali jure, tam Cracovienses, quam etiam Majoris-Poloniae inhabitatores, et caeterae Regni nostri terrae utantur et iudicentur, et ex quo unus princeps est omnium et dominus, statuimus de consilio et assensu nostrorum Baronum et Procerum, quod una moneta in toto Regno nostro debeat haberi, quae debet esse perpetua et bona in valore et pondere, ut per hoc caeteris sit gratior et acceptior.

44 **Milites et nobiles ad expeditionem bellicam sunt obligati et debent servire armati.**

Sed quia in armata militia honor Regis, et defensio totius Regni dependet; tenetur igitur quilibet miles secundum quantitatem et possessionem suorum bonorum et redituum ad Rempublicam certis armatis hominibus servire et prodesse, dummodo bona ipsorum sint libera, et de jure militari instituta et absque omni vexatione conserventur. Decernimus etiam quod Barones et Nobiles nostri terrarum Poloniae, Nobis et nostris Successoribus in Regno nostro Poloniae, quanto melius et efficacius poterint teneantur militare et armis se instituere et servire; sed extra Regni metas nobis servire non sunt obligati, nisi ipsis satis competens satisfactio per nos impendatur, vel per nos specialiter fuerint petiti et rogati ad hoc.

De praescriptione haereditatum contra eumentem.

De caetero statuimus quod cum aliquis emens haereditatem et ipsam tenens tribus annis, et tribus mensibus pacifice et quiete, etsi ipsum

aliquis consanguineus vel affinis post praedictos annos impediatur, volens ipsum ab eadem emptione per proximitatem videlicet repellere; statuimus quod ex quo idem proximior tacuit tribus annis, et tribus mensibus praenotatis, ut a mandato nostro sit ei licitum praedictam acquirere hoc modo haereditatem. Hoc etiam volumus intelligi, quod si aliquis debitor diceret, haec haereditas est mihi propinquior quam tu tenes, quia venditor ipsius fuit mihi prius debitus antequam ipsam comparasti; si talis cujuscunque conditionis fuerit christianus vel iudeus, et tacuit tribus annis et tribus mensibus, silentium sibi perpetuum pro eadem haereditate imponatur.

De tutoribus puerorum quod non possunt haereditatem ipsorum vendere.

Cum pater decesserit pueris relictis, ipsis ad annos legitimos nondum educatis, tutor ipsorum non potest haereditatem ipsorum vendere, nec gades limitare, nec ipsam haereditatem aliquomodo perdere, quod si secus fieret, pueri ad annos discretionis pervenientes haereditatem suam a possessore viceversa habere, et lucrari possint, nec ipsis aliqua praescriptio allegari possit. Citati respondere non tenentur, sed per iudicem anni aetatis eorum computentur; tamen in casibus infrascriptis iudice requisiti comparere tenentur. Primo, si aliquis patri ipsorum haereditatem aliquam suam obligasset, et ipsam a pueris redimere vellet, tunc pueri pecuniam obligatam recipere tenentur, pro eadem haereditate, quamvis annos legitimos non haberent. Item, si quis pro patre ipsorum cautionem incideret fideiussoriam, et vivente patre ad iudicium fuerit provocatus, tunc pueri respondere vel solvere tenentur, fideiussorem liberando, non expectando annos aetatis: tertio, si pater pro aliqua haereditate citatus fuisset adhuc vivens, etiam pueri respondere teneantur pro eadem haereditate.

De tutoribus orphanorum.

Multoties contingit, quod pueris in orphanitate constitutis aliqui quasi eisdem compatibles, ipsos nomine tutorio in curam recipiunt et tutelam, tandem ipsis ad aetatem legitimam venientibus, a tutore solent exigere rationem, de bonis et rebus mobilibus et immobilibus quibuscunque, unde de consilio Baronum nostrorum statuimus, quod tutor peractis temporibus de nullo rationem facere tenetur, nisi de censibus et jumentis indomitis.

De filia vivente patre, dotata.

Statuimus etiam quod postquam aliquis nostrorum nobilium filiam suam vivens nuptui tradiderit, et dotem sibi assignaverit competentem, ipso tandem defuncto, eadem plura a fratribus repetere non poterit. Si vero patre mortuo filiae vel filius remanserint solutae neque per patrem dotatae; si filia fuerit Palatini et possessiones fuerint multae, eidem centum marcae pro dote, per fratres assignentur; ubi vero possessiones

45

pancae et filiae multae vel una, haereditatis fiat aestimatio in valore, et pars contingens cuilibet sorori per fratrem nomine dotis pecunia persolvatur; et idem sentimus de filiabus inferiorum nobilium a Palatino, quod cum eas in vita tradiderint maritis dote eisdem similiter assignata competenti, quibus de hac luce sublatis, fratribus quaestionem, pro majori haereditate movere non poterint, fratres vero uterini cuilibet sorori quadraginta marcas solvere teneantur, si possessiones sunt multae, ut praefertur; si vero paucae, fiat aestimatio, ut supra, et pars contingens cuilibet sorori in pecunia per fratres exolvatur, fratribus vero uterinis non existentibus, idem volumus de patruelibus esse intelligendum, et patruelibus non existentibus, tunc quilibet de eisdem armis et signis consanguinitate saltem proximior in bonis haereditarijs seu patrimonialibus succedere poterit sororibus dotatis, ut superius est descriptum, et interim quod sorores non fuerint matrimonialiter copulatae, haereditates patrimoniales quocumque modo vocentur praedicti fratres poss. debent, quousque eas nuptui tradant et dotent modo praemisso. Hoc specialiter declarando, prout etiam superius praemisimus quod cum pater in vita sua aliquam nuptui tradiderit, ex hoc debeat contentari, quod sibi pater assignaverat, dum adhuc viveret in humanis, nec fratribus pro dote aliquam poterit movere quaestionem sed contentari debet de eo, quod parentes ipsius viventes et sui compotes existentes sunt largiti, adjicientes quod fratribus seu mortuis, seu existentibus filiae haereditatibus non succedant; sed contententur dote eis tradita, ut superius continetur.

46

De violationibus virginum et oppressionibus viduarum vel maritatarum.

Quicumque vero virgini seu viduae, vel conjugatae in campo, silva, domo aut ubicunque opprimendo violentiam fecerit, et virgo seu mulier evadens violentiam oppressoris, etsi infra triduum ad villam viciniorem veniens, seu in villa existens ad villanos clamaverit, plorando vel lachrymando, narrando sibi violentiam esse illatam, et signa oppressionis in ea apparuerint manifesta, et subsequenter juraverit, in gratia nostra amicorumque ejus idem oppressor existat, et hoc si de ejus clamore dicti villani fuerint protestati. Si vero virgo de oppressionem aliquem accusaverit calumniose et in ea signa non apparuerint oppressionis, extunc si is quem accusavit cum sex suae conditionis hominibus se expurgabit, extunc ipsa calumniatrix cujuscumque status et conditionis existat, poena debita castigetur.

De illo qui tribus vicibus de furto fuerit accusatus.

Statuendo declaramus quod si quis tribus vicibus de furto vel spolio in judicio convictus extiterit, etiamsi rem furtivam seu ablatam restituerit, is infamis remaneat perpetuo, nec eidem portae pateant dignitatum, nullaque donaria in

vestibus, aut alijs rebus penitus consequatur. Quodsi accusato de furto sed non convicto, adhibito certo numero testium fuerit indicta purgatio, et is si unius testis testimonio defecerit, propter hoc infamis, nullo modo habeatur, sed passo damnum satisfacere teneatur.

De illo qui interficit iumentum alicuius indomitum.

Statuimus insuper, quod interficiens iumentum indomitum cujuscumque, quatuor marcas, pole-drum vero interficiens tres marcas, et ubi iumentum ictu vel plaga culpa alicujus laesum fuerit ad dorsum, marcam cum dimidia, et pro poledro secundi anni, quinque marcas, hujusmodi ictum vel plagam inferens solvere teneatur, ubi vero tertij, quarti vel quinti anni poledrum, vulgariter *zrzebca* occiderit, juxta quod passus damnum super existimatione ejusdem poledri occisi juramento suo firmaverit, satisfacere teneatur.

De incidentibus silvas vel gaja vel borras alienas.

Statuimus etiam, quod quicumque habens cum aliquo limites vel terminos, transgrediendo, ligna vel utensibilia in alicujus silva vel gajo incidit, is cujus silva fuerit, incidentem prius in securi, secundo in pallio vel tunica, tertio in bobus vel equis, seu in uno equo impignerare poterit sine poena, sed si impigneraverit in duobus bobus vel equis, unum pro se obtinebit, et alium bouem vel equum super fidejussoriam cautionem dimittat et signum in arbore ubi impigneravit facere et incidere teneatur. Si vero quis in gajo alterius furtive unam vel duas quercus incidit, pro qualibet quercu sex scotos, si vero tres incidit, tres fertones illi, in cujus gajo fecit, cum tribus marcis pro poena, et judicio alias tres marcas solvere teneatur, et si tantummodo propagines vel plantas minutas exciderit quatuor scotos ipsum incidentem solvere oportebit, et idem volumus esse tenendum de quercubus silvarum seu in silvis aquaticis, circa quaslibet aquas. De quercubus vero mericarum vulgariter *dqbrowa*, duos scotos quilibet ipsam incidens persolvat, si autem propagines seu ramos incidit solummodo pignora ab eo recipientur. Si quis autem arborem cum apibus succiderit, passo damnum marcam, et judicio alteram, qui vero sine apibus, tamen ad apes aptatam arborem succiderit, passo damnum marcam mediam, et judicio pariter mediam convictus exolvat.

De iumentis indomitis pascendis sub custodia.

Statuimus quod omnes habentes jumenta indomita, a vigilia Sancti Adalberti usque ad Festum S. Michaelis, illa sub custodia pascere teneantur, alias qui secus fecerit aestimatione damni convictus, judicio et damnum passo cum poena unius marcae ad solvendum sit adstrictus, sed denique ipsa jumenta damnum patiens ad suam domum propriam pellere non praesumat.

47

De porcis sive scrophis et eorum pascuis silvestribus.

Statuimus etiam, quod quicumque scrophas proprias ad glandes silvae alterius depulerit, hic cujus silva fuerit, pro prima vice porcum unum, secunda vice si invenerit duos porcos mactare poterit et valeat, et tertia vice si invenerit omnes scrophas pellere poterit ad curiam nostram magis vicinam, easdem Nobiscum per medium divisurus; ita tamen quod ubicunque praedictos porcos intra suos limites mactaverit, signum in arbore facere teneatur, et si pars adversa damnum ibidem illatum esse negaverit, tunc impignerans tenetur signum in arbore incisum et factum exhibere, et hoc proprio suo juramento firmare, videlicet ibidem porcos esse inventos.

48

De illis qui porcos pretio ad silvam conducunt.

Statuimus, quod quando aliquis habens silvam vel mericam a se distantem, porcos suos vel scrophas per bona alterius intermedia et vicina voluerit ducere seu pellere ad eandem silvam, id facere non poterit per bona alterius, nisi per viam quae ducit ad silvam suam, et idem dicimus esse, per omnia observandum de eo, qui pro suis scrophis vel porcis, pro pretio conduxerit silvam glandibus abundantem vel fagis, et bona alterius sunt intermedia inter silvam hujusmodi vel mericam. Is ergo per cujus bona, pecudes hujusmodi domini mericae vel silvae conductoris, pelli debebunt, ex utraque parte viae ad triginta ulnas, glandes proprias prius colligat seu depascat, ut sic praedictus conductor mericae vel silvae, praedictas scrophas, vel porcos absque suo damno, seu offensa possit pellere ad eandem.

De treugis pacis seu salvo conductu dandis, de Regno fugientibus.

Statuimus, quod si aliquis coram Nobis vel nostro Capitaneo de aliquo crimine vel maleficio fuerit accusatus, et ad ostendendam suam innocentiam per Nos vel nostrum Capitaneum non fuerit admissus, et ob hoc ipsum fugere contingat, et ne hujusmodi fuga ad infamiam reputetur, idem fugiens coram Reverendissimo in Christo Patre Episcopo Cracoviensi, aut Palatino Cracoviensi, aut Sandomiriensi, protestabitur: quod Nos aut Capitaneus noster ad expurgandum ipsum admittere noluimus, et tales praenotati, aut Palatinus noster illius terrae profugo treugas duorum mensium dare poterit, et ipsum profugum servare, infra quod tempus idem Palatinus apud Nos, vel nostros Successores, eidem profugo quaerat gratiam et favorem, ut ipsum ad justitiam admittamus; quae si praedictus Palatinus non poterit obtinere, quod eundem videlicet ad expurgandam suam innocentiam admittere nollemus, extunc Palatinus ad metas terrae suae illum conducere tenebitur, qui a tempore conductus Palatini, infra annum terrae, Regno et terrigenis nocumenta inferre non debebit, uxore

sua in bonis suis pacifice, intra annum praedictum dimissa in quiete, quo anno evoluta, intra quem gratiam nostram semper quaerere debeat, et si ipsam invenire non poterit, et praefatus profugus, aliqua nocumenta Regno, vel terrigenis intulerit: propter hoc infamis non debet reputari, nec ipsum per terrigenas captum ad mortem Nobis aut nostro Capitaneo dare tenebuntur, nec propter hoc indignationem, aut offensam nostram incurrant terrigenae supradicti. Si vero malitiose, et absque culpa contigerit aliquem profugere et juri parere noluerit, et profugiendo nocumenta Regno aut terrigenis intulerit, bona ipsius immobilia praeter dotalitium uxoris camerae nostrae perpetuo applicentur, mobilia vero inter Nos et Barones nostros per medium dividantur, et si captus fuerit per quempiam, in gratia nostra consistat, nec propter captivitatem ejus, per amicos debet aliqua indignatio vel inimicitia occulta vel manifesta suboriri, uxor vero sua in dotalitio suo remanebit, prout superius est notatum, vel ipsum vendere, liberam habeat facultatem.

49

De kmethone a domino suo fugiente.

Praeterea declarando statuimus, quod cum a Nobis sive a quocumque alio domino Nobis subdito kmetho effugerit absque culpa sui domini, idem kmetho fugiens nullum jus acquirat tamdiu, donec domino suo de mansione ipsius non constabit, secus si domino suo de mansione ipsius constiterit, et intra annum ipsum jure non repeterit, extunc post annum si ipsum repeterere voluerit minime sibi hoc facere licebit, qui profugus si propter austeritatem, seu rancorem domini sui redire timens etiam jure convictus noluerit, extunc decernimus, quod idem fugiens domino suo tres marcas pro poena, et censum annualem integre, quem alias solvebat solvere tenebitur, et per hoc a domino suo fugitivus liberabitur antedictus, hoc tamen in jure terrestri non teuthonico intelligi volumus. Quando vero in jure teuthonico kmetho residet, idem fugere seu recedere non potest nisi haereditate vendita, vel loco sui kmethonem aequae divitem colloset, aut agris ex toto extirpatis, hyemalibusque et aestivalibus seminatis domino resignando, recedere poterit pro libito. Adjicientes, quodsi kmetho hujusmodi, in noctis tempore recesserit fugitive, res quascumque in domo dimiserit fugiendo, dominus ipsius pro se potestatem habeat retinendi, et nihilominus dominus, qui kmethonem hunc fugitivum secum retinere praesumpserit, priori domino restituere teneatur, cum omnibus rebus quascumque attulit ad eundem et cum poena quae dicitur *pietnadziesta*. Culpae vero propter quas a domino suo fugere licitum sit kmethoni sunt istae: prima, quando dominus propter suum excommunicatur delictum et ob hoc kmethones ecclesiastica privantur sepultura, item secunda, quando dominus villae, in quocumque loco suam villanam oppresserit violenter, et cum primum de hoc constiterit, nedum parentes oppressae, verum etiam

omnes villani, ubi hoc scelus commissum fuerit quacunque hora recedendi liberam habeant facultatem, nec oppressor hujusmodi seu dominus villae ipsos detinere audeat, seu in aliquo molestare. Idem liceat ipsis kmethonibus facere, cum ob culpam sui domini pignora de eis fuerint recepta, tunc absque quolibet impedimento possunt fugere ab eodem. Sed praemissis culpulis non existentibus, kmetho nequaquam recedat a domino suo, nisi domo bona relicta et decenter septa, solum in necessitate domini, juxta consuetudinem hactenus observatam. Et si antea libertatem habebat, tot annis domino suo serviat (ab ipso minime recedendo) quot annorum libertate gaudebat, et hoc quando in jure polonico sedet kmetho. Quando vero kmetho jure teuthonico est locatus, idem nequeat recedere ullo modo, nisi tot annis censum exolvat, quot annis habuit libertatem; nec tunc hoc sibi liceat, nisi aequae divitem loco sui kmethonem constituat, et agris suis in toto excultis seu extirpatis et seminatis hyemalibus et aestivalibus tunc recedere permittatur.

De mutatione pecuniarum per judaeos.

Porro cum judaicae pravitate intentio super hoc versetur, ut christianorum bona et divitias semper deprimant et evellant, convenit igitur non immerito statuere, ut nullus judaeus amplius alicui christiano in Regno nostro a modo constituto suas pecunias super literas obligationis praestet, aut mutuet, sed tantum ad pignus sufficiens praestare valebit, secundum consuetudinem antiquitus reservatam.

De salarijs officialium in judicio existentium, notariorum, ministerialium, Succamerariorum etc.

Statuimus quod Scriptores Judiciorum de testibus producendis, si scribere et signare eorum dicta oportebit, recipiant tres grossos, ubi vero terminos preceptorios scribunt, de nota et signatura in grosso medio contententur. Item volumus, quod officiales de uno producente testes, habeant quatuor scotos, a poena vero quae dicitur *pietnadziesta*, bovem, et quando pro furto pignerat, bovem mediocrem. Sed de limitatione haereditatum etiamsi pro una die duas vel tres haereditates inter eosdem duos Succamerarius limitaverit et consummaverit, recipiat mediam marcam, sed a pluribus diebus sive plures limitaverit haereditates, sive unam limitaverit, tres marcas et duas secures cum duobus fossorijs jure suo tollat. Item si officialis alias *woźny*, aliter formam juramenti testibus dixerit, quam est mandatum et de hoc convictus judicio fuerit, perpetuo de officio deponatur.

51 De causis criminalibus in absentia actoris Rex vel Capitaneus cognoscere non debet.

Statuimus quod in causis criminalibus in absentia accusantis, seu actoris cujus interest, Nos vel nostri successores, aut Capitanei nostri cogno-

scere non debemus, nec aliquem hominem condemnare, nisi convictum judicio et confessum.

De citationibus fiendis per literas et ministeriales.

Decernimus etiam declarando, quod Nos vel Capitaneus noster vel Palatinus, vel judex, vel subjudex, vel officialis, qui dicitur *woźny* habeant facultatem dandi ministerialem ad citandum; ita quod qui habent jus, non citentur nisi per literas nostras vel nostri Capitanei illique per literas duntaxat citentur. Sed Curia nostra praesente, vel judicio nostro generali existente, poterit officialis ad mandatum nostrum vel nostri Capitanei seu judicis sine litera citare in hospitio aut in foro. Extra Curiam nostram vel judicium nostrum, si quis citari debuerit, non in domo militis, sed apud vladarium sive scultetum edictum citatorium proponatur actore praesente vel ejus nuntio, ei contra quem actio fuerit dirigenda, causa citationis per quem citatur exposita, et assignato sibi certo termino comparendi. Et si citatus comparere non curaverit vel contempserit, pro quolibet termino videlicet primo et secundo octo scotos pro poena solvere teneatur, et in tertio termino si non comparuerit causam perdat et ab actione cadat cum poena. Si vero actor in primo termino, nec per se, nec per alium suum nuntium paruerit, ab actione sua cadat cum poena septem marcarum.

De debito pecuniario.

Cum gravi debito rixae plerumque, utpote sexaginta trecentarum, aut plurium marcarum suscitentur, tantum debitum brevi tempore provideri ac inopinate et subito solvi non potest, ex gratia conferendum statuimus, ut decem et octo septimanis terminus inclusivus ad solvendum statuatur et observetur, pro primo termino sex septimanarum, pro secundo aliae sex, pro tertio ultimae sex septimanae. Hunc etiam terminum dum quis extra terram sit et citatur pro termino preceptorio eidem ad iudicium praesigendum declaramus, alias judex ad definitivam procedat sententiam hujusmodi contumacia citati non obstante.

De fidejussoria cautione.

Praeterea statuimus, quod quilibet fidejussor illo negante, pro quo fidejussum fuerit, si debitum fuerit viginti marcarum solus, si vero fuerit quadraginta, metsecundus, in majori vero pecuniae quantitate, mettertius ipsum debitum pro quo fidejussum fuerat, fidejussor et duo alij firmabunt proprijs juramentis. Etiam decernimus quod nullus fidejussor pro illo, pro quo fidejussit in judicio, equum et bovem obliget, alias si obligaverit ad restitutionem damnorum principalis debitor procedet, si praesertim processerit de ejus voluntate.

De obligationibus.

Quia ex facilitate obligationis ad magna damna plerumque homines deveniunt, jure tenendum est, quod si quis fidejussit pro aliquo suo amico pro

certa pecuniae quantitate alicui civi, vel alteri cuicunque cujuscunque status vel conditionis existat, illo tunc non solvente in termino adveniente et statuto, fidejussor non debet propter hoc ad hospitium in obstagium subintrare, aut aliqua damna facere non solventis in destructionem. Sed si est parvum debitum, detur ei pignus et distrahatur, si autem magnum, possessio debitoris pro valore debiti per fidejussorem apprehendatur, tradaturque illi, cui debitum dare tenetur.

De occupato in judicio qui crimen mandato alterius se fecisse proponit.

Quotiescunque in judicio in causis criminalibus seu quibuscunque alijs magnis et parvis quispiam conventus fuerit, qui dominum aut criminis auctorem nominaverit, aut socium, ejusque mandato se fecisse affirmaverit, et ille tunc principalis veniens ad iudicium ipsum liberabit, asserens ipsum id fecisse suo mandato, statuimus, quod ille citatus libere a judicio discedere poterit, actioque hujusmodi dirigi debet contra dominum et criminis auctorem, qui protinus et ex continenti respondere tenetur, alias primus ille, qui citatus est respondere compellatur.

De donationibus.

Hoc statuto perpetuo declaramus observandum, quod donationes fixae et firmae debeant permanere, etiamsi privilegium super eisdem donationibus concessum non fuerit, dummodo saltem morte donatoris vel ejus cui donatio facta fuerit, confirmetur, praesertim his, qui Nobiscum seu nostris successoribus viriliter in bello pugnantes fuerint interfecti, donatio recipiat perpetuam firmitatem.

De praescriptione pecorum vel pecudum.

Statuimus insuper, quod passus damna per furtum, vel spolium in pecoribus vel pecudibus vel rebus minutis infra annum tantummodo evocandi ad iudicium, quem voluerit habeat facultatem, sed in jumentis et equis violenter vel furtive ablati intra duos annos, post annos vero supradictos ad agendum non nisi cum testibus admittatur.

De furto piscinarum vel lacuum.

Praeterea statuimus, quod si quis in alterius villa vel possessione in lacu, piscina, in aqua fluenti, in foeno, in frumento, aut in campis furtum fecerit, judicio convictus damnum passo satisfacere, et domino villae in qua hujusmodi furtum commissum est, ipse fur poenam solvere teneatur. Depascentes vero et incidentes gramina cum fulce in tunica vel pallio impignorentur.

De famulis in contentione dominum jurantibus.

Item statuimus, quod quotiescunque aliquos cujuscunque conditionis vel status existant, contendere contigerit, et famulus dominum suum jurando, exempto gladio vel cultello aliquem vulne-

raverit, pro eo indignationem vulnerati, vel amicorum ipsius nullatenus incurrat.

De eo qui aliquem in judicio vel coram judicio vulneraverit.

Statuimus etiam, quod si aliquis in judicio cultellum extraxerit, neque aliquem vulneraverit ut talis denique in gratia nostra consistat. Si vero gladium vel cultellum extraxerit et vulneraverit aliquem, poena quae dicitur *siedmnadziesta* puniatur, et illi quem dehonorerit, poenam *pietnadziesta* solvere teneatur.

De eo qui coram Regia Majestate aliquem vulneraverit, vel gladium extraxerit.

Insuper statuimus, si quispiam coram Nobis gladium vel cultellum extraxerit et aliquem vulneraverit, sine gratia puniatur. Si vero extraxerit et non vulneraverit in gratia nostra consistat, et idem si coram Capitaneo nostro hoc factum fuerit decernimus observandum. Si vero coram Domino Archiepiscopo gladium vel cultellum extraxerit, sive vulneraverit, sive non, poena *siedmnadziesta* puniatur eidem Domino Archiepiscopo applicanda. Si quis vero turpia coram eo protulerit, poenam eidem Domino Archiepiscopo *pietnadziesta* persolvat. Si vero in Curia nostra vel alicujus militis, minutas quascunque res quis subtraxerit, auri periculo et privationi sit subjectus. Ubi vero coram milite quis gladium vel cultellum extraxerit neminem tamen vulnerando, sit in gratia militis; si autem vulnus intulerit, decernimus, ut manus sua perforari possit et debeat.

De violentiis fiendis in pabulorum venditione.

Cum itaque omnis violentia non immerito varijs juris sanctionibus prohibeatur et coerceatur, Majestas igitur Regia aequum censuit subditorum commoda, in his praesertim providere, statuimus ideo, ut transeuntes per viam ad domos ipsorum vel in proprijs etiam negotijs procurandis, sive sint principes milites, aut alterius status et cujuscunque conditionis homines existant, pro se expensas, aut pabula eorum in villis, tabernis, aut locis solitarijs non recipiant, aut aliquam vim inferant vendere nolentibus, aut a venditione se retrahentibus, sed unusquisque libere utatur re sua pro libito suae voluntatis.

De eo quod villanus non debet impignorari pro poena domini sui.

Ex jure divino debet observari, quod iniquitas unius, alteri non debet obesse; hoc statuto igitur ordinamus, quod pro poena, obligatione, aut fidejussoria cautione militis, aut superioris, alteriusque cujuscunque kmetho vel subditus non debet impignorari, vel quovis modo astringi; sed si miles aut quivis alius aliquo et quocunque debito aut obligatione vel fidejussione sit astrictus et obligatus, ille de suis proprijs bonis et rebus, prout aequum est solvat et satisfaciat.

De eo quod pater non teneatur ferre iniquitatem filij et e converso.

Cum dicit scriptura, quod filius non portabit iniquitatem patris, nec e converso, ideo statui-
mus quod pater pro nequam filio et e converso
minime coerceatur vel puniatur, et idem de fra-
tribus germanis, vel quibuscunque consanguineis
declaramus, fore servandum, nisi pater de culpa
filij vel filius de culpa patris, aut frater de

culpa fratris, participando in crimine delatus vel
accusatus se nequierit expurgare, quia tunc se-
cundum exigentiam culpa puniendum esse cri-
men decernimus. Sed committens crimen secun-
dum magnitudinem ejusdem percussatur et pu-
niatur in bonis nobilibus seu in parte haeredi-
tatis sibi contingente, Nobis et nostrae Curiae
applicanda.

Finis Constitutionum Magni Casimiri Visliciae confir-
matarum et approbatarum.

LUDOVICUS.

PRIVILEGIUM

LUDOVICI REGIS

CONFIRMANS OMNES LITERAS, IURA, ET LIBERTA-
TES, PER ANTECESSORES EJUS, INDIGENIS REGNI
POLONIAE CONCESSAS, PER QUOD NOVAS EXEM-
PTIONES SUAS REGNO DEDIT PULCHRAS ET PER-
UTILES, UT PRIVILEGIUM CONTINET.

CASSOVIAE ANNO 1374.

In Nomine Domini Amen.

Cum gesta Principum debeant inviolabiliter
futurorum memoriae enodari, et confirmatio-
nes, libertates, immunitates, privilegia, instru-
menta, ratificationes perpetuis temporibus peren-
nari; proinde Nos Ludovicus Dei Gratia Hun-
gariae, Poloniae, Dalmatiae etc. Rex ad uni-
versorum, tam praesentium, quam futurorum no-
titiam, volumus devenire quod ex puro animo
et sinceris affectibus Regnum nostrum Poloniae
in bono statu et robore permanere anhelantes,
licet alias nostris promissionibus instrumento-
rum, seu privilegiorum Nobilibus ipsius Regni
Poloniae fuisset obligati. Quod decedentibus
Nobis de hac luce masculinam prolem nostram
tantum et non faemineam deberent habere et
sibi recipere nostrum in haereditatem et successo-
rem Regni Poloniae, demum Baronum, Militum,
Nobilium, et aliorum omnium consensu et vo-
luntate accedente, filias nostras non extante prole
masculina sibi in Dominos et haeredes Regni
praedicti acceptarunt, quas fieri nostros succes-
sores, et coronam Regni Poloniae ipsas volunt
et voluerunt obtinere. Tamen in eo casu, quo
filium vel filias divina Nobis providente clemen-
tia habuerimus unum ex eisdem masculis illis
deficientibus, unam ex nostris filiabus nunc na-
tis et extantibus ac in futurum nascituris, quem

vel quam Nos vel Excellentissima Domina Re-
gina, Mater et Consors nostra charissima, ipsis
assignabimus et assignabunt illum vel illam ha-
beant pro haerede et successore nostro, et ipsi
regnicolae assumere teneantur et habere prout
eisdem per Barones, Nobiles, Proceres, Civi-
taten: et singulos inhabitatores Regni Poloniae
fit et facta est de nostra voluntate obligatio ho-
magialis, et promissio fit et facta est; exnunc
prout extunc et extunc prout exnunc recipient
in Principem, haereditatem et legitimam successo-
rem, et deinde vel abinde successores eorum-
dem vel earundem locum regiminis habeant ob-
tinere in Regno Poloniae praenotato. Sed quia
Corona Regni praedicti per has successiones
posset aliquomodo dividi, rumpi, vel quovis mo-
do violari, promittimus bona fide absque omni
dolo cujuslibet fraudis sub Sacramento fidei no-
strae, ipsam coronam Regni Poloniae semper
salvam et integram ac illibatam conservare, et
nullas terras vel partes earum ab ipsa alienare
vel minuere, sed eam augere et recuperare, ve-
lut in Coronatione nostra sumus et fuimus obli-
gati nostris munimentis. Et quia praedicti no-
stri Nobiles affectum ad Nos habentes specia-
lem, quod etiam prolem nostram faemineam ve-
luti masculum eis in Principem et Dominum,
ut dicitur acceptarunt, ideo ob merita fidelia-
que servitia facta, et voluntates universitatis ip-
sorum quae Nobis et nostris pueris utriusque
sexus, facto fideli homagio praestiterint, et im-
posterum loco et tempore fidelia servitia sunt
parati dante Domino exhibere, eos speciali fa-
voro prosequendo, civitates, castra, possessiones,
oppida et villas, incolas villarum totius Regni
Poloniae inhabitantes, ipsorum Baronum et No-
bilitium omnium, absolvimus, liberamus et exi-
mimus ab omnibus et singulis collectis donatio-
nibus sive tributis, tam generalibus, quam spe-
cialibus, quocunque nomine censeantur, et ab
omnibus servitijs, laboribus, vexationibus, an-

56

57

garijs, praetangarijs, in rebus et personis com-
mittendis, pure et simpliciter solutos et absolu-
tos esse volumus, ac exemptos. Sed his tantum
volumus esse contenti, quod duo grossi usualis
monetae, in dicto Regno currentis, quorum qua-
draginta octo marcam faciunt Polonicalem, de
quolibet manso vel sorte locatis vel possessis,
singulis annis, Nobis et nostris successoribus, in
festo Beati Martini Confessoris in signum sum-
mi dominij, et recognitionem Coronae Regni
Poloniae exolvantur, eo expresso, quod si in-
sultus hostium in dictum Regnum invalesceret,
tunc Nobiles ipsius Regni ad repellendam eor-
um saevitiam occurrant cum omnimoda eorum
potestate. Demum si nostro et nostrorum suc-
cessorum regiminis tempore pro aliqua expedi-
tione facienda ultra fines ipsius Regni procedere
Nos expediat, vel eosdem Nobiscum cum inimi-
cis quibuscunque in eadem expeditione confic-
tum seu bellum facere et inire contigerit, et
aliqui ex ipsis in eodem conflictu si capti vel
detenti fuerint, damnaeque parva vel magna pe-
ceperint in rebus et personis ipsis, plenariam
satisfactionem impendimus. Item si aliquod ca-
strum vetus, reparatione indigeat, tunc tempore
pacis Burgrabius seu possessor et conservator
illius castri tenebitur reparare. Oriente autem
guerra et discordia castra nostra in confinibus
Regni nostri Poloniae sita et existentia, homi-
nes illorum districtuum, ubi ipsa castra sita ex-
sunt adjuvare ad reparationem reformationem-
que teneantur. Item si aliquod castrum pro de-
fensione et utilitate ipsius Regni, cum consilio
et consensu eorundem Baronum construere vo-
luerimus, tunc ad ejus constructionem ijdem Re-
gni Proceres tenentur adjuvare. Si vero sine
scitu et consensu eorundem Nobilitium et Proce-
rum aedificare voluerimus, tunc ad ejus constru-
tionem nostris sumptibus et expensis faciemus.
Item promittimus, quod tales honores et digni-
tates, utpote Palatinatus, Castellanus, Judicia
et Succamerariatus officia, et his similia, qui
vel quae usque ad vitam conservari consueve-
runt, alijs quibuspiam hominibus extraneis hos-
pitibus non conferemus, nisi talibus, qui sint re-
gnicolae terrarum ejusdem Regni, in quibus hu-
jusmodi dignitates, vel honores consistunt, quas
etiam dignitates et omnia officia ac singula vo-
lumus in eorum juribus prout fuerunt tempore
Serenissimorum Principum Dominorum Vladi-
slai avi, et Casimiri avunculi nostrorum Regum
Poloniae conservare plenarie. Promittimus quod
nullum Baronem, Militem seu Nobilem, vel ali-
um quemcunque, cujuscunque conditionis ex-
stat, extraneum hospitem, seu alienigenam praer-
terquam natione Polonum, in Capitaneum praer-
ficere debemus, nisi talem qui sub eadem Co-
rona de gente Polonica sit oriundus, dummodo
non descendat de stirpe ducali. Cacterum pro-
mittimus, quod nullum castrum seu fortalitium
Regni Poloniae alicui duci vel principi aut de-
scendenti de genere ducali, regendum et tenen-
dum committemus, pro tempore vel in aevum.

Deinde spondemus castra et civitates saepedicti
Regni, de quibus honores et judiciales sedes
procedunt, haec videlicet Cracovia, Biecz, San-
decz, Vislicia, Woynicz in Terra Cracoviensi,
Sandomiria, Zavichost, Lublin, Sieciechow, Lu-
kow, Radom, in Terra Sandomiriensi; ac ca-
strum Lancicien: in Terra Lanciensi, in Terra
Siradiensi Piotrkow, item in Terra Cuiaviae
Brzeskie, Krušwica, Vladislavia, item in Polonia
Majori, Posnania, Miedzyrzyc, Sbinsin, Kalisz,
Nakiel, Konin et Pysdry nuncupata, nulli al-
teri, nisi terrigenis, seu Capitaneis in eodem Re-
gno consistentibus conferemus. Alia autem ca-
stra quaecunque hospitibus vel alijs quibuscun-
que voluerimus, Nos et nostri successores habe-
bimus et habebunt liberam conferendi faculta-
tem. Decernendo quod ipsi Burgrabij, seu re-
ctores castrorum et homines ipsorum, coram Ca-
pitaneis Judicibus, Subjudicibus Regni praedi-
cti, qui pro tempore fuerint citati compareant,
et respondeant de se querulantibus, prout cae-
teri Nobiles et homines quicunque Regni praedi-
cti. Dummodo causa ultionis sanguinem non
requirat, cujus cognitionem pro Nobis et nostris
successoribus reservamus specialiter. Praeterea,
si per Regnum illud, quocunque tempore Nos
et successores nostros procedere contigerit, de-
scensus super Barones, Nobiles, Milites, ipso-
rumque populum, kmethones, seu ivagiones non
faciemus contra ipsorum voluntatem, nec ali-
quid occasione dicti descensus exigi faciemus ab
eisdem, quod si alias pro faciendo descensu di-
vertere non possemus, extunc pro nostris sum-
ptibus et pecunia, Nos procurari in victualibus
et alijs necessarijs faciemus. Insuper omnes Ba-
rones, Magnates, Nobiles, civitates, oppida, vil-
las, possessiones eorundem, populum, et kmeth-
ones in eorum libertatibus pollicemur et spon-
demus conservare, nec eos contra illas intendi-
mus aggravare, vel per quempiam faciemus ag-
gravari. Omnes autem alias literas, ordinatio-
nes, pacta, instrumenta et munimenta data et
concessa per Nos et successores nostros parte
ex una, ac praedictos Barones et Nobiles Re-
gni praedicti parte ex altera, quae successione
filiarum nostrarum Ducem vel in Ducem in di-
cto Regno fieri excludebant, de consensu eorun-
dem Baronum, Militum et Nobilitium dicti Re-
gni Poloniae cassamus, vacuumus, annullamus,
cassas, vanas, vacuas, et irritas nuntiamus, vo-
lentes ipsas carere omni robore firmitatis, praer-
sentibus solummodo perpetuis temporibus vali-
turis. In quorum omnium evidens testimonium
firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus
litteras nostras pendenti et evidenti sigilli nostri
simplicis munimine roboratas. Datum et actum
Cassoviae decima septima mensis Septembris,
anno Domini millesimo trecentesimo septuage-
simo quarto.

Finis privilegij Ludovici Regis.

58

POST MORTEM AUTEM LUDOVICI,

PROCERES REGNI
DE ELECTIONE FILIAE IPSIUS,

JURIBUS, ECCLESIAE BONIS, ET FINIBUS REGNI

SUB INTERREGNO DEFENDENDIS,

ITA ERANT CONFODERATI.

In Nomine Domini Amen.

59 Consonum rationi, et Sacris Canonibus esse dinoscitur: ut ea, quae pro communi utilitate regni fiunt et dicuntur, testimonio literarum approbentur: proinde Nos Vincentius Posnaniensis, Sandivogius Callisiensis, Palatini: Joannes Calisiensis, Sandivogius Naklensis, Andreas Stremensis, Moiek Biechoviensis, Cristinus Zbąssinensis, Castellani: Svateslaus Posnaniensis, Nicolaus Calisiensis, Succamerarij: Ubislaus Pincerna Calisiensis, Lassotha Dapifer, Josephus de Horodyscze, Wissota de Kurnik, Kunath Subjudex Calisiensis, Petrko Dobicki, Tomislaus de Wyssoki, Dobrogustius Radomicki, Dobrogustius Wloceziowski, Szczedzik Dupnicki, Petro Sosnicki, Nicolaus Petrski, Wodzimir Borzukowski, Laszek Welewski, Simon Gromowski, Petrik Stanacki, Meczko Krystoski, Nyczko Kaczkowski, Jan Popczyk, Janusius Jarogłowski, Albertus de Goray, caeterique Nobiles, Milites, totaque communitas Majoris Poloniae, Reverendo in Christo Patri ac Domino Domino Joanni Divina Providentia Episcopo Cracoviensi, necnon strenuis ac nobilibus viris et Dominis, Dobeslao Castellano, Spitkoni de Melsztyn Palatino Cracov., Joanni Palatino, Joanni Castellano Sandomir., Joanni Castellano Woynicensi, caeterisque omnibus et strenuis, et Nobilibus, ac omni communitati Terrae Cracoviensis, Sandomiriensis, Siradiensis, Lanciencensis, sub Sacramento nostrae fidei promittimus pure et sincere omnem fidelitatem et obedientiam filiae Serenissimi Principis ac Domini olim Ludovici sanctae memoriae olim Regis Poloniae et Hungariae:

quae Nobis, pro haerede legitimo, in Regnum Poloniae ad manendum dabitur: secundum tenores, prout articulatim sunt in literis descripti, per eundem Dominum Regem et suos praedecessores, Nobis et nostris successoribus datis et concessis, inviolabiliter tenere. A quibus quidem juribus prout in omnibus suis clausulis, punctis, et articulis continentur, sub praemissa nostra jurata fide, nunquam desistere volumus, sed circa eadem totaliter volumus remanere: promittentes pro successoribus nostris, quod sub fide et honore, cum Sacramento juramenti, a praemissis juribus non recedent, sed ipsa jugiter, cum praefatis dominis et successoribus eorum, defensabunt et tuebuntur.

Caeterum (quod absit) si quis, aut qui, contra aliquid praemissorum, ex nostris, aut quispiam aliquis, praesumpserit insurgendo attentare: omnes unanimiter, et concorditer, contra ipsos vel ipsum promittimus insurgere, et tanquam contra fidefragos, et jurium nostrorum destructores, totis viribus nostris anhelare.

60 Et si aliquis ex Baronibus, terrigenis, et Nobilibus saepe dicti Regni nostri, juxta jura et privilegia nostra jam dicta, ipsorum imitator ac defensor fixe ac studiose persistens, in alterum quemcunque seu quoscunque veluti destructores prophanatores violatoresque nostrorum jurium praemissorum, guerras aut militias quomodolibet contraxerit: extunc eidem favore auxilio consilioque pleno, sub jurata nostra fide assistere, et ab ipsius vel ipsorum inimicorum adversitatibus, eum volumus et sincere promittimus in omnibus cum nostris posteris defendere et tueri.

Insuper, si quis extra fines Regni positus ecclesias seu bona ecclesiae aut confinia Regni nostri, Rege nondum coronato, molestare praesumpserit, volumus promittentes sine dolo et fraude, cum ad hoc specialiter requisiti fuerimus, juxta possessiones facultatesque nostras unanimiter illa defensare. In cujus rei testimonium sigilla nostra praesentibus sunt appensa. Datum et actum Feria tertia post Festum S. Catharinae, in Radomskie sub anno Domini 1382.

VLADISLAUS JAGELLO.

PRIVILEGIUM

61 PRAELATORUM LITHVANIAE, TEMPORE

VLADISLAI JAGELLONIS

AD REGNUM DE DUCATU ASSUMPTORUM SE REGNO AD COMMUNIA AUXILIA INSCRIBENTIUM. ITEM QUOD NULLUM ALIUM QUAM VLADISLAUM REGEM PRO DOMINO HABITURI SUNT, POST MORTEM VITOWDI. ITEM QUOD COMMUNI CONSENSU DE UTROQUE DOMINIO REX SIT ELIGENDUS.

In Nomine Domini Amen.

Tunc enim multis errorum et dubiorum incommodis prudenter occurrimus, dum gesta aetatis nostrae literarum apicibus, et sigillorum appensionibus perennamus. Proinde nos praelati Principes, Barones, Nobiles, Terrigenae Terrarum Lithuaniae et Russiae, videlicet Jacobus Divina providentia Vilmensis ecclesiae Episcopus, Dux Ivanus Olgimunti cum filijs suis, videlicet Andrea et Semcone et caeteris Mungaylo, Gedigoldo fratre et caeteris, Czupurna Mareschalco, Semcon Jamunti, Fedorius Leonis cum Juskone fratre germano, Gasschow cum filio Talnusch, Gyneyd cum filio Milus et caeteris, Kynunth cum filio Dauxha, Strzygoil, Kariconis, Gyntolth Astok cum fratre germano Dorgi, Gastolth cum Przehgindo fratre germano, Nemira cum fratribus suis germanis Schugaylo Olizae Vessilonis Voinad, Ruschilowicz, Kyeszgailo et Kumbold Volimontonis cum suis caeteris fratribus germanis Goligin, Roman, Mileykonis cum fratre Volczkone, et caeteris, Voischyund cum filio Radivilo Volochko, Cavothmonis cum fratribus Butoldmuntigailo Hannusch, Montigerdonis cum fratribus suis, Bovogin Vichigirdonis, Draunti cum Veschkone filio, Volczko vel Utrwicz Volczko Conschowtowicz, Dogirdi Voynis Wrdzych cum fratribus Boligind, Veydmin Heschis, Selkowicz cum cognationibus et genealogijs suis, necnon tota universitas omnium et singulorum Nobilium et terrigenarum, praedictarum Lithuaniae et Russiae Terrar., quorum quamvis nomina singulatim hic non sunt expressa, ipsorum tamen consensus ad subscripta adest, acsi pro insertis haberetur. Proinde significamus quibus expedit universis. Quando eo tempore quo praelati Principes, Barones et Nobiles et communitas terrigenarum Regni Poloniae Divina cooperante clementia Serenissimum Principem Dominum Vladislaum Regem Poloniae, Supremum Ducem Li-

62 thvaniae, haerodem Russiae, Dominum nostrum gratiosissimum de gentilitatis erroribus educentes, in Regem et Dominum ipsorum assumpserint. Nos quoque ipsius vestigia sequentes almi Spiritus gratia eruditos, ad ipsorum consortium catholicum invitantes de tenebris erroris vetusti per assumptionem Sacrae fidei orthodoxae receperint, cum quibus in fide facti unanimes et consortes ad perfectionem catholicorum operum, merito et opportune debemus per concordiam perpetuo aspirare. Pro eo praedicto Domino Vladislao Regi Poloniae etc. et ipsius Coronae Regno ac Regnicolis Poloniae firma fide et inviolabili sponsione promissimus, et tenore praesentium promittimus toto posse et viribus contra insultus quorumlibet hominum eis assistere, et eos nullo exquisito coloris fuco unquam deserere, sed ipsos sine dolo et fraude, scilicet Regem et Coronam, Regnum et Regnicolas Poloniae et eorum necessitates perpetuo adjuvare, eorumque profectus, utilitates, comoda et bonum commune peragere salubri et fideli dispositione, velut nostrum proprium, quod et ipsi nobis pari modo tenebuntur facere vice versa. Demum quod praedictus Dominus Vladislaus Rex etc. Dominus noster gratiosus, ex speciali confidentia, Magnifico et praeclaro Principi Domino Alexandro alias Vitovdo Duci Lithuaniae etc. ipsum in partem suae sollicitudinis assumens, Supremum Principatum terrarum earundem Lithuaniae, caeterorumque Dominiorum suorum Ducatus dedit et contulit, et ipsum in eis de manu sua statuit, ad vitae ejusdem Domini Ducis Vitovdi terminum ultimum et extremum. Pro quo eundem Dominum Vladislaum Regem constantiori fiducia prosequi volentes, et prout justum est ipsum reddere certiore, firma sponsione et irrevocabili promisso sibi tenore praesentium promittimus, quod Supremus praedictus Principatus terrarum Lithuaniae et caeterorum Dominiorum Ducatus una cum bonis et caeteris patrimonialibus ad eundem Dominum Ducem Vitovdum pertinentibus et cum omnibus castris, fortalitijs, districtibus, territorijs, et eorum incolis post decessum ipsius ad ipsum Dominum Vladislaum Regem ac ad Coronam Regni hujus Poloniae, juxta tenorem literarum per praedictum D. Ducem Vitovdum, eidem D. Vladislao Regi et Coronae ejus datarum, debent plene et integre devolvi et redire. Et nos etiam cum nostris posteris atque successoribus post decessum D. Ducis Vitovdi promittere praedicto D. Vladislao Regi Coronae et Regno Poloniae adhaerere, subijci, obsequi et servire sine dolo et

fraude toto posse et viribus tenebimur, et praeter ipsum ad Coronam Regni ejusdem, nunquam nobis alios vel alium Dominum vel Dominos assumemus. Illo etiam non omisso, quod si Dominus Vladislaus Rex praedictus (quod Deus avertat) sine prole decesserit, extunc sine scitu et consilio ejusdem Domini Ducis Vitovdi et nostro pariter, Principes, Praelati, Barones, Nobiles, et communitas terrigenarum Terrarum Regni Poloniae praedicti, sibi Regem et Dominum non debent eligere seu locare, cum quibus firmam mutuam et constantem servantes assistentiam in dulcedine fidei et visceribus Jesu Christi perpetuam et irrevocabilem tenebimus unionem. In quorum omnium fidem et testimonium evidentiamque plenior, pro perpetuo robore sigilla nostra praesentibus sunt subappensa. Actum et datum in Vilno ipso die Sanctae Priscae Virginis et Martyris, anno Domini millesimo quadringentesimo primo.

PAX ET CONCORDIA

INTER

VLADISLAUM REGEM POLONIAE

ET

CONRADUM DE JUNGINGEN MAGISTRUM

PRUSSIAE,

RATIONE GRANITIERUM.

In Nomine Sanctae et individuae Trinitatis Amen.

Frater Conradus de Jungingen Magister Generalis Ordinis Beatae Mariae hospitalis Jerosolimitani, de domo Theutonica, universis praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris, salutem et rei gestae ad perpetuam memoriam cognoscere veritatem. Cum auctor pacis ad unitatis et pacis spiritum suis rigorosis mandatis quotidie nos invitet, dignum arbitramur, ut inveteratae displicentiae guerrae et offensae, contra Serenissimum Principem et D. Dominum Vladislaum Regem Poloniae, Supremum Ducem Lithvaniae et haeredem Russiae, suosque progenitores; quoad terras Lithvaniae et Russiae, per nos, nostrum quoque Ordinem intuitu orthodoxae fidei diutius exagitatae, in pacem perpetuam remissionem et concordiam committantur. Hinc est quod nos de expresso consensu compraeceptorum nostrorum, cum dicto Serenissimo D. Vladislao, anno, die et loco infrascriptis, certum terminum placitorum concorditer celebravimus super pace inter nos et Terras Ordinis nostri ex una, et supradictum D. Regem et Terras suas videlicet Lithvaniam et Russiam parte ab altera, faciendam perpetuo et firmanda varijs praemissis tractatibus, tandem ut sequitur concordavimus in hunc modum. Inprimis promissimus et praesentibus bona fide promittimus, quod exnunc et in antea tenebimus pacem inviolabilem et concordiam cum supradicto Magnifico Domino Serenissimo Vladislao

Rege Poloniae suis catholicis haeredibus et successoribus ac Praelatis et ecclesijs, omnibus quoque Terris suis, per Lithvaniam et Russiam Terrarumque incolis perpetuis temporibus observare. Nec unquam volumus et debemus aliquam ligam inire, aut facere contra dictum Vladislaum, suos quoque catholicos successores Terrarum Lithvaniae et Russiae, cum dominijs aut alijs hominibus, et rancore quolibet postposito, omnes et singulas injurias nobis et nostris per se vel per alios quomodolibet illatas remittimus penitus et offensas. Insuper limites et terminos inter nostros et dicti D. Regis Terras, videlicet Lithvaniae et Russiae distingvi fecimus, et modis distingvimus infrascriptis. Inprimis incipiendo in quadam insula Sawyn dicta vulgariter, sita in fluvio dicto Memla habente in se insulam, Romey Weider, quae quidem insula tota apud ordinem permanebit temporibus affuturis: abhinc directe progrediendo ad fluvium dictum Novessae in declivio seu villa continua sub silva dicta Heylgenvalth; abhinc dictum fluvium sequendo in medijs fluctibus usque ad Vijswilten, ascendendo abhinc linealiter et directe eundo ad quandam lapidem magnum dictum Roda iacentem in fluvio dicto, A. et Roda vulgariter nuncupatum; ab ipso lapide ascendendo super stagnum dictum Sinarden abhinc directe eundo usque ad viam vulgariter nuncupatam der Brengelisscherveg, abhinc directe usque in Novenrithen, abhinc linealiter procedendo versus finem seu aciem mericae dictae vulgariter Heyde ad locum ubi fons oritur, a dicto fontis ortu procedendo per directum in solitudinem quandam communiter Viltuisse dictam, ubi fluvius Eglosse ortum habet, abhinc directe eundo per medium dictae solitudinis, usque ad terminos et gades illorum de Ploschkow, et hi omnes termini siti sunt versus Livoniam. Ascendendo vero versus Prussiam, termini subscripti per dictum Ordinem perpetuo sine quolibet contradictionis obstaculo habebuntur, incipiendo a supradicta insula Sawyn indirectum procedendo, usque ad fluvium dictum Suppe, abhinc procedendo ad locum ortus sui, abhinc progrediendo usque ad fluvium qui effluit a lacu dicto Mothensehe, et dicitur communiter Methenslij, abhinc per descensum fluvij usque ad fluvium dictum Beber, deinde dictum fluvium sequendo usque in milliare prope fluvium qui Nare dicitur, et abhinc directe eundo usque in dictum fluvium Nare. Caeterum pro nobis, nostro Ordine, omnibus nostris successoribus renuntiamus omni impetitione et jure, quae in praedictis D. Regis Vladislai Terris, videlicet Lithvaniae et Russiae sitis, terminos superius expressos versus dictas Terras habuimus, vel habere videbamus; insuper Terrae et dominia de magno Novohroden qualitercunque sive per nos, nostrum Ordinem, aut per supradictum Serenissimum D. Vladislaum, aut per suos conjunctim et divisim acquisitae fuerint; vel alias qualitercunque ad nostrum Ordinem devenerint, easdem ac eadem dictus D. Rex obtinebit, nec unquam bona fide quo minus easdem

65

detineat impediemus. Praeterea volumus, quod homines saepe dicti D. Regis et suorum successorum in Terris Lithvaniae et Russiae constituti, in omnibus Terris Ordinis mercari et negotiari libere valeant absque teloneis, alijsque exactiombus, quos etiam defendere tenebimur sicuti nostros; salvis tamen teloneis ab olim institutis, ac quibuslibet edictis nostris editis et edendis, in Terris Ordinis quibus nostri arctantur, et dicti D. Regis suorumque successorum homines per Lithvaniam et Russiam sunt arctati. Item Ordine nostro in expeditione communi, cum praenominato D. Rege et suis successoribus et ipsorum hominibus per Lithvaniam et Russiam existente, quotquot ipsi captivaverint, suos habeant ut captivos. Excessus quoque per dicti D. Regis suorumque successorum homines in praedictis terris qualitercunque commissos, Capitaneus exercitus eorundem eosdem libere judicabit. Excessus vero communes per utriusque exercitus homines commissos, Capitanei utriusque exercitus simul et communiter judicabunt. Nullos insuper armigeros, dominos, milites, vasallos, vel alterius cujuscunque generis homines etiamsi Christi fideles fuerint, in damnum seu praedictum dicti Magnifici Domini Vladislai, aut suorum unquam per terras nostras scienter ire permittemus, sed impediemus et prohibebimus juxta posse. Denique omnes proscriptos seu bannitos de supradictis terris praefati Domini Regis non recipiemus ad terras nostras, maxime qui in sui vindictam homicidia, vel incendia ejusdem Domini Regis vel suorum successorum hominibus in praemissis Terris Lithvaniae et Russiae: praeterea per Terras dicti Domini Regis suorumque successorum catholicorum videlicet Lithvaniae et Russiae, contra quoscunque nunquam traducemus exercitum, aut traducere per quemcunque faciemus; nisi expresse fuerit de voluntate dicti Domini Regis suorumque successorum, qua optenta damnum nequaquam ipsis ac ipsorum hominibus inferemus. Praeterea promittimus, quod nullos fratres et consanguineos ipsius Domini Regis fugitivos seu alios quoscunque erroneos, per quos Dominus Rex et Regnum Poloniae ac Terrae Lithvaniae et Russiae possent molestari durante pace, debemus ad terras nostras recipere vel foveri. Omnia vero singula praemissa in articulis praemissis et eorum quolibet contenta, bona fide promittimus pro nobis, toto Ordine nostro firmiter ac inviolabiliter observare, nec unquam contraveniemus, aut contraveniri procurabimus per quoscunque arte, ratione, ingenio, de jure vel de facto, consilio vel auxilio, publice vel occulte. In quorum omnium evidens testimonium et fidem, de et super omnibus praemissis praesentes literas nostri majoris sigilli munimine mandavimus communiri. Datum in fluvio dicto Visla, prope castrum Raczansz Dioecesis Vladislaviensis, feria quinta proxima ante festum Sanctae Trinitatis, anno Domini 1404. Harum rerum testes sunt Reverendissimi in Christo Patres, et Domini, Dominus Arnoldus Episcopus Culmensis, et Do-

66

minus Joannes Episcopus Pomeraniensis, ac honorabiles et Religiosi Viri Fratres, ordo, et commendatores.

INCORPORATIO TERRARUM

M. D. LIT. REGNO POLONIAE,

CUM

CONCESSIONE ARMORUM LITHVANIS DE REGNO POLONIAE, CUM ALIJS CERTIS LIBERTATIBUS TUNC NOBILITATI LITHVANIAE, RUTHENIS EXCEPTIS,

CONCESSIS DE ANNO DOMINI 1400.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Debitores sumus spiritualis alimoniae salutaria illis pocula ministrare, quibus praesidentes temporalium commodorum praestamus suffragia; ut quos ad corporis necessitatem sustentamus, salutis etiam ipsi quantum nostra sufficit facultas, ministeria porrigamus, ne dum temporalibus insistimus profectibus, vitae commoda negligere videamur, et unde dona benedictionis et bravium expectamus sempiternum, inde vitae detrimenta sentiamus, et praemijs destituti adoptatis, nulla laboris nostri, commoda consequamur. Expedit requirere, et debita attendere ratione; ut dum hominibus impertimur carnis beneficia, meditemur, qualiter ipsis coelestia praebeamus alimenta, et quos in hoc saeculo transitorijs rerum condimus copijs, illis viam aeternae beatitudinis demonstramus, quatenus et hic nostrae munificentiae cognoscant praesidia, et tandem futurae gloriae comprehendant per exercitia directionis nostrae apprehendant in omnium Salvatore. Proinde Nos Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiac, Lanciciae, Cujaviae, Lithvaniae Princeps Supremus, Pomeraniae Russiaeque Dominus et Haeres etc. et Alexander alias Vitovdus Magnus Dux Lithvaniae necnon Terrarum Russiae Dominus et Haeres etc. significamus tenore praesentium quibus expedit universis praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris, quomodo Terras Lithvaniae, et earum incolas nostro subditos dominio, in quos saepe liberalitatis nostrae manum extendimus et profectui ipsorum intendentes, multa frequentia statum et conditionem eorum semper studuimus facere meliorem, ferventi desiderio cupientes, in assumptae fidei devotione jugiter solidare et fundare; ut ipsos Altissimus, quo praestante lumen fidei per nostram operam receperunt ad laudem et honorem sui nominis, et ejusdem fidei catholicae augmentum, gratiae suae charismate confirmaret. Cum eos saepe munificentiae nostrae donis refecimus, summopere affectamus spiritualibus gratijs refovere et per quaeque legitima studia et labores id ferventius mancipare, qui ut se in fidei constantia commodius exercent, et crescant de virtute in virtutem.

67

jugum servitutis quo hactenus fuerunt compe-
diti, et constricti de cervice ipsorum deponen-
tes et solventes, ex innatae nobis benignitatis
clementia, ipsis libertates, immunitates, gratias,
exemptiones, et privilegia dari catholicis solita,
juxta continentiam articulorum subscriptorum te-
nore praesentium concedimus et largimur, et pri-
mo. Quamvis eo tempore quo almo Spiritu in-
spirante fidei catholicae recepta et cognita cla-
ritate, Coronam Regni Poloniae assumpsimus
pro Christianae Religionis incremento, et bono
statu, et commodo Terrarum nostrarum Lithuaniae
praedictarum, ipsas et cum terris ac dominijs
ipsis subjectis et connexis praefato Regno nostro
Poloniae appropriavimus, incorporavimus, con-
juximus, univimus, adjunximus, confederavimus,
de consensu unanimi nostro, et aliorum fratrum no-
strorum, et omnium Baronum, Nobilium, Procerum
et Bojarorum ejusdem terrae Lithuaniae voluntate
accedente et assensu; volentes tamen Terras praedi-
ctas Lithuaniae propter hostiles insultus, et
insidias Cruciferorum, et eis adhaerentium, ac
aliorum quorumcunque inimicorum, qui praefatas
Terras Lithuaniae et Regnum Poloniae demo-
liri nituntur, et in ipsorum destructionem ma-
chinantur in certitudine, securitate et tutela me-
lioribus reponere, et eis perpetuum commodum
procurare, eadem Terras quas semper cum pleno
Dominio ac jure mero et mixto hactenus habu-
imus, et habemus usque modo a progenitori-
bus nostris, et ordine geniturae, tanquam Do-
mini legitimi; Baronum, Nobilium, Bojarorum
voluntate rati habitatione et consensu adhibitis, praedi-
cto Regno Poloniae iterum incorporamus, in-
visceramus, appropriamus, conjungimus, adjun-
gimus, confederamus, et perpetuo annectimus,
decernentes ipsas cum omnibus earum dominijs,
terris, ducatus, principatibus, districtibus, pro-
prietatibus, omnique jure mero et mixto Cor-
onae Regni Poloniae perpetuis temporibus ir-
revocabiliter et irrefragabiliter semper esse unitas.
Caeterum omnes ecclesias Terrarum Lithuaniae
praedictarum, tam cathedrales, quam col-
legiatas, parochiales et conventuales, videlicet
Vilnensem, et caeteras in eis erectas, erigendas,
fundatas et fundandas, in omnibus ipsarum liber-
tatis, immunitatis, privilegij, exemptionibus
et consuetudinibus universis conservamus harum
serie mediante, juxta consuetudinem Regni Polo-
niae. Barones etiam Nobiles Bojari Terrarum
nostrarum Lithuaniae praedictarum donationi-
bus, privilegijs, et concessionibus ipsis per Nos
datis, impertitis et collatis duntaxat catholici et
Romanae ecclesiae subjecti, et quibus clenodia
sunt concessa, gaudeant, participant, et fruuntur,
prout Barones Regni Poloniae suis potiuntur
et fruuntur. Item Barones et Nobiles praedi-
cti bona ipsorum patrimonialia pari jure ob-
tineant, sicut Barones Regni Poloniae sua nos-
cuntur obtinere, et donationes nostras super
quibus literas obtinent a nobis efficaces et ful-
citas perpetui roboris firmitate, similiter obtine-
bunt, et liberam habebunt ipsa vendendi, com-

mutandi, alienandi, donandi, et in usus suos
convertendi facultatem, nostro tamen consensu
ad hoc specialiter accedente. Sic tamen quod
ipsa alienando, commutando vel donando, coram
Nobis vel nostris officialibus, juxta consuetudi-
nem Regni Poloniae resignabunt. Item post mor-
tem patrum, liberi non debent bonis haeredita-
rijs privari, sed ea cum suis successoribus pos-
sidere, prout Barones et Nobiles Regni Poloniae
sua possident, et in usus convertunt beneplacitos.
Similiter uxoribus suis dotalitia in bonis et villis,
quas ex successione paterna vel concessione
nostra perpetua habuerint vel fuerint habituri,
poterint assignare, prout in Regno Poloniae
assignantur. Filias aut sorores consanguineas et
affines suas, praefati Barones et Nobiles Terra-
rum Lithuaniae copulare poterint viris duntaxat
catholicis, et tradere conjugio juxta beneplacitum
eorum voluntatis, et juxta consuetudinem Regni
Poloniae ab antiquo observatam. His autem liber-
tatum concessionibus non obstantibus Barones
ad constructionem et erectionem castrorum vias
expeditionales facere, et tributa dare juxta anti-
quam consuetudinem adstringantur. Hoc specialiter
expresso, quod omnes Barones et Nobiles Terra-
rum Lithuaniae fidelitatem, et debitam ac Christianicam
fidei constantiam, Nobis videlicet Vladislao Regi
Poloniae et Alexandro alias Vitoldo Magno Duci
Lithvaniae et Successoribus nostris tenere debe-
bunt et servare prout Barones et Nobiles Regni
Poloniae suis Regibus tenere soliti sunt servare,
super quo Barones Bojari et Proceres Terrarum
Lithvaniae praedicti juramentum Nobis jam praestiterunt,
prout clarius in literis ipsorum quas cum Baronibus
Regni Poloniae sibi invicem concesserunt continetur.
Pari modo sub fidei sacramento et sub bonorum
suorum amissione nullis Principibus aut Baronibus
vel alijs cujuscunque conditionis hominibus, Terris
Regni Poloniae adversari volentibus, consilia, favorem
et auxilia ministrabant vel praestabant, sed eos
tanquam hostes Terrae et Dominiorum Lithuaniae,
totis viribus persequentur, et ad nullum alium
respectum habebunt, nisi ad Nos et ad nostros
Successores, prout hanc ipsam Barones et Nobiles
praedicti, pro se et pro suis posteris, per fidei
Sacramentum cautionem praestiterunt et fecerunt.
Item dignitates sedes et officia prout in Regno
Poloniae institutae sunt, instituentur et locabuntur
in Vilna scilicet Palatinus et Castellanus Vilnensis,
et demum Troki, et in alijs locis ubi Nobis videbitur
expedire, juxta nostrae beneplacitum voluntatis
perpetuis temporibus duraturis. Et hujusmodi
dignitarij non eligantur, nisi sint fidei catholicae
cultores, et subjecti Sanctae Romanae Ecclesiae
etc. nec etiam aliqua officia terrae perpetuae,
ut sunt dignitates Castellanus etc. nisi Christianae
fidei cultoribus conferantur: et ad consilia nostra
admittantur et eis intersint, dum pro bono publico
tractatus celebrantur, quia saepe disparitas cultus
diversitatem inducit animorum, et consilia patent
talibus divulgata, quae tradun-

tur secrete observanda. Item omnes quibus hu-
jusmodi libertas et privilegia conceduntur, nun-
quam nos Vladislaum Regem Poloniae, et Alex-
andrum Vitoldum Magnum Ducem Lithuaniae
quoadusque vixerimus, et nostros Successores
Reges Poloniae, et Duces Lithuaniae, a Nobis
et nostris Successoribus statuendos et locandos
deserant, vel recedant ab eisdem, sed sub fide
et honore pariter et onere juramenti fideliter et
firmiter Nobis et Successoribus nostris adhaere-
bunt favoribus, consilijs, et auxilijs, perpetuis
temporibus et in aevum. Hoc etiam addito, quod
praedicti Barones et Nobiles etc. Lithuaniae post
mortem Alexandri alias Vitoldi, Magni Ducis
moderni, nullum habebunt aut eligent pro Magno
Principe, et Domino Lithuaniae, nisi quem Rex
Poloniae, vel ipsius Successores cum consilio
Praelatorum et Baronum Poloniae et Terrarum
Lithvaniae, duxerint eligendos, statuendos, et
locandos. Sic similiter Praelati, Barones et No-
biles Regni Poloniae, Rege Poloniae sine liberis
et Successoribus legitimis decedente, Regem et
Dominum non debent ipsis eligere sine scitu et
consilio nostro, videlicet Alexandri Magni Ducis,
Baronumque et Nobilium Terrarum Lithuaniae
praedictarum juxta tenorem, et contenta priorum
literarum. Praeterea praedictis libertatibus, privi-
legijs et gratijs tantummodo illi Barones et No-
biles Terrae Lithuaniae debent uti et gaudere,
quibus arma et clenodia Nobilium Regni Polo-
niae sunt concessa, et cultores Christianae reli-
gionis Romanae ecclesiae subjecti, et non schi-
smatici vel alij infideles. Item omnes literas quas-
cunque Regno Poloniae, et Terris Lithuaniae ante
octo vel septem annos, ac post vel circa coro-
nationem nostram concessimus, et dedimus, te-
nore praesentium confirmamus, ratificamus, ap-
probamus, et robur perpetuum imponimus eisdem,
habentes ipsas praesentibus pro insertis. Hoc
etiam addito specialiter et expresso, quod praefati
Barones et Nobiles Regni Poloniae, et Terra-
rum Lithuaniae conventiones et parlamenta,
quando necesse fuerit in Lublin vel in Parczow,
et alias in locis aptis, de consensu et voluntate
nostra celebrabunt; pro commodo et utilitate Regni
Poloniae, et Terrarum Lithuaniae praedictarum
meliori. Praeterea Nos Alexander alias Vitoldus
de consensu Serenissimi Principis Domini Vla-
dislai Regis Poloniae fratris nostri charissimi,
eligimus ad arma et clenodia nobilium Regni
Poloniae, terrarum nostrarum Lithuaniae nobi-
les infrascriptos; quos ipsi Regni Poloniae no-
biles simul, cum omnibus qui ex eorum stirpe
originem suam ducunt, ad fraternitatis et con-
sanguinitatis consortia receperunt. Et primo no-
biles Leliwa Moniwid Palatinum Vilnensem, item
Zadora Palatinum Jawnum Trocensem, Rawa Mi-
nigal Castellatum Vilnensem, Lisy Sunigal Cas-
tellatum Trocensem, Iastrzembiec seu Lazanki
alias Bolesthij Nagora vocatos, Nemir, Trambki
Kosticonem, Topori Butrym, item Łabedź alias
Skrzinscij Golygunt, Poraije Nicolaum Bilimin,
Dąbno Korevam, Odrowąż Uysehegerd, Wad-

wicz Petrum Mondigerth, Dria Nicolaum Tawti-
gerd, Habdank Joannem Gastoldi, Pułkoza Vol-
czkonem Eukwa, Grifones Botowdum, Srzeniawa
Iadaldum, Pobodze Kalonem, Grzymala, Ioan-
nem Rymowidowicz, Zaręba Gyneth Konczewicz,
Pirzchała Dawxa, Nowina Nicolaum Boynar,
Działosza Volczkonem Kokuthowicz, Korpacz
Gedorwoch, Rola Daniel, Sirokomla Iacobum
Mingel, Cattus Marinus Wojsznar Wilkolewicz,
Powala Georgium Sangaw, item Pomian Saka,
Doliwa Naczkonem, Starza, Twerbuth, Dołęga
Monstvid, Bogoria Stanislaum Vissigin, Janina
Woissym Danczykowicz, Bychawa Monstold
Swinka, Andream Dewknethowicz, Rolda Mi-
nimund Sesnukowicz, Sulima Bodiwil, item Na-
łęcz Koczhanum, Łodziā Miczuch, Ielitowe Ger-
dud, Korczak Czuppam, Biała Moydiloem Czu-
szolowicz, Wanzyk Koyezhanum Swkowicz, Ciolek
Joannem Ewil, Godziemba Stanislaum But-
houthowicz, Osmorog alias Gerals Surgutes de
Kyeslynn. etc. Quibus quidem armis clenodij
et proclamationibus praedicti nobiles, Proceres
et Bojari Terrarum Lithuaniae, exnunc et in antea
perpetuis temporibus ubilibet gaudeant, potiantur,
prout ipsi praefati nobiles Regni Poloniae uti,
frui consueverunt et potiri. Ut autem corroborati-
onis et cautelae uberius omnia praemissa ac-
cipiant firmitatem, praesentes fecimus sigillorum
nostrorum munimine corroborari, praesentibus et
consentientibus, ac ratum habentibus, Reveren-
dissimis in Christo Patribus Dominis Nicolao
Gnesnensi Archiepiscopo, Alberto Cracoviensi,
Joanne Vladislaviensi, Petro Posnaniensi, Iacobo
Plocensi, Nicolao Vilnensi, Ioanne Electo Leo-
poliensi Metropolitano, Mathia Premisliensi, Mi-
chaele Kijoviensi, Gregorio Wlodimiriensis, Sbi-
gneo Camenecensi Electo, ecclesiarum Episcopis
Chełmensi et caeteris ecclesijs vacantibus, necnon
Magnificis validis et strenuis Cristino Cracovien-
si Castellano, Joanne de Tarnow Cracoviensi, Ni-
colao de Michalow Sandomiriensi, Sandivogio
de Ostrorog Posnaniensi, Mathia de Wąssose
Calissiensi, Iacobo de Koniecpole Siradiensi, Jo-
anne Ligeza Lanciciensi, Mathia de Łabiszyn
Brzestensi, Janussio de Kościelec Gnievcoviensi,
Palatinis, Michaele de Bogumilowice Sandomi-
riensi, Joanne de Szczekocin Lublinensi, Dobies-
lao de Oleśnica Voynicensis, Floriano de Ro-
kitnica Vislicensi, Cristino de Kozięłowy San-
decensi, Martino de Kolikowo Gnesnensi, Cle-
mente de Mocrsko Radomiensi, Domarath de
Kobylany Bieccensi, Mosticio de Stachow Posna-
niensi, Ianussio de Viscow Calissiensi, Martino
de Kalinow Siradiensi, Petro de Włoszczowa
Dobryznensi, Alberto de Kościół Brzestensi, Joanne
de Lankosin Lanciciensi, Cristino Krusvicen-
si, Joanne de Łaczudow Zawichostensi, Marti-
no de Łubnica Brzezinensi, Stanislaum Gamrat
Polanecensi, Joanne de Bogumilowice Czecho-
viensi, Mathia Koc Naklensi, Grottone de Ian-
kowice Małogoscensi, Jvano de Obichow Stre-
mensis, Janussio Furman Miedzyrzecensi, Castel-
lanis; Sbigneo de Brzezie Regni Poloniae Ma-

reschalco, Petro Szafranec Succamerario, Martino de Wrocimowo Vexillifero Cracoviensi, Paulo de Bogumiłowice Cracoviensi, Nicolao de Strzelce Sandomiriensi, Nicolao de Czarnkow Posnaniensi, Jaka Calissimi, Andrea de Lubrancz Cujavien- si, Petro de Vidava Siradiensi, Nicolao de Suchodol Lublinensi, Petro de Thur Lanciensi Judicibus. Actum in oppido Hrodlo circa flumen Bug in parlamento seu Congregatione Generali die secunda mensis Decembris sub anno Domni millesimo quadringentesimo decimo tertio. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris Domini Episcopi Cracoviensis, Supremi Cancellarij Regni Poloniae Nobis sincere dilecti, scriptum vero per manus Ciołkonis Canonici Sandomiriensis, Secreti nostri Notarij.

STATUTA

VLADISLAI JAGELLONIS

Regis Poloniae, Supremi Ducis Lithuaniae, primum Cracoviae anno 1420 collecta, tandem in Conventione generali totius Regni in oppido Wartha pro Festo Simonis et Judae anno D. 1423 edita et promulgata.

De antiqua consuetudine in transpositione terminorum servata.

Perversa consuetudo in terminorum transpositione colloquij generalis et terminorum particularium, a nostris subditis, hactenus observata extitit, unde diversa juramenta et perjurya oriebantur, ac infirmitates fictivae allegabantur. Unde talibus obviare volentes et iniquitati viam praecludere, de unanimo consensu Praelatorum et Baronum ac Nobilium nostrorum talem ordinem in praedictorum transpositione terminorum volumus a nostris subditis fore observandum, ut praedictis perjurijs obvietur illicitaeque dilationes amputentur. Decernimus igitur, quod termini colloquij generalis taliter in judicijs terrarum nostrarum in posterum transponi et observari debeant, videlicet, quod primum terminum per simplicem infirmitatem prorogent, secundum vero per veram infirmitatem absque confessione et allegatione Capellani transponant, pro qua infirmitate in tertio termino si supervenerit juramentum corporaliter praestare teneatur, quod tunc vera infirmitate fuerat innodatus. Si autem in eadem infirmitate casualiter perduret, tunc tertio poterit iterum facere prorogare eundem terminum, quia prout iacebat in ipsa infirmitate, hucusque non convaluit, et nihilominus in colloquio quarto generali parere studeat, aut procuratorem certum transmittere non postponat, alioquin causam amittat. Item volumus de terminis observare particularibus, quod primum et secundum terminos, per simplicem infirmitatem subditi nostri transponere valeant; tertium vero terminum absque allegatione Capellani, per veram infirmitatem possunt et de-

bent prorogare. Et in quarto finaliter corporale juramentum praestare debent, quod non fictive tunc infirmabatur si supervenerit. Sin autem eum qui terminum procurat prolongare, contigerit in eadem infirmitate morari, et diutius perseverare, tunc quarto iterum prolongari poterit prout superius de prolongationibus colloquij generalis est expressum, hoc tamen de reo et citato intelligere volumus. Sed actor terminum colloquij generalis aliter transponere nequeat, nisi primum per veram infirmitatem et in terminis particularibus, semel per simplicem infirmitatem.

De uxore in sede viduali constituta.

Ad abolendam damnosam consuetudinem, quod hactenus inter subditos nostros solum ex communi usu servabatur, quod uxor marito mortuo in sede viduali contra quandam antecessoris nostri institutionem, quae incipit: *statuimus etc.* remanens omnia bona possidebat, propter quod nonnulla bona pueris vel proximioribus per inadvertentiam et malam ipsorum procuracionem annihilabantur et desolabantur, unde talibus obviare volentes, statuimus de caetero, quod uxor marito mortuo, tantum dotem et dotalitium habeat, alia vero bona in quibus dotem et dotalitium non habuerit, pueris vel proximioribus tenebitur resignare.

In quibus vidua succedere possit.

Licet etiam antiquitus per Antecessores nostros in quodam capitulo statutum sit, quod marito mortuo, uxor donationem et dotem, et quaelibet paraphernalia videlicet in gemmis, argento, vestibus et pecunijs habeat et teneat, tamen quod non modica damna per hoc pueris evenire solebant, quapropter de consilio et consensu Praelatorum et Baronum nostrorum omnimode statuimus, quod uxor marito mortuo solum circa paraphernalia domestica remaneat: thesauro videlicet pecunijs et argento equis magnis cum omnibus armis equireis, exceptis, quae omnia ad pueros devolvantur. Declarantes insuper, quod talis mulier, circa omnia pecora et quaevis alia, quae in dote sua et dotalitio fuerint, una cum equis vectigalibus, quibus tempore mariti sui vebatur remaneat, demptis vestibus, et equis parvis in valore trium marcarum mariti defuncti, quae in aequalem sortem seu portionem dominae cum pueris cedere debebunt, et dividi cum effectu.

De orphanis qui iudicio vexantur.

Orphanitati puerorum nostrorum subditorum consulere gratiose cupientes, qui interdum per patres, ipsis ad annos pubertatis minime educatis, casu mortis relinquuntur, et sic multoties per nonnullos in iudicium evocantur et vexantur, qui aetate et discretione carentes litem contestari nequeunt, neque causas acticare, neque defendere, et quanquam antea hoc ad certam aetatem sit restrictum, ut videlicet masculus ad quintum decimum annum, faemella vero ad duodecimum

compelli non possint, neque alicui infra hoc teneantur respondere, tum alijs diversis gravaminibus multoties opprimuntur, quare statuimus, quod pater vivens possit et valeat pueris suis, et uxori si ipsa affectaverit, constituere certos tutores, quos voluerit, de quibusque major sibi fides et confidentia apparuerit, qui tueri et curare eosdem poterint, usque ad annos superius allegatos, nec eosdem tutores post mortem constituentis, proximiores a tutela poterint remove.

De pueris matre orbatibus habentibus patrem et bona maternalia.

In quadam constitutione nostri praedecessoris decretum extitit videlicet in capitulo *ex communi usu etc.* quod moriente matre, puerorum patrem cum alia contrahere volente, pueri a patre petere valeant portionem maternam, et ideo considerantes in eadem constitutione, quod propter ingratitude patri factam per filios, et depressionem status sui quem a filijs nonnunquam in tantae partis bonorum receptione, et privatione patiebatur, et quia multoties filij ad inopiam vergentes, ad patrem convolabant et recurrerant, qui superiora advertens eisdem succurrere non curabat nec volebat, unde inter utramque partem rancor et displicentia oriebatur, quibus incommodis obviare cupientes exnunc statuimus, quod pater habens filios, dum post mortem genitricis eorum, ad secundas nuptias convolaverit, non tenebitur, nisi forte velit sponte praedictis filijs suis portionem hereditariam assignare, dummodo dissipator bonorum non existat, sed usque ad mortem suam, in bonis haereditarijs quibuscumque dominari et manere valebit et poterit, assignata duntaxat praedictis filijs suis portione, quam post matrem ipsorum ratione dotis, et nuptiarum tulit et recepit.

De eo qui filios habuerit, superdixeritque secundam uxorem et filias propagaverit.

Declarantes statuimus, quodsi contigerit patrem cum secunda uxore filios non habere sed filias, et cum prima habuerit filios, extunc patre mortuo puerorum praedictorum pars aliqua secundae uxoris filios non continget, sed filij sive filius primae uxoris superstitis sorores suas juxta consuetudinem terrae maritabant assignata ipsis in pecunijs dote competenti, bonis maternis duntaxat exceptis, si ipsae praedictae sorores habuerint quae pro ipsis debent remanere. Cum vero pueri primae uxoris portionem suam aequalem a patre eius sponte ex divisione perpetua oblatam obtinuerint, tunc portio secundae uxoris filijs aut filiabus ejusdem cedere debet integraliter.

De filiabus carentibus fratribus germanis.

Ut viam dubijs praecludamus, interdum contingit filias post obitum patris carentes fratribus germanis in bonis haereditarijs remanere, quas solent patri vel amici proximiores, nomine tutorio observare in hunc finem, quod ipsas quibuscumque conditionibus sive pactis de haeredi-

tatibus excludant, volentes ipsis pecuniam cum maritanti assignare, eisdem igitur de nostra clementia providere cupientes statuimus deinceps, quodsi mariti earum taliter pecunijs a patris vel amicis aut tutoribus receptis, ex pacto de non receptione bonorum ipsas concernentium adstrinxerint qualitercumque, sive per fidejussoriam cautionem vel alio quocumque modo tale pactum intervenerit, aut aliquis fuerit adstrictus; illud decernimus irritum fore et inane, utque praefatae filiae redeant ad earum haereditarias portiones, non obstantibus pactis, aut cautionibus quibuscumque, sed sponte praefatae filiae bona sua haereditaria si ipsis placet, vendendi ut antea habeant facultatem et omnimodam potestatem.

De tutoribus virginum.

Astutiae et dolositati hominum perversorum, qui omnia in pejus convertere et interpretari non formidant, viam praecludere cupientes sancimus, quod quicumque nomine tutorio aliquam vel aliquas puellam vel puellas jure affinitatis, cum bonis haereditarijs, ipsas ex successione paterna contingentibus seu concernentibus, jam puberes atque nubiles ad desponsandum servant, eas nolentes maritari, in hunc finem, quod bona ipsarum diutius valeant obtinere seu possidere, decernimus, quod tales virgines sic ut praemittitur adultae poterint et valeant de maritis sibi ipsis providere, sine ejusdem patri sui tutoris voluntate et assensu, tamen cum consensu et consilio aliorum amicorum aut patruorum, aut avuncolorum, nec in bonis ipsarum privari poterint vel fraudari, non obstante quadam constitutione nostri antecessoris, quae incipit: *Quicumque vero virginem etc.* ut supra de violationibus virginum fol. xxxiiij.

De praescriptione possessionum.

Quamvis praescriptio possessionis sive haereditatis in pecunijs obligatae, seu impigneratae, in quibusdam literis nostris ad octodecim annos servabatur et currebat, quibus transactis eadem possessio per mutuatorem pecuniae solebat perpetuo obtineri, visum fuit Nobis, et nostrae militiae aequum consonumque rationi, quia talis brevis praescriptio non sine pacto fuit observata, unde exnunc statuimus in praefatis obligationibus praescriptionem triginta annorum esse observandam, quibus intra quinquennium aut decennium vel cum sibi placuerit coram iudicio in actis suam obligationem poterit innovare.

De amputandis calumnijs et possessore ad probationem admittendo.

Ad praecludendam viam calumnijs, per Nos provisum est, quod si quis vellet quempiam, pro haereditate impetere, dicendo possessorem eandem in obligatione aut pignoratione possidere et tenere, quam fortassis legitime et libere possidet, quod tunc possessor actore repulso ad probationem testium admittatur, et maxime ubi tra-

que pars literaria et legitima testimonia super hujusmodi possessionem non habuerit, in tali itaque casu possessoris probatio admittatur.

76

De limitibus et terminis figendis.

De limitibus autem nostrorum Nobilium taliter duximus providendum, quodsi contigerit aliquem ligitantem pro limitibus, docere vel ostendere scopulos dictos *kopce* ad minus tres, aut alia signa notabilia in campis vulgariter *wyiazdy*, in silvis vero signa adinstar crucis facta, ut est moris, extunc Succamerarius noster illum, qui meliora et notabilia signa seu scopulos ostenderit discernens, sub honore et conscientia debeat et tenebitur mittere ad probandum, ubi autem utraque pars signis notabilibus inter haereditates caret, extunc actor ad probationem limitum cum testibus prout de jure est admittatur.

De venditore haereditatis.

Ex consuetudine et jure antiquo servabatur, quod vendens haereditatem, emptorem per tres annos et tres menses, ab impetitione quacunque, ad interveniendum et liberandum eundem sit adstrictus, sed quia multoties contingit, quod vicini illius venditae haereditatis, quorum limites etiam ipsam contingunt, intra praefatos tres annos et tres menses emptorem vexare postponunt, donec venditor et intercessor praescriptione emptionis evadat, qua elapsa primo emptorem pro limitibus inquietare non formidant, licet venditioni praesentes extiterint, ea propter volumus et statuimus, quod cum aliqua haereditas emptori per venditorem ostenditur, vicini illius haereditatis, per emptorem cum ministeriali evocentur, quod illi ostensioni intersint, qui si venire noluerint sic per ministerialem vocati, et infra tres annos et tres menses possessori quaestionem pro limitibus non moveant, tunc possessor ad probationem suae emptionis cum testibus admittatur, praescriptioneque tanti temporis juvabitur.

De clausura et reservatione actorum judicialium, seu libri terrestrii.

Et quia Barones terrarum nostrarum in Judicijs Colloquiorum Generalium personam nostram repraesentant, coram quibus causae haereditariae et aliae majores agitantur et tractantur, et sententiae per eosdem latae robur accipiunt firmitatis, ac si nostra in praesentia agerentur, coram quibus etiam resignationes bonorum magnorum peraguntur, et aliae causae per eosdem definitivae in speciali libro conscribuntur. Unde cum majori alicujus pondere debeant diligentius et acutius observari, volumus, quod liber praenotatus seu acta Colloquij Generalis, sub clausura trium clavium amodo conservetur, quarum unam Judex, aliam Subjudex, tertiam vero Notarius Terrestris habeant et conservent, nec liceat uni sine alijs clausuram praedictam aperire. Et quia ex actis praedictis, seu in libro nonnulli literas habere et extrahere tempore debito cupiunt, quapropter providendum est, quod iudex debeat per

77

ministerialem publice, quando opus viderit facere proclamare, quod in tali districtu, loco et die tali, liber seu acta ad extrahendum literas aperiantur, utque eas habere volentibus seu affectantibus pateant.

De terminis particularibus celebrandis.

De terminis autem particularibus simplicibus, quia vexationi et turbationi nostrorum pauperum militum sumus compatiens, taliter duximus providendum: quod praefati termini particulares non pluries, nisi semel intra mensem, in quolibet districtu seu iurisdictione, alias *powiat* fieri debent, in quibus Camerarij Judicum et Subjudicum, alij duo Camerarij videlicet Palatini et Succamerarij eligendi per eosdem ad illos adjungendi, sine quibus Judex et Subjudex et Camerarij eorum non habeant judicandi facultatem. Praedicti etiam Camerarij seu Officiales judicij sic locandi, non debent alias causas, nisi proprias procurare, vel ad procurandum se de judicio levare. Ac bonum et consultum videtur, quod judex vel subjudex particularibus terminis personaliter cum possint praesideant, sicut et in Majori Polonia est consuetum.

De memoriali alias *pamiętne*.

Officiales, aut Camerarij seu Subjudices terminorum particularium, non debent a causis minoribus, quas usque ad aestimationem triginta marcarum et infra computamus, pro memoriali alias *pamiętne* sive alio nomine *przysiężne* plus quam duos grossos recipere; a majoribus autem causis quae ultra triginta marcas se extendunt, quatuor grossos recipiendi habeant facultatem.

De una quaestione, alias *załoba*, plures personas contingente.

Provisum est insuper, quod postquam unamquamque quaestionem coram judicio expositam dictam *załoba* aliquis edixerit, etiamsi plures personae sint pro parte quarum quaestio agitur, tantum unum memoriale exigatur.

De causis, quas soli Capitanei judicare possunt.

Relatum est Nobis, quod Capitanei nostrarum terrarum communiter causas quascunque quae minime ad eos dinoscuntur pertinere, judicant, sententiant et discernunt, volentes igitur imponere modum judicandi decernimus: quod Capitanei terrarum nostrarum non debeant alias causas praeter infra scriptos articulos judicare, scilicet: pro violentia faeminarum, pro depraedatione stratae publicae, pro incendio et immissione ignis, pro violenta domicilij invasione alicujus, aliarum autem causarum minime judicandi habeant facultatem.

De Notarijs Terrestribus et salarijs eorum.

Terrestres Notarij in omnibus terris Regni nostri videlicet Majori Polonia, Siradia, Lancicia, Cujavia, Dobrzyń, etc. pro notis aequaliter accipiant sua jura secundum quod Notarij Cra-

78

covien: et Sandomirien: terrarum recipiunt, videlicet pro una inscriptione usque ad finem causae unum grossum, aut in principio medium, et in fine medium grossum.

De judaeis et eorum pecuniae accommodatione.

Perversa judaica perfidia, cum semper sit et est Christianis contraria et inimica, et non solum in fide, nec in corpore, verum etiam in direptione honorum et facultatum attractione quam studiosissime intendit. Quamvis in constitutione ejusdem capituli, quod incipit: *Porro etc.* sit eis prohibitum; quod dare non debeant hominibus cujuscunque status aut conditionis existant, pecunias super literas et inscriptiones, sed tantum super vadia et pignera; tamen hoc ipsi minime advertentes, pecunias super literas et inscriptiones dare non cessant, etiam contra jura et canonica et civilia, quae arctissime hoc prohibent, ideo volentes nostris subditis terrarum nostrarum subvenire gratiose prout ex religione Christiana tenemur et debemus, decreto prohibemus, ne judaei super literas et inscriptiones pecunias mutuent, sed solum super pignera, ut superius fol: xxxvj in eodem capitulo est expressum. Si quis igitur judaeorum tales literas de caetero aut inscriptiones exhibuerit, aut super easdem pecunias dederit, extunc tales literae aut inscriptiones debent esse nullius valoris vel roboris, nec recipiens pecunias hujusmodi tenebitur procedere ad earundem solutionem.

De vituperatione unius nobilis per alium.

Si quis nobilis aut asserens se de nobili genere procreatum dicat, quod aliquis sibi impar existens in generatione, vituperosa verba intulisset, quod tunc ille reus eidem aequalis non existens et negans se improperationem fecisse, proprio juramento ab increpatione ejus absolvatur.

79

De vituperatione nobili fillata a kmethone.

Kmetho vero non poterit alicui nobili, vel pro nobili se gerenti nobilitatem ejus increpare, nisi forte idem kmetho audierit alium nobilem ipsum increpasse, et ipse se de hujusmodi improperio minime expurgavit, hoc tamen volumus intelligi de illis nobilibus, qui ad expeditionem serviunt, et Judicijs Terrestribus subsunt, non autem de illis nobilibus qui in civitatibus residentes, cerevisiam propinant, aut forte alij sunt vagi in terra nihil habentes, cum tales teneantur se expurgare.

De libertate alicui kmethoni per dominum concessa.

Quia libertas ad hoc per sapientes est inventa, ut silvae et nemora, ubi modicae sunt utilitates, vel proveniunt, extirpentur, et ad ampliores utilitates reducantur; unde si quis kmetho in silva ubi villa locari debeat libertatem accipiat, non poterit de suo agro nisi illum extirpaverit se movere, quo extirpato facere po-

terit, quod jus terrestre aut illius haereditatis exquirat et deprecet circa suam motionem.

De sculteto vel kmethone a domino fugiente.

Cum autem scultetus vel kmetho de agro seu haereditate sua absque culpa domini fugerit, talis profugus debet per dominum in judicio majori et bannito ter et ex superabundanti quarto, ut ad suam redeat haereditatem evocari, qui si non redierit taliter vocatus, dominus villae cum protestatione poterit suam haereditatem per alium locare contumacia illius non obstante. Et si is profugus minas incusserit possessoribus agrorum, qualiscunque tenebitur dominus sub quo degerit requisitus, jus Polonicale poscentibus cum eo ministrare, alias ille sub quo fuerit contradicens poenam *pietnadziesta* incurret toties, quoties contra hanc constitutionem fecerit quoquomodo.

De sculteto inutili, aut rebelli.

Inutilem scultetum dominus in haereditate habens, aut rebellem, dominus potest recipere scultetiam suam et vendere, qui si emptorem non habuerit, nec habere poterit, tunc ille haeres cum dicto sculteto debebit et tenentur accedere ad Judicium Terrestre, et recipere duas eligendo personas sagaces neutri partium suspectas, quae valorem scultetiae ad summam taxantes unam eidem domino, seu haeredi solvere nuntiabunt, et sic dominus soluta taxa illa pecuniali, pro se scultetiam obtinebit.

80

De apprehensione alicujus, ligna in alterius silva excidentis.

Primaeva constitutione in capitulo *statuimus etc.* noscitur esse observatum, quod cum aliquis kmethonem vel quempiam in sua silva arestaverit, eundem pro prima impignatione in securi tantum pignerabit, prout superius in eodem capitulo est descriptum, et quia diversae sunt silvae, inter quas aliquae reperiuntur, in quibus sunt arbores magni valoris et pretij ut est taxus vulgariter *cis*, et aliae, his igitur attentis, quod pignora debent praecellere in valore res, pro quibus impigneratur, aequum visum est Nobis et nostris Baronibus, quod si aliquis silvam intrans tales arbores, vel his similes incidit, poterit per haeridem et dominum silvae capi, et ad fidejussoriam cautionem petentibus assignari; non enim videtur consonum et sufficiens, pro tam notabili damno silvae pignus recipi vel solum in pignere puniri, et similiter de *gais* ubi paucae sunt silvae observetur.

De kmethonibus habentibus mellificia aut apum examina in nemoribus alterius domini.

Mellificia in nemoribus, seu *boreis* alterius domini kmethones tenentes, aut jure haereditario possidentes, et sub alio degentes, de tributis alias *daniny* seu melle respondere tenentur domino nemoris, in quo hujusmodi mellificia habentur; quod si in solutione tardi fuerint, tunc dominus po-

terit pro tributo suo judicare et impignerare, et dominus sub quo deget non debet eum defendere, sed cum eodem justitiam petenti tenebitur ministrare, ut de communi molendinatore etiam in libro priori est praenotatum.

De arvipirio et incendio silvarum.

Frequenter solet evenire, quod nobiles seu plebei, borea, silvam aut gajum dictum *zapusta* cujuscunque ex industria intrantes aut casu caumathe alias *pożarem* succendunt, si de hoc per dominum villae fuerint inculpati, tales non alio jure, nisi jure Polonico sicut incendiarij debent judicari, et licet honori ipsorum per hoc minime derogetur, nihilominus tamen convicti, si fuerit kmetho, et non habet unde solvat, redimat saltem vitam decem marcis sicut pro capite plebei dare est consuetum.

81

De venationibus leporum.

Cum autem lepores venantes solent pauperibus hominibus non modica inferre nocumenta, bona eorum et fruges conculcando, eapropter statuendo inhibemus, quod a Festo Sancti Adalberti, usque ad congregationem omnium frugum hyemalium et aestivalium de campis in bonis alterius absque voluntate ejusdem, venari non praesumant, alias passo damnum tres marcas pro poena talis noverit se incursum.

De cane aut fera aliena per aliquem recepta.

Nonnullae displicentiae, seu controversiae inter nostros subditos et nobiles in venationibus oriuntur eo, quod aliqui feras agitas, aut canes alterius recipere non formidant nec verentur, unde statuimus, ut si quis imposterum cervum aut aprum onagram alterius agitatum vel captum vi aut occulte, aut canes alienos ceperit aut rapuerit et pro se usurpaverit, talis usurpans pro ferinis sive canibus tres marcas pro poena et alias tres marcas illi cujus fera fuit solvere sit adstrictus.

De servis aut ancillis illiberis, evadentibus aut fugientibus.

In lege imperiali continetur, quod servi illiberi, aut ancillae non possint nec valeant, de manibus dominorum suorum liberari nisi per eosdem fuerint manumissi, et libertate donati, sed quod multoties tales illiberi manus suorum dominorum subterfugientes et evadere volentes, apud alienos terrigenas et vicinos latitant et observantur, et sic tali modo dominos suos postponentes et evadentes ad propria revertuntur, ex quorum fuga domini non modica damna percipiunt, ac si haereditatem perderent, cum servos illiberos dominus ubi vult locare potest acquirendo haereditatem novam per ipsos erigendam, unde si apud aliquem tales de caetero latitabant aut servabantur, idem debet eosdem retinere, et in Curia proximiori domini Regis protestari, quod tales habet retentos et servat, quod si ille facere omiserit et dominus servorum per testes appro-

baverit contra ipsum illiberum, domino cujus fuerit solvere tenebitur cum poena *pietnadziesta*.

De fraternitatibus civitatum et rebus per Palatinum et Capitaneum statuendis.

Ad praecludendam viam fraternitatibus, quas mechanici civitatum observant statuimus quod Palatinus et Capitaneus cum alijs dignitarijs terrae illius singulis annis, in certa die mensuras, tam frumentorum, quam pannorum et aliarum rerum terrestrium, quae ad forum per kmethones adducuntur, et quae in Regno inveniuntur, pretio indicere et corrigere debeant juxta consuetudinem diutius observatam, ut circa easdem mensuras et pretia fraudes non committantur et si amplius contra hanc nostram constitutionem dictae fraternitates in quibuscunque civitatibus inter mechanicos inveniuntur, seu reperiantur, tunc illi mechanici, inter quos talis fraternitas fuerit reperta, poenam septuaginta marcarum, alias *siedmdziesiq*, Camerae nostrae applicandam noverint se incursum.

Finiunt statuta Wartensia Vladislai Jagellonis Regis etc.

CONFIRMATIO

PRIVILEGIORUM ET ALIORUM JURIORUM, CUM ADDI-

TIONE ALIQUORUM ARTICULORUM

PER

VLADISLAUM JAGELLO

REGEM IPSIS REGNICOLIS IN LOCO CAMPESTRI PROPE CZYRWIŃSKO

DE ANNO DOMINI, 1422 CONCESSORUM.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Non debent res humanae usquequaque deficere in robore et viribus enervari a quopiam, quos solida Principum firmavit autoritas, perfectio plantavit literarum, et fides plena testimonij perfecit. Proinde Nos Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Sira-diae, Lanciciae, Cujaviae, Princepsque summus Lithvaniae, Pomeraniae, Russiaeque Dominus et haeres etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis tam presentibus quam futuris praesentium notitiam habituris, quomodo ad fidem eximiam et obsequia semper fidei continuata studio attendentes, quibus Praelati, Barones, Proceres, Nobiles ac universa Regni nostri Militia nunc suis Nos dirigendo consilijs, nunc in bellis, nunc in alijs casibus et contingentijs nostris infatigabili virtute Nobis adhaerendo gratos se Nobis reddiderunt, quotidie reddunt incessanter, et aucta fidelitatis suae praestantia, adhuc magis reddere poterint in futurum, propter quae regalis munificentiae nostrae dona merentur a Nobis recipere. Horum intuitu volentes ipsos gratiarum nostrarum favoribus praevenire, et eo-

83

rum profectibus quos semper cum propriis computamus intendere, quatenus sic ad nostra servitia valeant ferventioribus animis convolare. Ad instantes petitiones ipsorum Nobis cum humilitate oblatas et maxime ad preces interventum et svasum Serenissimi Fratris nostri charissimi Domini Alexandri alias Vithovdi Magni D. Lithvaniae speciales, infrascripta jura, libertates, et exceptiones velut ipsis accommodata et necessaria perpetuis temporibus ipsis concedimus duratura. § Inprimis pollicemur, quod a modo et in antea nunquam absque consilio, svasu et consensu, et annuentia speciali Praelatorum et Baronum Regni nostri monetam nunc currentem in Regno nostro vel aliam extraneam aut de novo inventam cedere faciemus, aut cudi permittemus, et cudentes juxta ipsorum demerita poenis legis affigemus, ut per hoc damna et importabilis subditorum nostrorum penuria, per cujus abusum haec ubique in Regno nostro abundarunt tempore nostri regiminis feliciter auferantur. Quemadmodum divinae memoriae Dominus Casimirus olim Rex Poloniae Antecessor noster hoc ipsis concesserat, et in libro Terrestri, quem Praelatis et Baronibus suis quondam Visliciae in Conventione Generali edidit, et pro memoria sempiterna dereliquit. § Item ut gratia uberiori consolentur a Nobis etiam Nos fide et servitijs amplioribus prosequantur, promittimus, quod exnunc et de caetero nunquam alicujus subditi Regni nostri cujuscunque dignitatis, eminentiae, status, aut gradus fuerit, bona haereditaria recipiemus, confiscabimus; recipi vel confiscari faciemus. Nec se de eis per Nos vel officiales nostros vel alios quoscunque homines intromitemus vel intromitti faciemus pro quibuscunque excessibus aut culpis, nisi prius super hoc praecedat iudicium nostrorum, quos ad hoc deputaverimus cum nostris Praelatis, Baronibus, matura cognitio et sententia sequatur. § Item nolumus a modo nec debemus alicui petenti nostram Majestatem, granities limitum seu granitium hujusmodi cum bonis, villis et haereditatibus nostris distinctionem denegare, vel differre, dummodo per vim et violentiam non exigatur Nobis. § Item cum ex hoc non modica subditis nostris contingant dispendia, si Judices in Terris, in quibus praesunt iudicijs, in Capitaneos praeficimus; propterea exnunc et in antea, nolumus aliquem Judicem illum Terrae illi in Capitaneum praepone, in quo iudicio praesidet et iudicij obtinet potestatem. § Praeterea ut inter Nobiles Regni nostri et alios subditos jurgia, contentiones, dissidia, strages et homicidia submoveantur, quae possent verisimiliter suboriri, dum poenas nostras quae Nobis de iudicijs nostris proveniunt familiaribus vel alijs subditis nostris ad eorum importunas petitiones ab illis concedimus exigendas qui ad illas Nobis condemnantur. Proinde praesenti scripto pollicemur nunquam alicui hujusmodi poenas in subditis nostris dare, assignare et deputare, ex quacunque causa vel ratione, sed eas per officiales nostros pro Nobis faciemus exigere aut eas illis, qui Nobis

ad eas sunt obnoxij pia mansuetudine indulgere: vel alias de exactis disponere juxta nostram Regiam voluntatem. § Caeterum cum omnibus Terris quas Regni nostri ambitus comprehendit velut unicus Princeps et Dominus aequaliter dominemur, non est aequum, ut variis modis iudicandi populus Nobis subjectus et sub nostro existens regimine, in varios ritus iudiciorum dilabatur. Propterea perpetuo edicto statuimus, ut omnes et singuli homines Regni nostri cujuscunque conditionis, status, dignitatis aut gradus fuerint, causas in iudicijs nostris Terrestribus proponentes vel proponere volentes, singulariter singuli et generaliter universi eodem jure, modis, consuetudinibus et ritibus per Regnum nostrum potiantur; nec audeant iudices sedibus et tribunalibus iudiciorum nostrorum praesidentes alios modos, ritus et consuetudines, circa terminos et sententias observare: nisi illos quos praefati Domini Casimiri praedictus liber et consuetudines doceant et informant, ad quem semper recurrant. Quidquid autem per ipsos aliter fuerit iudicatum et sententiatum, irritum remaneat et nullius roboris vel momenti. § Insuper licet collectores nostri per Terras nostras Cracoviensem et Sandomiriensem pro exactionibus nostris vulgariter *Krolestwo* nuncupatis in signum subjectionis et veri Domini Nobis solvi ibidem in moneta currenti et consuetis grossis Pragensibus, a kmethonibus receperint, et nostro infiscaverint thesauro, ne tamen hoc valeat in posterum dictis Terris parare aliquod detrimentum, vel iuribus eorundem derogare, decernimus, et edicto perpetuo statuimus; ut a modo indictis Terris Cracoviensi et Sandomiriensi, non alia nisi currens et communis in Regno moneta pro hujusmodi exactionibus nostris exigatur. Hoc proviso, quod si aliqui subditi nostri in dictis Terris a suis kmethonibus pro ipsorum censibus grossos Pragenses receperint vel recipere voluerint: illi etiam kmethones ad solvendum Nobis similes grossos Pragenses pro exactionibus nostris per nostros collectores arceantur. § Postremo ut subditi et indigenae Regni nostri tam spirituales quam saeculares absque ulla ambiguitate viribus et privilegijs, quae ipsis dudum a nostris praedecessoribus divinae memoriae Regibus Poloniae et a Nobis sunt concessa, securius uti possent et potiri, nec aliqua circa eorum continentiam haesitatione suspendi: omnia et singula privilegia, jura, libertates, et concessionem nostras et nostrorum praedecessorum praedictorum, quas obtinent sub quacunque forma verborum, in omnibus punctis, conditionibus, articulis, sententijs et clausulis, praesentibus innovamus, ratificamus, approbamus, et robur perpetuum apponimus et addimus eisdem. In quorum omnium et singulorum praemissorum testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum in Colo Campestri stationum exercituum nostrorum ultra Vistulam prope monasterium Czerwieńsko dioecesis Plocen: in crastino S. Mariae Magdalenaee electae anno D 1422 praesentibus praefato Sere-

84

85

nissimo Fratrem nostro Domino Alexandro alias Vitovdo M. D. Lithv: charissimo, consensum et consilium ad omnia praemissa praestante et praebente, necnon Reverendis in Christo Patribus ac Magnificis et Nobilibus viris, Dominis Nicolao Archiepiscopo Gnesnensi, Jacobo Episcopo Plocen: ecclesiarum, Joanne de Tarnow Cracov: Sandivogio de Ostrorog Posnan: Nicolao de Michałow Sandomirien: Nicolao de Oporow Lancicien: Palatinis, Martino de Kalinowa Siradiensi, Dobkone de Olesznica Voynicen: Martino de Rytwany Zavichosten: Castellanis: Paulo de Bogumilowice Cracovien: Petro de Vidava Siradiensi, Prandota Sarnowski Lancicien: Judicibus et alijs pluribus Baronibus et Militibus nostris fidelibus dilectis. Datum per manus Reverendi in Xsto Patris Domini Alberti Episcopi Cracovien: Regni Poloniae Cancellarij Supremi, et Venerabilis Joannis Decani Cracov: Vicecancellarij Nobis sincere dilectorum.

Ad mandatum personale ipsius Domini nostri Regis petente et promovente Illustrissimo Principe Domino Alexandro, alias Vitovdo Magno Duce Lithv: per me Albertum Episcopum et Cancellarium supra scriptum.

VLADISLAUS JAGELLO

CONTRA

HAERETICOS ET FAUTORES EORUM IN VIELUŃ
CONSTITUIT.

Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniae necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Princeps Supremus Lithvaniae, Pomeraniae, Russiacque Dominus et haeres etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit, universis praesentibus et futuris harum notitiam habituris, quod cum sub dissimulatione praetereire non debemus imo arcemur Divinae legis perpetuis institutis, pestiferos haereticorum errores, quos in Dei contemptum et in Christianae fidei detrimentum et enervationem politiaeque jacturam, iniqua perversorum corda conflaverunt, etiamsi quaecunque oporteret Nos subire pericula, a finibus nostris propulsare, et in gladio deijcere, ut qui censura ecclesiae non terrentur, humana severitate mulctentur, maturo consilio Praelatorum, Principum et Baronum nostrorum habito et consensu, et etiam de certa ipsorum et nostra scientia praesentibus decernimus, et pro firmo constanti atque irrefragabili edicto teneri praecipimus. Ut quicumque in Regno nostro Poloniae et Terris Nobis subjectis haereticus, aut haeres infectus vel suspectus de eadem, fautor eorum vel director repertus fuerit, per nostros Capitaneos, Consules Civitatum, et alios Officiales ac quoslibet subditos nostros sive in officijs, sive extra viventes, velut Regiae Majestatis offensor capiatur, et juxta exigentiam excessus sui puniatur, et quicumque

venerint de Bohemia et intrant Regnum nostrum, ordinariorum suorum examini aut magistrorum haereticae pravitate ad hoc a Sede Apostolica deputatorum vel deputandorum subduntur comprehensi. Si quis autem incolarum Regni nostri cujuscunque status, dignitatis, gradus aut conditionis fuerit, hinc ad Festum Ascensionis Domini proximum redire de Bohemia neglexerit, noluerit, vel contempserit, pro convicto haeretico censeatur et poenis subjaceat, quae haereticis infligi consueverunt, nec amplius ad Regnum nostrum revertatur moraturus. Et nihilominus omnia bona ipsorum mobilia et immobilia in quibuscunque rebus consistentia publicentur thesauro nostro confiscanda, prolesque eorum tam masculina, quam faeminea omni careat successione perpetuo et honore, nec unquam ad aliquas assumatur dignitates vel honores, sed cum patribus et progenitoribus suis semper maneat infamis; nec de caetero gaudeat aliquo privilegio nobilitatis vel decore. Inhibemus etiam sub eisdem poenis, omnibus mercatoribus et alijs hominibus cujuscunque conditionis fuerint, ut amodo et in posterum nullas res venales, praesertim plumbum, arma, esculenta et poculenta ad Bohemiam ducere praesumant vel portare. Quocirca vobis omnibus et singulis Capitaneis, Burgrabijs, Procuratoribus, Magistris Civium, Consulibus, et alijs Regni nostri Officialibus et subditis quibuslibet, ad quos praesentes pervenerint, mandamus quatenus praesens edictum nostrum custodire fideliter et firmiter debeatis et ubilibet in civitatibus, villis et alijs quibuslibet locis publicis et privatis, et specialiter ubi tractantur judicia, et ubicunque contigerit aliquam multitudinem hominum confluere, palam vocibus preconum faciatis proclamare, ut nullus valeat praetendere ignorantiam praemissorum, harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio literarum. Datum in VieluŃ die Dominica, Judica me Deus, anno Domini 1424.

LIBER TRANSITUS

OMNIBUS MERCATORIBUS ET INCOLIS REGNI POLONIAE ET TERRARUM LITHVANIAE, SAMOGITIAE, MASOVIAE, ET RUSSIAE CUM OMNIBUS MERCANTIJS PER TERRAS, MARIA ET TRANSMARE IN PERPETUUM PER TERRAS CRUCIFERORUM, TAM PRUSSIAE QUAM LIVONIAE.

Frater Paulus de Ruszdorff Ordinis Beatae Mariae Domus Theutonicorum Jerosolim: Magister Generalis. Significamus tenore praesentium universis, quod inter caetera nostrae sinceritatis et benignitatis studia, quae ad subditos et subjectos dominiorum Ordinis nostri quadam humanitate libenter gerimus, diebus noctibusque meditantibus in animo fatigamur, ut ipsis tranquillitatis remedia, pacis dulcedinem et re-

quem procuremus opulentam. Igitur convenientibus nobis una cum Praelatis et Praeceptoribus caeterisque Ordinis nostri fratribus, ac strenuis militibus et providis civibus, fidelibus nostris dilectis infrascriptis, feria sexta in crastino Ascensionis Christi, et diebus sequentibus in ripa fluminis Visla in haereditate Nieschova Vladislavien. dioec: ex opposito oppidi nostri Thoron, ex una, et Serenissimo Principe Magnifico Domino Vladislao Rege Poloniae etc. factae et initae contentos ipsis articulos praefatae concordiae in nullo penitus contravenientes, sed ipsos magis ac magis approbantes et confirmantes per capitula, distinctiones et clausulas infrascriptas, declaravimus et elucidavimus, ac tenore praesentium elucidamus. Imprimis siquidem quod via libera est et debet esse omnibus mercatoribus et incolis Regni Poloniae et Terrarum Lithvaniae, Masoviae, Russiae et Samogitarum transeuntibus cum eorum mercantijs et rebus quibuscunque per Prussiam et Lithvaniam et alias Terras Ordini subjectas antiquis tamen theloneis et depositis sive modis deponendi merces, consuetudinibus et observantijs alijs semper salvis, prout in articulo octavo literae unionis et concordiae perpetuae, quae sic incipit: *item omnes mercatores* etc. est expressum. Item liber sit transitus et via omnibus mercatoribus et incolis Regni Poloniae et Terrarum Lithvaniae, Samogitarum, Masoviae et Russiae cum suis mercantijs frumentis cujuscunque grani et rebus quibuscunque, et cujuscunque conditionis vel materiei existant sine impedimento vel angaria, per terras et maria, aquas, et flumina quaecunque ascendendo in et ad Regnum Poloniae, Terras Lithvaniae, Samogitarum, Masoviae et Russiae, et descendendo per Terras dominiorum Ordinis nostri ac per ipsa flumina seu aquas usque ad maria et trans mare in maribus magnis sive parvis in perpetuum quocunque seu quotiescunque voluerint, quas quidem merces frumenta et res ut scriptum est, si praefati mercatores seu incolae Regni Poloniae et Terrarum suprascriptarum ducentes vendere, aut stare in aliquo locorum seu civitatum ad portum seu ripam praedictarum aquarum sive maris situatarum vel situatorum voluerint, est et debet esse in ipsorum arbitrio et voluntate. Si vero vendere noluerint, possunt absque omni impedimento ire seu ascendere vel descendere, quo eis placuerit cum rebus praedictis, ut superius est expressum. Item de datia *pfundtzol* vulgariter dicta, consiliarij Domini Regis praedicti proposuerunt, quomodo praedicta datia sit nova et deposita fuerat, neque eo tempore extitit, quando pax et concordia est facta et firmata, neque praedicta datia imposta fuit ad longa tempora, sed tantum ad pacificandum mare, eo tempore quo Regina Daniae Margaretha cum Alberto Rege Sveciae tenuit guerram, ex adverso consiliarij Ordinis nostri dixerunt, quod hoc teloneum *pfundtzol* fuit ante istam pacem et concordiam perpetuam, nec

unquam fuit depositum, nec articulus in litera concordiae positus continetur, quod aliqua telonea deberent deponi, sed demonstrat, quod nulla nova telonea sunt instituenda, propter quam discrepantiam et dubium sic est conclusum. Quod de caetero praedicta datia *pfundtzol* et ejus solutio suspendatur, et sit suspensa, nec ad ipsius solutionem mercatores duntaxat et incolae Regni Poloniae et Terrarum praedictarum teneantur, tamdiu quousque cognoscatur et discutatur, an secundum dispositionem et tenorem articuli octavi a capite, de quo supra est facta mentio debeat deponi quoad mercatores et incolas Regni Poloniae et Terrarum praedictarum. Item quod omnes mercatores et incolae Regni Poloniae et Terrarum Lithvaniae, Samogitarum, Masoviae et Russiae a solutione cujusdam pecuniae, vulgariter *lobegeld* nuncupatae, quae a frumento in Gdansk recipiebatur perpetuo sint liberi et exempti, nec ad ejus solutionem de caetero teneantur. Item omnes mercatores et incolae Terrarum et Dominiorum Ordinis nostri, et in Terris Regni Poloniae duntaxat Dobrinen: Cujavien: Lancicien: Siradien: et in Polonia in Civitate Gnesnen: tantum libere possunt pannos vendere et per ulnas incidere, in foris annalibus civitatum seu oppidorum praedictorum, possunt etiam emere et ducere frumenta, pecudes et pecora ac quaecunque alias res in foris septimanalibus quibuscunque. Item quod teloneum et depositum vulgariter *niderloge* circa Landisberg et Castrum in nova Marchia, quae dicuntur de novo imposita suspendantur, nec a mercatoribus et incolis Regni Poloniae exigantur, seu recipiantur, sed dentur ad fidejussoriam cautionem, tamdiu quousque Dominus Rex et nos Magister ad limitandum granities inter Poloniam et novam Marchiam nostros nuncios transmittemus et ibidem, nos Magister et Ordo praedicti recepta primitus informatione et impositione novitatis telonei et depositi praedictorum per dictos nostros nuncios id quod novum et inconvetum fuerit, deponemus et tollemus. Item de vectura salis de Prussia per Terram Dobrinen: suspensum est, usque ad responsionem Domini Regis Poloniae etc. In quorum omnium testimonium et evidentiam pleniorum sigillum nostrum praesentibus est appensum, praesentibus et tractantibus Reverendis in Christo Patribus et Dominis Dominis Joanne Culmen: Gerhardo Pomeraniensi ecclesiarum Episcopis Venerabilibus, et Generosis Ordinis nostri Fratribus Ludovico de Landsze Mareschalco Supremo, Henrico Holt Supremo hospitalario in Elbingo, Nicolao Jorlicz Supremo Trapiario in Crisburg, Martino Kemerater in ThoruŃ, Iodoco Hoenkirchen in Tuchola commendatoribus egregijsque et Religiosis Ordinis nostri professis. Actum et datum in rippa fluminis Vistula in haereditate Nieschova Dioecesis Vladislaviensis ex opposito oppidi nostri ThoruŃ, feria quarta intra Octavam Ascensionis Christi anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto.

VLADISLAI JAGELLO

STATUTA DE LIBERTATIBUS

REGNICOLARUM TAM SPIRITUALIUM QUAM SAECULARIUM.

IN IEDLNA CONCESSUM PRIVILEGIUM, TAMEN DATUM ERAT CRACOVIAE, REGE EX IEDLNA ILLUC VENIENTE: ET SIC IN THESAURO CONTINETUR SCRIPTUM.

VLADISLAUS

Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Lithvaniaeque Princeps: Pomeraniae, Russiaeque Dominus et haeres etc.

Significamus tenore praesentium quibus expedit universis, quomodo libramine verae rationis pensantes intemeratae fidei et insuperabilis virtutis constantiam, quibus incolae Regni nostri Poloniae in bellis et certaminibus, quae cum prosperis auspice Domino nostrorum triumphorum successibus, saepe saepiusque pro defensione nostra et Regni ejusdem, hostium sustinendo insultus suscepimus, placere Nobis meruerint, et votis nostris obsecundatione fideli non absque varijs periculis corporum et extenuatione rerum, devota subiectione ubique et semper paruerunt, horum intuitu et aliorum contemplatione meritorum quae excelsa dona nostrae munificentiae non indigne promerentur, volentes etiam ut benevolentia eorum, fidei affectus, quos cum tanta sinceritate et in filios nostros praeclaros Principes Vladislaum et Casimirum direxerint, quorum unum, quem aptiorem ad regimen Regni cognoverint; quem nostris requisitionibus admuniti, sibi expleta vitae nostrae periodo pro Rege, Principe, Domino et haerede Regni hujus Poloniae et Terrarum Lithvaniae et Russiae; quas praeclarus Princeps Dominus Sigismundus Kerstuthi, Magnus Dux Lithvaniae, Frater noster carissimus: prout in praesentia possidet et debet ad tempora vitae suae possidere; et post obitum ejus ad Nos, et filios nostros praedictos ac coronam vera et haereditaria successione devolvi, sicut patentibus literis ad hoc confectis est firmatum devoto et humiliter susceperint; et corona Regni sceptrisque regalibus cum solennitate ceremoniarum debita, promiserint tanquam verum et legitimum successorem postquam aetatem legitimam habuerit insignire; dignis pro grata vicissitudine Regiae Celsitudinis muneribus compensentur. § Omnia jura et ipsorum privilegia quae dudum, circa coronationem nostram et alijs postmodum momentis et temporibus ipsis concessimus, vel quae eis alij Reges et Principes veri haeredes Regni Poloniae praedecessores nostri ab antiquis temporibus concesserint: patrocinio praesentis privilegii nostri ratificamus, approbamus, renovamus et confirmamus sub infrascriptorum moderamine articulo, quorum regulatione, si quae obscura tenor praedictorum

privilegiorum comprehendit, sensum recipient clariorem, et ambigua omnium dubietate carebunt, per quam intellectus confundi et nasci errores consueverunt. § Primo quidem quod universas aedes Sacras seu ecclesias in omnibus eorum viribus, immunitatibus et libertatibus ac metis et distinctionibus antiquis, quibus temporibus duorum praedecessorum nostrorum Poloniae Regum et Ducum fruebantur, volumus omnimode conservare; dignitates autem ecclesiasticas et saeculares Regni Poloniae, aequo modo circa jura et consuetudines ac libertates ipsorum, quae et quas temporibus Serenissimorum Principum Dominorum Casimiri, Ludovici et aliorum Regum ac Ducum haeredum Regni Poloniae obtinebant dimitemus persistere et permanere. § Quas quidem dignitates cum eas vacare contigerit, nulli extraneo terrigenae nisi nobili benemerito, et in fama laudabiliter conservato illius Terrae, in qua dignitas hujusmodi vel honor vacaverint Terrae videlicet Cracoviensis, terrigenam Cracoviensem, Sandomiriensem terrigenam Sandomiriensem. et in Majori-Polonia terrigenam Poloniae Majoris; et sic demum singulis Terris Regni Poloniae dabimus vel quomodolibet conferemus. § Super quibus etiam dignitatibus ecclesiasticis et saecularibus literas expectativas, nulli personae dabimus in futurum, et quod praedictas dignitates tam ecclesiasticas quam saeculares non debemus minuere nec etiam suffocare, et possessiones, census, aut salaria ad eos pertinentia, absque juris debito examine non auferre. § Item quod per tenentarios castrorum et fortalitorum alienae gentis vel extraneae nationis Regnum in se, et in suis partibus crebrius periclitari contingit, pro eo et ex eo nulli Ducum et de Ducali genere descendenti seu extraneo alienigenae cuiquam aliquod castrum, fortalitorium aut civitatem ad regendum pro tempore vel in aevum dabimus, assignabimus aut quomodolibet conferemus; nec etiam aliquem talium in Capitaneum aut tenentarium Terrae alicujus aut Terrarum Regni nostri praedicti praeficere volumus, nec etiam surrogare. § Item promittimus insuper et spondemus, quod dum ad requisitionem nostram Nobiles nostri Regni extra metas ejusdem Regni nostri, ad repellendam hostium saevitiam transferre contigerit, ipsis satisfactionem condignam pro captivitate caeterisque damnis notabilibus faciemus. § Metas vero seu granities saepe dicti Regni memorati Nobiles, ab insultu, et incurso aemulorum et hostium proprijs sumptibus tueri debent et omnimode teneantur. § In casu vero quo aliquis aemulus Regni nostri, quocumque modo Regnum nostrum intraverit: et cum eodem conflictum intra metas ejusdem Regni terrigenas nostros facere contigerit, eisdem terrigenis pro captivitate duntaxat, si vero extra metas idipsum fieri contigerit, tunc et pro damnis si quaequod absit incurrerint, et pro captivitate satisfactionem condignam impendere. § Et si quis ex nostris Baronibus, Nobilibus, Procetibus, seu terrigenis aliquem, vel aliquos captivum vel captivos cujuscunque status, conditionis

aut eminentiae captivaverit, illi vel illis promittimus a quolibet hujusmodi captivo dare et solvere unam sexagenam monetae in Regno nostro currentis, et recipere pro Nobis captivum depactandum exceptis civibus, et plebeis, quos ille, vel illi depactent, qui eos duxerit, seu duxerint captivandos pro libito suae voluntatis. § Item quod quando praefatis nostris terrigenis, extra metas Regni nostri, expeditionaliter exire, seu se transferre mandabimus, seu mandemus quinque marcas, super quamlibet hastam dare, solvere, et distribuere, promittimus in civitate notabiliore, cujuslibet districtus, seu antequam metas Regni nostri exiverint praedicti. § Casu vero, seu successu temporis se offerente, dum infra spatium duorum annorum post distributionem pecuniarum sicut praemittitur factam, ad expeditionem nostram processerimus, extunc ijdem terrigenae ab hujusmodi pecuniis, et servitiis ratione praedictarum pecuniarum faciendis, erunt soluti poenitus et exempti. § Si autem, infra decursum eorundem duorum annorum, ad expeditionem cum eisdem terrigenis nostris transitum faceremus, et extra metam Regni nostri cum expeditione processerimus, extunc praedicti terrigenae ab eisdem pecuniis, servitiis praetextu carundem similiter sint absoluti. § Item promittimus pro inclitis filiis nostris praedictis, quod postquam dante Domino unus illorum in Regem electus, sceptra Regni Poloniae amplectetur, monetam ex quocumque genere metalli, absque consensu et consilio speciali Praelatorum, et Baronum in Regno Poloniae cudere non permittet; quemadmodum Nos sine ipsorum consensu et consilio hujusmodi monetam cudere noluimus nec cudimus. § Absolvimus insuper et perpetuo liberamus omnes, et singulos omnium nostrorum terrigenarum kmethones ab omnibus solutionibus, contributionibus, et exactionibus, vecturis, laboribus, equitaturis, podvodis, dictis angariis, gravaminibus, frumentorum dationibus, dictis *sep* vulgariter, praeterquam duos grossos monetae usualis Polonicae, et in Regno Poloniae, communiter decurrentis, quos quidem duos grossos, quilibet kmetho praedictorum terrigenarum de quolibet laneo possesso solvet, etiamsi illum plures personae possideant. § Scultetis eorum et servitoribus, quos ab hujusmodi solutione duorum grossorum volumus esse liberos, et exemptos, nec non molendinatoribus, tabernatoribus, et hortulanis non habentibus nec colentibus agros, hoc est mansos seu laneos integros vel medios, duntaxat exceptis atque demptis, singulis annis in futurum in Festo S. Michaelis Archangeli usque ad diem S. Nicolai solvere sit adstrictus. Si autem praedictorum molendinatorum, sive tabernatorum, aut hortulanorum aliquis integrum laneum agrorum coluerit: tunc ad solutionem duorum grossorum, si vero medium laneum, ad solvendum unum grossum similiter monetae praedictae, Nobis sint adstricti. Ad quos quidem duos grossos monetae praescriptae, alias Serenissimo Principi Domino Ludovico, Hungariae et Poloniae Regi,

solvere libere se submiserunt. § Quod si intra praefixum terminum, Nobis aliqua villa pecuniam hujusmodi solvere neglexerit: extunc Exactor noster, quem pro tollenda eadem exactione duxerimus deputandum in eadem villa unum bovem, ratione non solutionis, absque spe restitutionis, habebit recipiendi omnimodam facultatem. Si vero intra quatuordecim dies post ejusdem bovis receptionem, eadem villa et quaevis alia, dictam pecuniam non solverit: extunc Exactor noster duos boves consimili modo sine spe restitutionis recipiat atque tollat. § Memoratus etiam Exactor pecuniarum praedictarum praetextu notae (quod *napisne* dicitur) nihil exigat, atque tollat: et nihilominus literis suis kmethones quietet de solutis. De civitatibus autem antiquis et novis, tempore regiminis nostri locatis sic statuimus: quod ille civis seu oppidanus, qui civitatem cum uxore, filiis et familia inhabitat, et agrum solus, vel per suum hortulanum, aut agricolam colit, non tenetur ad praedictam *poradne* pensionem; sed si ante oppidum vel civitatem resideret solvat praefatam *poradne* pensionem: ac si in villa resideret, non obstante, quod ad jus et jurisdictionem ejusdem oppidi seu civitatis pertinere, vel cum eis onera sufferre prohibeatur. § Item spondemus: quod in nulla Terra totius Regni Poloniae justificationari constitutere volumus, vel quomodolibet surrogare. Praeterea promittimus: singulos articulos et clausulas, in privilegijs nullo vitio falsitatis depravatis, Serenissimorum Principum, Dominorum Casimiri et Ludovici, ac omnium aliorum, Regum, Ducum, ex vera successione haeredum antiquorum Regni Poloniae, ecclesiis, terrigenis, et civitatibus concessis, nostrorum praedecessorum contentas, praesertim commodum et profectum nostrum, Regni-que Poloniae saepe fati et ipsius incolarum, concernentes, firmiter et inviolabiliter observare perpetuis temporibus, et tenere. § Item pollicemur: quod nullas stationes, seu procuraciones, vel descensus in civitatibus, villis, et haereditatibus, curijs ac praedijs ecclesiarum, nobilium, et terrigenarum nostrorum faciemus. Si vero casualiter, necessitate et opportunitate Nos cogente, stationem in bonis, civitatibus, castris, aut curijs ecclesiarum, nobilium Nos facere contigerit, extunc nil vi vel potentia recipere faciemus: vel quomodolibet facere, recipi permittemus, imo quaeque necessaria, nostris pecuniis proprijs volumus comparare. § Caeterum promittimus et spondemus: quod nullum terrigenam possessionatum pro aliquo excessu, seu culpa capiemus, seu capi mandabimus; nec aliquam vindictam in ipso faciemus, nisi iudicio rationabiliter fuerit convictus: et ad manus nostras, vel nostrorum Capitaneorum, per Judices ejusdem Terrae, in qua idem terrigena residet praesentatus; illo tamen homine, qui in furto, vel in publico maleficio, (utpote incendio, homicidio voluntario, raptu virginum et mulierum, villarum depopulationibus, et spolijs) deprehenderetur: similiter illis, qui de se nollent debitam facere cautionem vel dare, juxta

quantitatem excessus vel delicti, duntaxat exceptis. § Nulli autem bona seu possessiones recipimus: nisi fuerit judicialiter per Judices competentes vel Barones nostros Nobis condemnatus. Item promittimus, quod omnibus terrigenis, cum bonis et haereditatibus nostris granities postulantis ac petentibus non denegabimus. § Item pollicemur: quod omnes Terras nostras Regni nostri Poloniae, etiam Terrarum Russiae includendo, salvis tamen avenae contributionibus (de quibus Nobis, ad tempora vitae nostrae, sola Russia respondebit) ad unum jus et unam legem communem omnibus Terris reducemus: reduci-musque, adunamus et unimus tenore praesentium mediante. § Item attendentes, quod dicti Regni nostri incolae, et inhabitatores in favorem nostrae Majestatis, privilegiis ipsis, per Nos et nostros praedecessores concessis quandoque derogarunt: eadem ipsorum privilegia nostra, et praedecessorum nostrorum, Regum ac Ducum, et haereditum legitimorum et verorum Regni Poloniae praedicti, ad statum priorem reducimus, reintegramus, restauramus: ac praesentis scripti patrocinio confirmamus, ratificamus, et declaramus, ipsaque robur obtinere perpetuae firmitatis. § Item si qui terrigenae, aut quivis alij incolae Regni Poloniae praedicti pendente lite in judicijs, pro quibuscuque causis concordare voluerint; a poenis nostris, et Judicium ac Subjudicium, Palatinorum ac Castellatorum, eosdem liberos facimus, et solutos. § Item promittimus, quod nulli poenas super nobilibus, ad quas Nobis judicialiter fuerint condemnati, exigendas donabimus, sed eas per Nos, aut nostros Capitaneos, seu officiales exigemus: et exactas, juxta bene placitum nostrum convertemus. § Item omnes incolae Terrarum, Cujaviensis et Dobrzynensis, de avena solita, quam Nobis solvere consueverunt, ad decem annos duntaxat Nobis respondere sint adstricti, quibus revolutis ab hujusmodi avena liberi sint, et exempti. § Item Notarij Terrestres, ad Officium Notariatus promoti, semper soli judicijs, et non per alios, vel subscribas, vel surrogandos resideant, ubi commode potuerint, alias liceret eis habere substitutos, quos Baronibus, Judicibus Terrarum, in quibus officium hujusmodi possident, substituendos praesentare teneantur: et quod tales sint bonae famae, et a dictis Baronibus, et Judicibus, ad officium hujusmodi approbati; alias a Nobis continuo hoc ipsorum officium, alijs habilioribus, et magis assiduis est conferendum. Nulla autem levis causa, nisi ardua, absentiam Notariorum poterit excusare. § Harum, quibus sigillum nostrae Majestatis appensum est, testimonio literarum. Datum Cracoviae feria sexta intra Octavam Epiphaniae Domini, anno domini 1433. § Praesentibus Reverendis in Christo Patribus, Magnificis et Nobilibus: Alberto, Sanctae Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopo, et Primatate, Sbigneo Cracoviensi, Joanne Vladislaviensi, Joanne Chelmensi, Episcopis. Nicolao de Michalow Castellano et Capiteano Cracoviensi, Petro Szafraniec Sandomi-

riensi, Joanne de Lichin Brzestensi, Jarando de Grabie Vladislaviensi, Palatinis. Petro de Bnino Gnesnensi, Laurentio Zaręba Siradiensi, Alberto Malski Lanciensi, Dobeslao de Olesznica Woynicensi, Cristino de Koziegłowy Sandecensi. Domaratho de Kobylany Bieczensi, Cristino Brzezensi, Joanne de Kretkow Dobrzynensi, Warschio de Samborzec Zawichostensi, Paulo Slodczy Malogostensi, Stanislawo Gamrat Polanecensi, Paszkone de Gosławice Konariensi, Stanislawo de Gozdna Brestensi, Castellanis: Joanne de Olesznica, Regni nostri Poloniae Mareschalco, Petro de Pieszkowa skała Cracoviensi, Petro Korczbok Posnaniensi, Stanislawo Bielawski Lanciensi, Stanislawo Szkowski Vladislaviensi, Andrea de Lublin Dobrzynensi, Regni nostri Poloniae Thesaurarijs, Succamerarijs. Paulo de Bogumiłowice Cracoviensi, Joanne de Sprowa Sandomiriensi, Abraha de Sbaszyn Posnaniensi, Petro de Widawa Siradiensi, Nicolao Słup Dobrinensi, Judicibus. Stanislawo de Charbniowice Sandomiriensi, Zegotha de Moykowice Siradiensi, Alexio Dobrinensi, Nicolao de Kościelec Bydgostensi, Vexilliferis. Petro Strykowski Pincerna Lanciensi, Sigismundo Bobowski Cracoviensi, Zawissio de Olesznica Sandomiriensi, Subjudicibus, et alijs Militibus in Generali Parlamento, seu Conventione constitutis. Datum per manus praedicti Reverendi Patris, Domini Joannis, Episcopi Vladislaviensis Regni Poloniae Cancellarij, et Venerabilis Vladislai de Oporow, Decretorum Doctoris, Decani Cracoviensis, Sedis Apostolicae Protonotarij, ejusdem Regni Vicecancellarij.

VLADISLAUS JAGELLO

SANCITA EPISCOPORUM APPROBATA OLIM A CASIMIRO MAGNO, ITEM SUMMORUM PONTIFICUM CIRCA DECIMAS, IMMUNITATES & C. CONFIRMAT.

Arbitratio Jaroslai Archiepiscopi Gnesnensis.

Ad differentiam inter Casimirum Magnum et Incolas Regni ex una, et Bodzantam Episcopum Cracoviensem partibus ex altera, super decimatione, super interdicto tenendo, raptu decimarum, presbytericidijs, locatione decimarum, decimis ex hortis, decima canapi, interdicto triduo, Jaroslai Archiepiscopi Gnesnensis, qui Boguria cognominatur arbitratus est, et datum Privilegium per Regem et Archiepiscopum infra scriptum.

In Nomine Domini, Amen.

Cum scriptura testante, omnis aetas ab adolescentia sit promptior ad malum, et omnis creatura consistat sub vitio, naturaque humana facilius labatur ad delicta, sic etiam quod vitia imitatur, quamvis enim Domino disponente sibi

subditi debeant fore pudici, modesti, justii, ac pacifici, effraenata tamen cupiditas, nisi justitiae conatus subverteret, tunc profecto concordia, et pax inter homines deperiret, summum autem bonum in hac vita est justitiam colere, et unicuique, quod suum est tribuere, et propter hoc conditur statutum, seu constitutio, ut humana coercetur audacia et inter improbos innocentia, securitate laetetur.

Ad idem Rex scribit: Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae, significamus tenore praesentium, quod cupientes, ut subditi nostri, in regno nostro degentes praesertim in Regno Poloniae, et Terris cujuscunque status et conditionis existant, honeste vivant, alter alterum non laedat, et jus unicuique tribuatur, praeterea de consilio Venerabilis in Xsto Patris et Domini Jaroslai Sapientiae Gnesnen: Ecclesiae Archiepiscopi, necnon Praelatorum, Palatinorum, Baronum et universorum Nobilium nostrorum, de Terra Poloniae, ad perpetuam rei memoriam statuta edidimus infrascripta, volentes, ut ipsa statuta in praedicta Terra Poloniae, ab omnibus observentur, sicut nostram indignationem, et poenas contentas in illis volunt et cupiunt evitare, requirit enim plerumque audacia perversorum, ut non simus sola delictorum prohibitionem contenti, sed etiam poenam delinquentibus imponamus.

Rex assidens arbitranti Archiepiscopo Gnesn. secum una statuit sic, ut Archiepiscopi scribuntur decreta infrascripta.

Ad idem Archiepiscopus scribit suum arbitrarum processum:

Nos itaque Jaroslai Divina Providentia, Sanctae Gnesnensis ecclesiae Archiepiscopus, in Cracoviensi dioecesi in officio visitationis constitutus, universis ad quos praesentes pervenerint, volumus fore notum, quod per Serenissimum Principem Dominum Casimirum Dei Gratia Regem Poloniae, et Patronum nostrum ex una, et Dominum Bodzantam partibus ex altera, fratrem nostrum charissimum Episcopum Cracoviensem quaedam dubitatio super decimis et alijs articulis inferius contentis fuisset hinc inde suborta, deum eadem partes volentes ad calculum concordiae sine scrupulo conscientiae pervenire, in nos voluntarie, ex certa scientia non per errorem, nec aliquo dolo, vel fraude circumventi, super infrascriptis articulis, pro se omnibusque successoribus suis concorditer consentientes compromiserunt tanquam in arbitrium compromissariorum arbitratorem, et laudatorem, definitorem, seu amicabilem compositorem, dantes et concedentes nobis liberam et omnimodam potestatem et facultatem, ut possimus de plano, et sine strepitu et figura judicij super dictis articulis pronuntiare, laudare, definire, arbitrari, et ordinare, etiam juris ordine conservato qualitercunque, prout nobis melius videbitur expedire. Nos itaque Dei nomine invocato et consilio sapientum communicato nobiscum, etiam habita de-

liberatione sufficienti pro bono pacis et utilitate ecclesiae Cracoviensis, ex vigore compromissi praedicti laudamus, atque ordinamus, et definiendo arbitramur, inter Dominum Regem et Episcopum praedictos.

De raptura decimae praedialis.

Pro raptu decimae praedialis alicujus nobilis, vel pro causa qualicunque rationabili talis raptor, vel malefactor monitione praemissa excommunicetur. Si vero in excommunicatione per sex menses perstiterit, extunc incolae in eadem villa degentes, qui tunc tenebantur decimare, excommunicentur cum raptore decimae ejusdem. Ubi autem uxor alicujus nobilis viro absente, decimam rapuerit, per censuram ecclesiasticam hujusmodi ad satisfactionem condignam contra ipsam procedatur, si autem per sex menses in eadem excommunicatione perstiterit animo indurato, tunc kmethones in eadem villa ubi decima fuit rapta cum eadem excommunicentur.

De presbytericidio et clericidio.

Praeterea ubi clericus ordinatus, vel presbyter esset occisus, captus, vulneratus, vel detentus, illius loci ecclesia vel ecclesiae si fuerint plures jure sint interdictae. Et ideo in eisdem Divinum officium non debet celebrari, quousque malefactor Domino Episcopo tradatur, qui si comprehendendi non poterit, tunc habitatores ejusdem loci praestabunt juramentum, quod malefactorem deprehendere non potuerunt, nec occasionem effugiendi dederunt, extunc Ordinarius tollet interdictum a jure statutum. Et nihilominus malefactor sit proscriptus, et per quemcunque rapi potuerit, Domino Ordinario tradatur, et omnino excommunicetur.

De tempore decimae forisandae.

Item quicumque dominus villae, in ipsa villa sua decimam emere voluerit, ante Festum Beati Jacobi cum domino decimae forisare procuret, alioquin dominus decimae decimam vendet libere, impedimento cessante domini villae illius.

De decimis seminatorum in hortis.

Ubiunque aratro in hortis aratum, vel in campis fuerit, decima plenarie exolvatur exceptis rapis, papavere, caulibus, cepis, allio, et quae sunt his similia. In hortis si quis ligonizando plantaverit, decima ab eo nullatenus recipiatur.

De decima canapi.

Pro decima canapi taliter statuimus, quod quicumque kmetho arat cum integro aratro, quotcunque boves habuerit seu equos, det quatuor ligaturas canapi parati, juxta consuetudinem terrae antiquam, quicumque cum medio, duas ligaturas dare teneatur, qui autem non arat, a decima canapi, debet esse liber et solutus.

De interdicto servando.

Super interdicto servando taliter decrevimus,

quod cum ex casu qualicumque evenerit in Civitate Cracoviensi interdictum ecclesiasticum teneri et observari, civitas Casimiria, juxta flumen Visla eidem interdicto non debet subjacere, et e converso.

98 **De cessatione a Divinis propter excommunicatum.**

Statuimus insuper, quod ubicunque vel ad quamcunque excommunicatus a jure, ecclesiam, seu civitatem ingressus fuerit, tunc cessetur a Divinis, ipso tamen de ecclesia aut cemeterio recedente, Divina licite reserventur et resumantur.

De interdicto triduo non tenendo.

Inter caetera decernimus et statuimus expresse, quod interdictum triduanum, quod alias servatur per omnes ecclesias propter adventum alicujus excommunicati, extunc per quempiam et exnunc nullatenus debeat teneri et observari, ne pluralitas plebis devotae, propter crimen unius obstinati, salutaribus Divinis officijs privetur, et sua orbetur devotione. Ubi autem sententia Sedis Apostolicae fuit, cui nos legem dictare non possumus, volumus quod forma mandati in rescripto posita, diligenter servetur et exequatur, clausula de interdicto superius triduo praemisso non obstante.

Finit arbitrarium decretum Jaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus.

Bodzanta Episcopus Cracoviensis constituit.

Cum excitata erant odia multa et differentiae inter spirituales et saeculares personas Dominos Diocesis Cracovien: tandem compactata erant et congesta inter eos in Conventione per Regem Casimirum Magnum, et in Synodo per Bodzantam Episcopum Cracoviensem pro uno tempore Cracov: quarta mensis Junij, anno 1369 habitis, quibus intererat Jaroslaus Gnesnen: Archiepiscopus Boguria dictus, tunc ex causa illius differentiae auctoritate Metropolitana ac primatiali visitans Diocesis Cracov: sunt autem compactata infrascripta super decimarum libertate, raptu, tempore decimandi, forisandi, per dominos locorum eas emendi, ex aratro percipiendi, novalium locatione, earum progressionem etc., columbationibus, visitatione Archidiaconorum, super expeditione ad bellum clericorum, saecularium ad jus spirituale citandorum, fabrica ecclesiae, decima canapi, super interdicto triduo, et simplici super cessatione a Divinis, salarijs tabellionum. Item de ecclesijs in bonis nobilium erigendis, ut infra sequitur.

99 **In Nomine Domini, Amen.**

Noverint universi praesentium notitiam habitori, quod nos Bodzanta Divina et Apostolicae Sedis Providentia Episcopus Cracoviensis attendens: quod Terrae Lublinensis, Sieciehovien: et

Lucovien: nostrae Diocesis: per insultum infidelium Tartarorum et Lithvanorum peccatis exigentibus sint plurimum desolatae. Volentes itaque, ut ad possidendum easdem populus Christianus, ferventius invitetur, ad petitionem instantem Serenissimi Principis, Domini nostri, Domini Casimiri Dei Gratia Regis Poloniae illustris de voluntate et consensu Fratrum nostrorum Capituli Cracoviensis. Omnibus et singulis, qui in Terris praedictis se locaverint, aut hactenus sunt locati, in villis praedictis et possessionibus, in quibus ad mensam nostram Episcopalem decimae pertinebant, a solutione decimae triginta annorum spatium a data praesentium plenam et omnimodam concedimus libertatem. Ita tamen quod si libertate durante Dominus praefatus Rex aut Procuratores sui, vel nobilis quicumque in bonis suis sitis in Terris praedictis, decimam a suis colonis receperit, vel pro suis usibus usurpare voluerit, extunc libertate non obstante decima bonorum eorundem ad mensam nostram sine contradictione aliqua revertatur. In alijs autem bonis, in quibus decima recepta non fuerit, libertas permaneat sicut concessa. Per hanc autem libertatem nostram monachis et clericis etiam saecularibus quibuscunque, qui in Terris praedictis ratione suorum monasteriorum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum decimas possiderent, aut possident, nullum volumus praedictum generari, sed ipsorum quilibet circa jus suum permaneat, sicut prius.

Decimae sicut ex antiquo de quibusvis locis dabantur sic dandae erunt perpetuo, et de decimis Scultetorum.

Caeterum mandamus annuente Domino nostro, Domino Rege praedicto, ut ubicunque per totam nostram Diocesis: in civitatibus, castris, oppidis, villis, praedijs et possessionibus, decimae manipulatim, in campis hactenus tollebantur, ubi adhuc eodem modo eadem decimae in posterum tolli debent, contradictione cujuslibet non obstante. § Verum Sculteti et Advocati, civitatum, oppidorum seu villarum in quibus decimae manipulatim persolvuntur de quatuor mansis advocatae seu scultetiae suae, quos coluerint proprijs laboribus, et expensis de quolibet mansorum praedictorum, in Festo Beati Martini, in mense Novembris quatuor scotos grossorum pragen: pro decima nobis solvent. § Sed si plures mansos colere voluerint, quam quatuor aut dictos quatuor vendiderint, locaverint aut tradiderint ad colendum, de ipsis dent decimam manipularem in campo, prout alij incolae quorum vicini sunt conveverunt solvere.

De tempore decimandi.

Et ne labores hominum propter decimatorum desidiam retardentur, decernimus, ut quilibet in octava Beati Jacobi ad recolligendum suam decimam vel per se vel per nuntium idoneum sit paratus, alias depositis et relictis in campo quinque manipulis de qualibet quinquagena frumenta hominum, libere conducantur.

100

De decimis novalium.

In novalibus autem exortis, ultra Vislam et citra metas Russiae, Hungariae, progressive usque ad limites terrae, in quibus hucusque nobis manipulatim decima non dabatur, libertate expleta, de quolibet manso parvo sive magno locato sive locando, ferto grossorum Pragen: in Festo S. Martini praedicto, annis singulis nobis pro decima solvi debent praediali. § Advocati vero et Sculteti novalium praedictorum de quatuor mansis advocatae vel scultetiae seu quos coluerint proprijs laboribus ut praefertur, de quolibet mansorum praedictorum, tres scotos grossorum solvant illi ecclesiae pro decima, ubi audiunt Divina ac percipiunt ecclesiastica sacramenta. Sed si plures quam quatuor coluerint, aut aliqui ipsorum aliquid alijs vendiderint, locaverint, seu tradiderint ad colendum, de quolibet ipsorum unum fertone grossorum, sicut et rustici in festo praenotato nobis pro decima solvant. Et insuper pro gratia, quam eis fecimus in solutione decimae, ut praefertur, ijdem Sculteti vel Advocati fertones nostros decimales, in festo Beati Martini superius notato, sub juramento fidelitatis ipsorum rusticorum exigere, nobisque vel nostro procuratori intra quindecim dies ante festa immediata sequentia praesentare fideliter et integraliter tenebuntur. § Sed tamen ubi in praedictis novalibus nobis ante decima manipulatim solvebatur, adhuc futuris temporibus perpetuo solvi debet, nec ipsam propter hoc, remittimus ad fertones.

De decimis agrorum sterilium circa Długiepole, et Czorstyn, versus Myslimice.

Verum quia in distinctionibus circa Długiepole, Czorstyn sub ea limitatione, videlicet inter viam quae currit ad Myslimice versus Twardoszyno et inter Slonagora versus montem qui dicitur Obsdow in Dunaiec, et ut intelleximus quod sunt agri steriles et frigora grandia diutius terram premunt, ita quod paucis temporibus anni inibi laboratur, volentes gratiosius cum incolis districtuum praedictorum ordinare, statuimus quod incolae praedicti qui jam ibi locati sunt vel in posterum locabuntur in festo Sancti Martini praedicti, pro decima praediali de manso quolibet tres scotos grossorum Pragen: annis singulis nobis persolvant. Quam pecuniam Sculteti locorum praedictorum colligent nobisque vel Procuratori nostro praesentabunt prout in casu finali superius est expressum, hanc autem solam limitationem de solutione fertorum pro decima in locis superius ita expressis totaliter cum Domino Casimiro Rege praedicto ordinario permanere statuimus, quod deinceps ad civitates, villas, oppida, praedia, possessiones quascunque totius nostrae Diocesis: ubi manipulatim decima solvitur ab antiquo, nunquam ullo tempore extendatur.

101

De decimis per nobiles cultis arendatis, aut a kmethonibus habitis.

Item decrevimus, quod ubicunque aliquis nobilis alteri nobili sibi aequali, necessitate cogente haereditatem suam obligaverit, et creditor coluerit in ea, decimam frugum de agris suis solvat illi ecclesiae, cui is qui obligavit solvere consueverat ab antiquo, sed si forte labores suos dictus creditor voluerit ampliare, repellendo kmethones et excolendo agros eorum, de agris kmethonum quos colit decimam in *Gonitwa* solvere tenetur: etiam si nobilis kmethoni vel alteri similiter haereditatem obligaverit, idem ignobilis decimam illiberam cui de jure debuerit de agris quos colit dare sit adstrictus. Praeterea ne propter causam decimalem Judicem Ecclesiasticum de nobilitate, nobilem judicare contingat, statuimus, quod ubi quis clericus petens decimam illiberam ab aliquo qui se dicit nobilem ipsumque propter hoc ad iudicium ecclesiae revocaret, volumus ut causa nobilitatis ejus vel nobis, vel officiali nostro, per ipsum proposita clypeoque suo et parentela nominatis per nos vel officialem nostrum nullatenus iudicetur, sed remittatur ad iudicium saeculare, ut ibi nobilitatis quaestione primitus expedita doceatur ecclesia, quo jure talis decima conferri debet circa solutionem decimae praedialis.

De decimis per progressum habendis.

Demum statuimus et ordinavimus voluntate et consensu Domini nostri Regis praedicti ad hoc specialiter accedente, quod ubicunque ab antiquis agris progressive quispiam silvas, rubeta, vel mericas extirpavit, ille decimam percipiat de novalibus amodo, ad quem antiquorum agrorum decima primitus pertinebat, verum si a dextris vel sinistris ab antiquis agris aliqui incolae fuerint collocati, extirpaverintque silvas, rubeta vel nemora, vel mericas, praedicti incolae de agris ipsorum totaliter extirpatis nobis et nostris successoribus decimam solvere tenentur.

De columbatione.

Insuper volumus quod columbatio illibere per Rectores ecclesiarum a suis parochianis non exigatur de caetero, sed quod quisque sponte petenti dare voluerit, cum gratiarum actionibus tolli debet.

102

De visitatione per Archidiaconos.

Prohibemus etiam Archidiaconis Praepositis et alijs Praelatis nostrae Diocesis jurisdictionem habentibus, ut visitando non excedant electionum numerum a jure diutius institutum, neque in tempore visitationis pecuniam exigant a subjectis. § Rectores quoque ecclesiarum pro sacramentis ecclesiasticis, quae gratis ministranda sunt nil exigant, alias ipsos graviter puniemus.

De expeditione ad bellum clericorum.

Clerici vero cujuscunque gradus, status vel conditionis existant, bona patrimonialia possidentes ad expeditionem cum Domino Rege transeant de eisdem, juxta ejus omnimodam facultatem.

De erigendis ecclesijs, ad vota nobilium.

Et ut Divinus cultus nostris temporibus augeatur, promittimus, quod ubicunque nobiles continuam sustentationem presbytero assignare curaverint, eidem ecclesiam in bonis suis, fundabimus indilate.

De saecularibus non citandis ad Judicium Ecclesiasticum.

Praeterea volumus quod laici deinceps pro debitis et in alijs causis civilibus per clericos, ad forum ecclesiasticum non trahantur, nisi forte sit causa spiritualis, vel spirituali annexa, aut debitum fuerit decimale.

De fabrica ecclesiae Cracoviensis.

Quod etiam pro fabrica ecclesiae nostrae cathedralis medietatem reddituum primum a clericis exigi fuerat consuetum, hoc eis tenore praesentium, exnunc sit indultum et remissum.

De raptu decimae.

Item circa praemissa, inter saepe dictum Dominum Regem et nos statuimus et ordinamus quod pro raptu decimae praedialis, alicujus nobilis vel pro causa qualicunque rationabili, talis raptor vel malefactor monitione praemissa excommunicetur. § In qua excommunicatione intra sex menses si perstiterit, et tunc incolae in eadem villa degentes cum decimare teneantur, excommunicentur cum raptore decimae ejusdem. Ubi autem uxor alicujus nobilis viro absente decimam rapuerit per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam contra ipsam procedatur. Si vero intra sex menses in eadem excommunicatione perstiterit animo indurato tunc kmethones in eadem villa ubi decima sit raptam cum eadem domina excommunicentur.

De presbytericidio.

Praeterea ubi clericus ordinatus, vel presbyter esset occisus, vulneratus, captus, vel detentus fuerit, illius ecclesia vel ecclesiae si sunt plures, jure sunt interdictae, et ideo in eis Divinum officium, non celebretur, quousque malefactor Domino Episcopo tradatur. § Qui si deprehendi non poterit, tunc habitatores illius loci praestabunt juramentum, quod malefactorem detinere nequiverunt, nec occasionem aufugiendi dederunt. § Demum ordinarius tollet interdictum a jure statutum. § Cum tamen nihilominus malefactor sit proscriptus et per quemcunque rapitauerit domino ordinario ipsemet tradatur, et excommunicetur

De decima in loco villae nobilibus vendenda.

Item quicunque dominus villae in ipsa villa suam decimam emere voluerit, octo diebus ante festum Beati Iacobi, et octo diebus postea, cum domino decimae forisare procuret, alioquin dominus decimae libere decimam vendat, impedimento a domino villae cessante.

De decima aratri.

Item ubicunque aratro in hortis, vel in campis aratum fuerit, decima plenarie exolvatur, exceptis, rappis, papaveris, caulibus, raphano, et alio, et alijs similibus. § Quae in hortis suis, ligonizando aliquis plantat, decima ab eo de praedictis nullo modo repetatur.

De decima canapi.

De decima vero canapi statuimus quod quicunque kmetho arat cum integro aratro, quocunque equos sive boves habuerit det quatuor ligaturas canapi, juxta consuetudinem terrae antiquam, qui autem cum medio aratro arat, tunc duas ligaturas dare teneatur, qui autem non arat, a decima canapi debet esse liber et solutus.

De interdicto servando.

Item super interdicto servando taliter decrevimus, quod cum ex casu qualicunque evenerit, in civitate Cracoviensi interdictum ecclesiasticum teneri et observari, civitas Casimiria quae est quasi contigua ultra fluvium Vistula, eidem interdicto, non debet subjacere, et e converso.

De cassatione a Divinis, propter excommunicatum.

Statuimus insuper, quod ubicunque vel ad quemcunque locum excommunicatus a jure, vel ab homine venerit ad ecclesiam, vel civitatem ingressus fuerit, tunc cessatur a Divinis, ipso tamen de ecclesia, vel civitate jam recedente, Divina licite resumantur.

De triduo interdicto.

Inter caetera decrevimus, et statuimus expresse, quod interdictum triduanum, quod alias servabatur per omnes ecclesias propter adventum alicujus excommunicati, exnunc per quempiam nullatenus teneri debet, nec observari, ne pluralitas plebis devotae, propter crimen unius obstinati, salutaribus officijs Divinis, et sua devotione orbetur.

De excommunicato in parochia.

Item etiam volumus quod propter excommunicatum unum qui venerit ad locum quemcunque, parochiani non debeant carere Divinis: Papali duntaxat excommunicationis sententia, et interdicti obstante.

De salario tabellionum.

Statuimus, et praesentibus statuendo ordinamus, ne quis Notarius publicus, aut privatus, Curiae nostrae Episcopalis, aut Dioecesis Cra-

BONIFACIUS PAPA**CONFIRMAT CAROLINAM CONSTITUTIONEM PRO ECCLESIASTICA LIBERTATE.**

CONFIRMATIO FRIDERICI ET CAROLINAE CONSTITUTIONIS IN FAVOREM ECCLESIASTICAE LIBERTATIS, PER BONIFACIUM PAPAM FACTA.

Bonifacius Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filijs, Beatae Mariae Erfordensi, et Sancti Martini Hingelstadensi, Maguntinensis Dioec: ac Beatae Mariae ad gradus Maguntinensis, Ecclesiarum Decanis, salutem, etc. Justis et honestis supplicum votis libenter annuimus, illaque prosequimur favoribus opportunis. Dudum siquidem felicis recordationis Honorius Papa Tertius, praedecessor noster attente considerans, quod clarae memoriae Fridericus Imperator Romanorum semper augustus, ad laudem Romanae ecclesiae, et Sacri decus Imperij, cupiens, ut ex purgatis quorundam erroribus, iniquis statutis penitus destitutis, de caetero ecclesia et ecclesiasticae personae plena vigerent quiete, et securae libertate gauderent. Ac pie, et juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo abundaret, ut non dubitarent, contra ecclesiasticam disciplinam, et Sacros Canones statuta sua confingere adversus ecclesiasticas personas, et ecclesiasticam libertatem edita, tali lege hujusmodi statuta iniqua irritaverat, et praeeperat irrita nunciari, ut omnia statuta et consuetudines, quae civitates et loca, potestates vel Consules, aut quaecunque aliae personae, contra libertatem ecclesiae vel personas ecclesiasticas hujusmodi edere, aut observare tentarent, contra canonicas, vel imperiales sanctiones de ipsorum capitularibus, intra duos menses post ipsius legis publicationem penitus aboleri facerent, et si de caetero talia attentarent, illa ipso jure decrevit esse nulla, et eos sua jurisdictione privatos. Necnon locum, ubi talia deinceps praesumpta fuissent, banno mille marcarum auri fisco imperiali praeeperat subjacere. Potestates vero, Consules statutarij et scriptores statutorum praedictorum, necnon Consiliarij eorum ipsorum, qui secundum statuta et consuetudines memoratas judicarent, extunc essent ipso jure infames, quorum sententias et actus legitimos statuerint aliquid non tenere. Quodque si per annum praefatarum constitutionum inventi forent contemptores, bona eorum per totum suum imperium mandavit impune ab omnibus occupari, salvo nihilominus alijs poenis, contra tales, in eisdem Generalibus Concilijs promulgatis. Et insuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla communitas, vel persona publica, seu privata collectas, seu exactiones, angarias, vel perangarias, ecclesijs, vel alijs pijs locis, aut ecclesiasticis personis hujusmodi imponere, seu invadere ecclesiastica bona praesument. Quod si secus faceret, et requisita ab ecclesia, vel Imperio hujusmodi emendare contemneret, triplum refunderet; et nihilominus banno Imperiali subjaceret, quod sine satisfactione debita, nullatenus remitteretur. Statuerat insuper, quod quaecunque communitas, vel persona, per annum in excommunicatione propter libertatem ecclesiae violatam persisteret, ipso jure, similiter dicto banno Imperiali subjaceret, a quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione,

coviensis praedictae, pro libertate super quacunque re conficienda, seu privilegio super ea conscribenda, ultra sex grossos Pragenses exigendo recipiat ab indigente, quocunque colore quaesito, pro quibuscunque quietationibus vero, unum grossum Pragen: item pro sententia contumaciae, duos grossos, et pro aggravaminibus subsequendis nullatenus ultra sex grossos, dictos Pragen: ab indigentibus, et predicta petentibus exigantur, sub poena excommunicationis cui ipsos qui presenti statuto et ordinationibus praemissis contrarium fecerint, subiaccere volumus ipso facto. Ut autem praedicta nostra constitutio, ordinatio seu decretum temporibus perpetuis inviolabiliter perseveret, ipsam conscribi jussimus, nostrique ac capituli supradicti, ecclesiae nostrae Cracoviensis sigillorum appensione muniri. Actum et datum Cracoviae die decima quarta mensis Junij, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, praesentibus et ordinatibus: Venerabili in Christo Patre et Domino, Domino Iaroslao S. Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopo, et honorabilibus viris Dominis Othone Praeposito Gnesnensi, Joanne Decano Floriano Praeposito, Nicolao Custode Cracoviensi, Gweslao Vislicensi, et Nicolao Scarbimiriensis Praepositis Canonicis Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis praedictae, necnon Wilkone Sandomiriensi, Joann Voynicensi, Zawisza Sandecensi, Castellanis, Andrea Sucasmerario, et Petro Tribuno Cracoviensi, et alijs fide dignis.

Finit statuta sua Bodzanta.

105

STATUTUM *)**LUTHKONIS EPISCOPI CRACOVIENSIS**

AD TEMPORA ANNI GRATIAE 1466.

Statutum Domini Joannis Luthkonis Episcopi Cracoviensis, est, quod quilibet Praelatus, Canonicus, Altarista, Plebanus, Vicarius, et ex quocunque titulo beneficiatus, curatus, et non curatus, in universa Dioec: Cracoviensi si moritur, in tribus primis mensibus anni incipientis a Circumcisione Domini, habet quartam partem omnium introituum juxta verum valorem suorum beneficiorum, sed successori frumenta aestivalia relinquat ad seminandum praedium, si in tribus secundis mensibus, habet medietatem, si in tertijs tribus mensibus, habet tertiam partem de frumentis hyemalibus, ad quantitatem praedij non seminati successoris relictis, sed in residuis mensibus habet totum.

*) De tribus sequentibus capitibus, in indice rerum hoc volumine contentarum dictum est: „hoc loco Bullas „Bonifacij IX et Joannis XXIII diversis annis editas, „item Luthkonis Episcopi Cracoviensis decretum editum „circa annum 1466, ob similitudinem materiae ponimus „juxta Statutum Laski.“ Propterea visum est nobis haec acta, ad regnum Vladislai Jagellonis non pertinentia minoribus typis imprimere. (Anot. editoris.)

106

107 vel civili, ad iudicium saeculare trahere praesumat, contra easdem canonicas sanctiones, et constitutiones Imperiales, quod si secus faceret, actor a suo jure caderet, et iudicatum non teneret, et Iudex foret extunc iudicandi auctoritate privatus. Quodque Iudices temporales, qui clericis et personis ecclesiasticis iustitiam denegare praesumerent, tertio requisiti suam jurisdictionem amitterent, prout in dicta Imperiali constitutione plenius continetur. Dicitur inquam praedecessor constitutionem ipsam etiam de consilio fratrum suorum, Sanctae Romanae ecclesiae Cardinalium, qui tunc erant, auctoritate Apostolica approbans et confirmans, ipsam mandavit inviolabiliter observari, necnon statutarios et scriptores, ac violatores praedictos excommunicatos, eadem auctoritate nunciari. Et deinde ad audientiam divinae memoriae Caroli Quarti etiam Romani Imperatoris semper augusti, deducto, quod nonnullae saeculares personae, in potestatibus et officijs publicis constitutae, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones et alij Domini temporales, necnon Consules civitatum, villarum et oppidorum, et locorum Rectores, in diversis provincijs eiusdem Imperij constituti, Dei timore postposito, statuta singularia et iniquas ordinationes, motu proprio et defacto, contra ipsas personas ecclesiasticas, et ecclesiarum libertates, ac eorum privilegia condiderant, illisque defacto, et publice utebantur, contra canonicas et legitimas sanctiones. Utpote, quod nulla bona temporalia, in potestatem ecclesiarum transferrentur. Et ne clerici in Sacris Ordinibus constituti, ad agendum et testificandum in civilibus, et maxime in pijs causis aliquatenus admitterentur. Quodque excommunicati laici, et publice denunciati in civili foro, minime repellerentur. Et insuper praedicti Domini temporales, Consules et Rectores per saecularem potestatem, res et bona clericorum occuparent, arrestarent, et oblationes Christi fidelium minuerent, atque restringerent. Exactiones et talias indebitas de bonis, redditibus ecclesiarum exigent et extorquerent, possessiones ecclesiarum et personarum earundem devastarent incendijs et rapinis. Contractus inter clericos et laicos factos legitime ad libros civitatum, villarum, et locorum praedictorum inscribere, et sigillare recusarent. Donataque et legata ad fabricas et ecclesiarum structuras, contra Praelatorum voluntatem et aliorum quorum intererat, contra iustitiam tenere et usurpare praesumerent, in fraudem et odium clericorum. De bonis etiam et rebus eorundem clericorum, quae non causa negotiationum, sed proprijs eorundem usibus, per eorum terras ducebant, seu duci faciebant teloneum exigere et recipere non verebantur. Et confugientes ad ecclesias, et earum cemeteria inde extrahere, contra canonicas et Imperiales sanctiones huiusmodi praesumpserant, et praesumebant, idem Carolus tanquam Imperator Christianissimusque Princeps, volens in praemissis providere remedio salutari etiam de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fidelium aliorum Sacri Imperij consilio et auctoritate Imperiali, quaecumque statuta et consuetudines praedictas tanquam per canonicas et civiles sanctiones expresse reprobata cassavit, irritavit, et annullavit, ac cassa et irrita nulliusque esse roboris penitus voluit vel momenti. Praeci- piens sub indignatione Imperialis banni, universis et singulis Principibus ac Dominis temporalibus, Consulibus, potestatibus, et alijs in officijs publicis constitutis

quatenus extunc ipsorum statuta et ordinationes quae in praedictum ecclesiasticae libertatis edita fuerant omnino revocarent, et de luce tollerent, quodque secundum ea non iudicarent amplius, nec sententias dictarent, aut eisdem in iudicio vel extra iudicium quomodolibet pro se et contra ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronunciavit insuper et eadem Imperiali decrevit auctoritate quod quicumque laicus, cujuscunque status, vel conditionis existeret, ausu sacrilego, et propriae temeritatis audacia, sacerdotem vel clericum saecularem, vel religiosum diffidaret, proscriberet, captivaret, spoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, ac huiusmodi maleficia perpetrantes scienter acceptaret, vel favorem illis praestaret praeter poenas a Sacris canonibus et legalibus sanctionibus eis inflictas, eo ipso redderetur infamis, ac omni honore privatus, nec ad placita vel consilia nobilium admitteretur quovis modo. Hortans insuper et requirens in Domino Praelatos, in illis partibus constitutos ut legem Imperialem huiusmodi, per eorum ecclesias et Sinodos publicarent, ne transgressores huiusmodi per simulatam ignorantiam suas valerent malitias excusare, prout in edita tali lege praedicta plenius continetur. Cum autem sunt exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Praepositi, Decani et Capituli, ac clericorum perpetuorum beneficiorum in ecclesia S. Petri Figliarum: Maguntinensis Dioecesis, et Praelatorum tam saecularium quam regularium, ac cleri, consistentium infra limites praepositurae ejusdem ecclesiae, petitio continebat, adeo quorundam laicorum et Dominorum temporalium in oppido Figliarum: dictae Dioecesis infra eosdem limites, ac etiam Figliarum: locis circumvicinis malitia inoleverit, quod huiusmodi Imperiales sanctiones transgredi non verentur, et ecclesiasticas libertates violare praesumunt, pro parte Praepositi, Decani, Capituli, Praelatorum et Cleri praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis providere super praemissis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur vestigijs praefati Praedecessoris nostri inhaerentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos duo, aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios constitutiones praedictas in dicto oppido, et in alijs locis circumvicinis auctoritate nostra faciatis inviolabiliter observari, transgressores vero ac violatores et contemptores, ac sacrilegos praedictos, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si fuerit opus auxilio brachij saecularis, non obstante si aliquibus communiter vel divisim, a Sede Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non faciendo plenam et expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datum etc.

Finit Bonifacius Carolinam et suam Bullas.

CONFIRMATIO CAROLINÆ

PER JOANNEM PAPAM.

109 Joannes Episcopus Servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Olomucensi et Luthomliensi, ac Misenen: Episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Justis et honestis supplicum votis libenter annuimus,

110 illaque favoribus prosequimur opportunis. Dudum siquidem Honorius Papa Tertius praedecessor noster attente considerans, quod clarae memoriae Fridericus Secundus Romanorum Imperator semper augustus, ad laudem Romanae ecclesiae, et Sacri decus Imperij, cupiens ut expurgatis quorundam erroribus et iniquis statutis penitus destitutis, de caetero ecel: et ecclesiasticae personae, plena quiete vigerent, et secura libertate gauderent, ac pie et juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitates adeo abundaverant, ut non dubitarent contra ecclesiasticam disciplinam, et Sacros Canones, statuta confingere, adversus ecclesiasticas personas et ecclesiasticam libertatem edita, tali lege huiusmodi statuta iniqua irritaverat, et praeeperat irrita nuntiari, ac omnia statuta et consuetudines, quae civitates et loca, potestates vel Consules, aut quaecumque aliae personae, contra libertatem ecclesiae, vel personae ecclesiasticas edere vel servare tentarent, contra canonicas vel Imperiales sanctiones de ipsorum capitularibus intra duos menses, post ipsius legis publicationem, penitus aboleri facerent. Et si de caetero similia attentarent, ipso jure decreverat esse nulla. Et eos sua jurisdictione privandos, necnon locum, ubi deinceps talia praesumpta fuissent, banno mille marcarum auri praeeperat subjacere. Potestates vero, Consules, statutarios et scriptores statutorum praedictorum, necnon Consiliarios locorum ipsorum, et qui secundum statuta, et consuetudines memorata iudicarent; extunc essent ipso jure infames quorum sententias, et actus legitimos statuerat aliquatenus non teneri. Quodque si per annum praefatae constitutionis inveniunt contemptores, bona eorum, per totum suum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari, salvo nihilominus, alijs poenis contra tales, in Concilio Generali promulgatis. Et insuper voluerat idem Imperator, quod nulla communitas, vel persona publica seu privata, collectas, sive exactiones, angarias, vel perangarias ecclesijs, vel alijs pijs locis, aut ecclesiasticis personis imponeret, aut invadere ecclesiastica bona praesumerent. Quod si secus facerent, triplum refoederent. Et nihilominus banno Imperiali subjacerent, quod absque satisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuerat insuper, quod quaecumque communitas, vel persona, per annum in excommunicatione propter libertatem ecclesiae violatam persisteret; ipso jure Imperiali banno subjaceret, a quo nullatenus extraheretur nisi prius ab ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinaverat: quod nullus ecclesiasticam personam, in criminali quaestione, vel civili, trahere ad iudicium saeculare praesumeret, contra canonicas sanctiones et constitutiones Imperiales. Quod si secus faceret, actor a jure suo caderet, iudicatum non teneret, et Iudex foret extunc iudicandi auctoritate privatus. Quodque Iudices temporales, qui clericis vel ecclesiasticis personis, iustitiam denegare praesumerent, tertio requisiti, suam jurisdictionem amitterent, prout in dicta Imperiali constitutione plenius continetur. Dicitur inquam praedecessor, constitutionem ipsam de consilio etiam fratrum suorum Sanctae Romanae ecclesiae Cardinalium, Apostolica auctoritate approbans et confirmans, ipsam mandavit inviolabiliter observari. Necnon statutarios scriptores et violatores praedictos, excommunicatos, auctoritate Apostolica praedicta publice nunciari. Et deinde ad audientiam divinae memoriae Caroli IV etiam Romani

Imperatoris semper augusti deducto quod nonnulli saeculares in potestatibus, et officijs publicis constituti, videlicet Duces, Comites, Barones et alij Domini temporales, necnon Consules civitatum, oppidorum, villarum et locorum Rectores, in nonnullis provincijs constituti, Dei timore postposito, statuta singularia, et iniquas ordinationes, motu proprio, de facto, contra personas ecclesiasticas, ecclesiarum libertates et earum privilegia condiderant, eisque de facto, publice insistere praesumpserant, contra canonicas et legitimas sanctiones. Utpote quod nulla bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferrentur. Neve clerici in sacris constituti ad agendum et testificandum in civilibus, et maxime in pijs causis, aliquatenus admitterentur; quodque excommunicati laici et publice denunciati in civili foro minime expellerentur. Et insuper cum praedicti Domini temporales, Consules et Rectores per saecularem potestatem res et bona clericorum occuparent et arrestarent, ac oblationes Christi fidelium diminuerent et restringerent, exactiones et talias indebitas de bonis et redditibus ecclesiarum exigent et extorquerent, possessiones ecclesiarum et personarum earundem devastarent incendijs et rapinis, contractus inter clericos et laicos factos legitime ad libros civitatum, villarum et locorum praedictorum inscribere et sigillare recusarent, donata et legata ad fabricas et ecclesiarum structuras contra Praelatorum voluntatem et aliorum quorumcumque intererat contra iustitiam usurpare praesumerent, et in fraudem et odium clericorum, de bonis etiam et rebus clericorum, quae non causa negotiationis, sed pro eorum usibus proprijs per eorum terras ducebant, seu duci faciebant, teloneum exigere, et recipere non verebantur, et confugientes ad ecclesias et eorum cemeteria inde extrahere contra sanctiones Imperiales praesumebant. Idem Carolus Imperator, tanquam Christianissimus Princeps, volens in praemissis providere remedio salutari, etiam de Principum, Ducum, Comitum, et Baronum, fideliumque aliorum, Sacri Imperij consilio, et auctoritate Imperiali, quaecumque statuta, et consuetudines praedictas tanquam per canonicas et civiles sanctiones expresse reprobata, cassavit, irritavit et annullavit, ac cassa, et irrita, nulliusque esse roboris penitus voluit, vel momenti, praeci- piens sub indignatione Imperialis banni, universis et singulis Principibus, et temporalibus Dominis, Consulibus, potestatibus, et alijs in officijs publicis constitutis, quatenus extunc ipsorum statuta, et ordinationes quae sunt in praedictum ecclesiae libertatis, editae, omnino revocarent, et de luce tollerent, quodque secundum ea non iudicarent amplius, nec sententias dictarent, aut eisdem in iudicio, vel extra iudicium quomodolibet pro se et contra ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronunciavit insuper et eadem Imperiali decrevit auctoritate, quod quicumque laicus cujuscunque status vel conditionis existat, ausu sacrilego et propriae temeritatis audacia sacerdotem vel clericum saecularem, vel religiosum diffidaret, proscriberet, diffamaret, captivaret, spoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, ac huiusmodi maleficia perpetrantes scienter acceptaret, vel favorem eis praestaret, praeter poenas a Sacris canonibus et legalibus sanctionibus eis inflictas, eo ipso redderetur infamis, et omni honore privatus, nec ad placita vel ad consilia nobilium admitteretur quovis modo, hortans iusuper et in Domino requirens Praelatos in illis parti-

bus constitutos, ut legem Imperialem hujusmodi per ipsorum ecclesias, et Synodos publicarent, ne transgressores hujusmodi per simulatam ignorantiam, suas valeant malitias excusare, prout in edita tali lege praedicta, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris nostri Episcopi Vratislaviensis: et dilectorum filiorum Cleri civitatis, et Dioecesis Vratislaviensis petitio continebat, adeo perversorum quorundam laicorum in civitate et Dioec: Vratisl: et alijs locis circumvicinis habitantium malitia inleverit, quod hujusmodi Imperiales constitutiones transgredi non verentur, et ecclesiasticas libertates violare praesumunt, pro parte eorundem Episcopi et Cleri nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super praemissis opportuno remedio dignaremur. Nos igitur vestigijs dicti Praedecessoris nostri inhacrentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae, per Apostolica scripta, mandamus, quatenus vos duo, aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, constitutiones praedictas, in praefatis Civitate et Dioecesi Vratislaviensi, et alijs locis circumvicinis, auctoritate nostra faciatis inviolabiliter observari: necnon statutarios, scriptores, et violatores praedictos excommunicatos publice nunciari, et ab omnibus alijs arctius vitari, Apostolica, auctoritate faciatis; transgressores ac violatores, et contemptores, ac sacrilegos praedictos, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non faciendo plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum XIII Calendas Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

VLADISLAUS JAGELLO

REX POLONIAE CONFIRMAT STATUTUM CASIMIRI MAGNI,

ET POENAM DECERNIT CONTRA EOS, QUI AD BELLUM EUNDO, DAMNA INFERUNT IN BONIS SPIRITUALIUM, ET MONASTERIORUM ET SAECULARIUM.

Quantum felicitis recordationis Casimirus Rex Poloniae, Praedecessor noster, cum nonnullis Principibus Terrarum, Regno et Majestati suae contrariantibus, per multa tempora, bella et expeditiones habuerit, fecerit, tenuerit, et exercuerit, nunquam tamen tempore felicitis sui regiminis Regni, per bellatores tot et gravia damna, pericula, sacrilegia, effractiones ecclesiarum, et devastationes bonorum ecclesiae, et monasteriorum, ac aliorum bonorum fuerunt, nec sunt tot et tam gravia uti felici tempore nostri regiminis Regni (quod condolentes referimus) perpetrata ac commissa. § Statuerat enim et ordinaverat laudabiliter praefatus Praedecessor noster cum Praelatis, et Dominis Regni sui; quod omnes, et singuli regnicolae ad expeditionem euntes, quocumque nomine censerentur, nunquam in

civitatibus, oppidis, villis, allodiis et alijs bonis tam ecclesiarum, et monasteriorum, et saecularium qui aedificia habent, sed in campis, vel rubetis stationem facere, nullasque rapinas, bonorum quorumcumque et violentias cuiquam inferre debuissent. § Item statuerat cum Praelatis et Dominis praedictis, leviori comparatione expensarum ad expeditionem transeuntium et utilitate Regni pensatis, quod euntes ad expeditionem, pro expensis suis comparandis bovem pro media marca, vaccam pro octo scottis, pro fertone porcum, mutonem pro duobus grossis, duas aucas pro grosso uno, sex pullos pro grosso, capetam tritici pro duobus grossis, capetam siliginis pro grosso, et capetam avenae pro grosso similiter emere debuissent, quod statutum per longam consuetudinem terrigenarum nostrorum fuit et est tentum et laudabiliter observatum; sed tempore felicitis nostri regiminis Regni, quorundam incolarum Regni nostri detestanda perversitas nesciens abstinere a vetitis, nec debito modo gaudere concessis, tam laudabile statutum in abusum damnabilem deducens, non tantum praemissa, sed multo plura et majora mala, quae Divinae Majestatis offensam Regnique nostri desolationem inducere videntur, ferociter perpetrando commisit; prout ex subditorum nostrorum querelis et querulosis clamoribus percepimus; et Nos ipsi certa experientia probavimus, ex quibus in Regno nostro multa scandala, magna pericula et gravia incommoda, necnon destructiones ecclesiarum, et monasteriorum sunt secuta, et ampliora sequi (nisi celeri remedio succurratur) verisimile est in futurum. § Igitur praemissis, et alijs malis occurrere, et indemnitatibus Regni nostri et ecclesiarum monasteriorumque provida circumspectione providere cupientes, tam laudabile statutum praedicti Praedecessoris de consilijs pariter et assensu Praelatorum et Dominorum Regni nostri approbantes illud auctoritate nostra confirmamus, nostris vobis dantes in mandatis, quatenus tam laudabile statutum in civitatibus, et oppidis nostri Regni, ac ipsius confirmationem, et approbationem publicare, et proclamare faciatis; illudque ab omnibus regnicolis nostris, sub obtentu gratiae nostrae observari praecipiat; transgressores vero ipsius, Nobis et illis quibus damna intulerint poenam *siedmna-dziesta* alias xiiij marcas vel majorem poenam illius Terrae, per cujus terrigenas praedicto statuto contraventum fuerit, una cum illatis damnis et injurijs solvere tenebuntur. § Quae damna et injuriae per illius solius juramentum, cui illata sunt, quicumque ille sit coram Nobis probari debent, exceptis Pontificibus, qui cum saepius ex diversis et remotis partibus causas agere habent per Procuratores ipsorum discretos et idoneos, spirituales vel nobiles saeculares, Nobis istud praestent. § Vobis nihilominus hujusmodi transgressores statuti praesentis, nostra approbatione et confirmatione, judicandi, condemnandi, ad satisfactionem compellendi, et puniendi omnibus dilationibus remotis, omnimodam

113

114

damus et committimus facultatem. § Mandantes vobis, omninoque habere volentes, quod praesentes nostras approbationis, et confirmationis hujusmodi literas in libro Terrestri, de verbo ad verbum, ad perpetuam memoriam scribi et inseri faciatis. Nos igitur Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae etc. hoc laudabile statutum superius notatum Serenissimi Principis et Domini Casimiri Dei gratia Regis olim Poloniae, praedecessoris nostri, renovamus, confirmamus et ad librum juris Terrestris scribi et notari

jussimus, prout antea in statutis ejusdem Domini Regis Casimiri continentur ac in omnibus prius enarratis observari et teneri fecimus, de consilio Praelatorum, ac Dominorum nostrorum.

Erectionem Inclitae Academiae Cracoviensis fundatae a Vladislao Jagellone vide ad finem anni Domini 1633. quo anno Respubl. privilegia Almae hujus Academiae Volumini Legum inseri jubet.

Finit Vladislaus Jagello.

VLADISLAUS III.

VLADISLAUS

POLONIAE ET HUNGARIAE REX SANCIT PACEM CUM ORDINE CRUCIFERORUM IN BRZEŚCIE.

ANNO D. 1436.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam Rei memoriam. Convenit actus hominum qui vetustate cadunt, et successu temporis in oblivionem vertuntur, solidis scripturarum et testium fundamentis commendare, in quorum custodia nullis marcescunt temporibus, sed semper jugis perennatione memoriae incommutabiles servantur, proinde Nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Lithuaniae Princeps Supremus, Pomeraniae, Russiae, etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis praesentibus et futuris notitiam praesentium habituris, quando cum Divini dispensatione consilij hujus Regni recepimus gubernacula, ad hoc quoque tamen in terris obtinuimus principatum, ut propensiori cura et vigilantia, nostra semper studia extendamus, per quae pacis desideranda tranquillitas inter Christi fideles, ex quorum discordia non solum terrarum et urbium sed provinciarum atque Regnorum resultant excidia, prout in plerisque lugenda atque calamitosa exempla mortalibus exhibent argumenta, procurari queat, et procurata ab Auctore pacis de trono suae ineffabilis Majestatis atque potentiae concludi, et medijs salutaribus stabiliri ac extolli felicibus incrementis. § Et attendendo, quod non nisi in pace pacis opifex Deus perfecte coli valeat, et ea nihil in mundo exoptari possit pretiosius, aut desiderabilius concupisci, hinc est, quod Nos non absque interna compassione, et gravi cordis amaritudine recensentes, quot et quanta mala ex

115

gverris et dissensionibus procedant, quodque ex contentionibus et bellis, si ea mortales agant, odia hominum, non sine etiam animarum et aeternae salutis dispendiis ac excidiis civitatum provinciarumque et terrarum ac in illis degentium interitus subsequatur, Divinus deperit cultus, et sanguinis effusio oritur, cumque tales discordiae atque bella non solum se suosque, sed etiam alios plurimos tractura sunt verisimiliter in praecipitum et ruinam; § Propterea Supremis affectibus exoptantes, ut non crescant jurgia, sed juxta magistram bonorum omnium charitatem, quae nihil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, imo propria virtute nutrit concordiam, dissociatos jungit, pacem et unitatem consolidat: ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, et Beatae Mariae Virginis gloriosae, totiusque Hierarchiae coelestis, propagationem fidei, cultum justitiae, et religionis christianae salutiferum incrementum, gverras defendas, excidia, displicentias, odia, rancores, et offensas, inter Nos Vladislaum Regem Poloniae etc. Sigismundum Magnum Ducem Lithuaniae etc. praedictos, et inclitum Casimirum Germanum nostrum, Semovitum, Casimirum, Vladislaum, Boleslaum, Masoviae, ac Boguslaum Stolpen. et Pomeraniae Duces, Regnum Poloniae Terrasque nostras Magni Ducatus Lithuaniae, Russiae, Masoviae, Stolp. et Palatinum Moldaviae, et alia Dominia Nobis subjecta ex una, et Magnificum et Religiosum Dominum Paulum de Rusdorff Ordinis Beatae Mariae Theutonicorum Jerosolimitani, et Ordinem suum, ac Terras ejusdem Ordinis Prussiae, Alemanniae, Livoniae, et alias omnes eis subjectas parte ex altera, novissime gravi offensione et jactura exortas, per nostrae mentis propositum retrahere decrevimus, et ea quae durantibus hujusmodi controversiarum et gverrarum turbinibus circa bonum Reipublicae sunt diruta et destructa per

pacis integritatem ad statum cupientes reducere quietum et tranquillum, cum eisdem Magistro Fratribus, et Ordine ipsius, Terris Prussiae, Alemanniae et Livoniae, subditis, et sequacibus eorundem, perpetuae pacis, et inviolabilis foederis unionem elegimus, assumpsimus, suscepimus, et inivimus, eligimusque, suscipimus assumimus, inimus tenore praesentium mediante, omni tempore perpetuo duraturam, quam sub fide et honore ac juramentis corporaliter praestitis, sine dolo et fraude promittimus vigore praesentium observare, et ut ipsa unio cum tanta deliberatione et maturitate concepta, ad firmum et constantem ordinem jugiter observandum reducatur, ipsam per articulos infrascriptos omnino duximus regulandam. Imprimis quod inter Nos Regem, Magnum Ducem, et Duces praedictos, Regnum Poloniae, Magnum Ducatum, et Terras Lithvaniae, Samogitiae, Russiae, Masoviae Stolpen: et Palatinum Moldaviae, et aliorum Dominiorum et subditorum nostrorum ab una, et praedictum Magistrum Generalem, et Ordinem, Terras et subditos ipsius tam in Prussia, Alemannia, quam Livonia et nova Marchia parte ex altera, omnes dissensiones, controversiae, et damna inter partes hinc inde facta, dimissa, et totaliter sopita debent esse, nec illorum de caetero aliqua mentio aut memoria, et signanter in querelis, aut in detractionem partium coram quibuscunque personis habeatur aut fiat; sed nec una partium ad infamiam alterius partis suggeret, consentiet, auxilium dabit et favorem, publice vel occulte, et quantum in ea parte fuerit, dilaciones et detractiones hujusmodi fieri non admittet, sed potius prohibebit. § Item quod omnia bona ecclesiarum Gnesnensis, Vladislaviensis, Plocensis, et Posnaniensis, Praelatorum, Abbatum, monasteriorum, conventuum, et aliorum quarumcunque personarum saecularium et religiosorum, quae sunt in Terris Ordinis praedicti situata, debent circa jura omnia, tam ecclesiastica quam saecularia, et omnes antiquas consuetudines, questus, decimas, castra, villas, praedia, curias, et alias utilitates, emolumenta, et proventus, quibuscunque nominibus nuncupentur conservari, nec aliquibus novis consuetudinibus, servitiis, et oneribus aggravari, quodque eadem bona non alienentur, nec pro eorum alienationem instetur per partes sine consensu Praelatorum spiritualium. Omnes autem census, decimas, proventus, et alias obventiones qualescunque in Terris Ordinis consistentes, quos et quas Magister et Ordo Reverendissimis in Christo Patribus Dominis Archiepiscopo Gnesnensi, Vladislaviensi, et Plocensi Episcopis, aliisque Praelatis saecularibus et regularibus Regni Poloniae per biennium sublevarunt, plene et integre restituant et restitui faciant, medietatem intra hinc et Festum Purificationis Mariae, reliquam autem ad Festum Paschae proximae affuturum, in civitate Thorunensi, quietationibus de solutione a praefatis Praelatis receptis, et quod bona et decimae Reveren-

dissimi Patris D. Vladislai Episcopi Vladislaviensis noviter et quorumlibet arestata relaxentur. § Item ut omnis suspicio et hostilis respectus hinc inde inter Nos et partem Magistri Generalis et Ordinis sui in toto evellantur volumus, quod ligae confederationes, et inscriptiones, quaecunque sunt vel fuerunt inter Magistrum Generalem, praeceptores per Alemanniam, et Livoniam, et Ordinem ipsorum, Praelatos, nobiles, cives, et subditos ipsorum, cum Duce Boleslao alias Swidrigal, Praelatis, Ducibus, Boiariis, et subditis Terrarum Lithvaniae, Samogitiae, et Russiae factae, debent esse casae, inanes, irritae et in nihilum redactae, ipsique Magister et Ordo, Praelati, Nobiles, Cives et subditi ipsorum, debent praefatum Ducem Swidrigal deserere et dimittere perpetuis temporibus: et nunquam eidem aut alteri cuiunque Magno Duci Lithvaniae et Russiae auxilia et consilia contra Nos et successores nostros, et Regnum nostrum, ac etiam praeclarum Principem Dominum Sigismundum Magnum Ducem Lithvaniae modernum, Magnumque Ducatum Lithvaniae praestabunt: nec aliquas ligas, suggestiones, et confederationes in damnum nostrum, aut Regni facient in perpetuum cum eisdem: imo nec aliquem alium tenere et reputare debent pro Magno Duce Lithvaniae et Russiae, nisi qui cum nostro consensu et Regio (quemadmodum praefatus Dux Magnus Sigismundus modernus est electus, juxta dispositionem dudum factam inter Regnum Poloniae, et Terras Lithvaniae) electus sit et positus in Ducatum: nec etiam permittent ipsum Swidrigal de Terris seu per Terras et Dominia Ordinis, ipsorum damna aut impedimenta Regno Coronae nostris, Ducatui Magno Lithvaniae et Ducatibus praedictis inferre, nec ipsum publice, vel occulte, per se vel submissas personas juvare aut sublevare quovismodo. § Item, ut hujusmodi pacem perpetuam et concordiam sub certiori attentionis firmitate et robore custodiamus et servemus, promittimus, sine dolo et fraude, sub fide et honore ac onere praestiti juramenti: quod ad nullius hominis viventis requisitionem, inductionem, suggestionem, persvasionem vel mandatum, etiam quacunque dignitate praefulgeat, Papali, Imperiali, vel Regali, aut cujuscunque congregationis legitima, personarum ecclesiasticarum vel saecularium, debemus vel poterimus contravenire ipsis in parte, vel in toto, expresse, manifeste, vel occulte, per se, vel alium seu alias quascunque personas submissas spirituales vel saeculares, neque eas taliter aut quocunque modo violare: etiamsi modernus Imperator, aut successores sui Imperatores personaliter cum exercitu contra Magistrum et Ordinem se moverent, non debemus ei nec successores nostri assistere ope, consilio, auxilio vel favore. § Item quod medius fluvius Drwańca, sit limes inter Regnum nostrum et Terras Ordinis, nec fiat in eodem fluvio aliquod molendinum in limitibus

et ripis communibus. § Et praecipue in loco Lubicz dicto, in quo alias factum fuerat: sic quod idem fluvius suum antiquum meatum habeat; quodque residuum aggeris una cum ponte manet sine omni clausura diurna et nocturna pro strata publica, nec novum ibidem molendinum deinceps erigatur, quo per descensum intrante flumen Vistulam, iterum descendendo per Vistulam inferius, ipse medius fluvius Vistula erit iterum limes inter Regnum Poloniae, et Terras Magistri et Ordinis Prussiae, cum omnibus suis insulis, piscaturis, juribus et obventionibus universis, nullis exclusis penitus et exceptis, usque quo ipsa medietas praedicti fluvij Wisła tanget locum limitum, quem quondam Serenissimus Princeps Dominus Casimirus Divae memoriae Rex Poloniae cum Magistro Prussiae dicto Guszmar, inter Terras Bydgosien: et Pomeraniae certis literis et signis notabilibus limitavit, descripsit et distinxit. Castro Jasieniec in Terris Ordinis remanente, ita tamen quod castrum Nieschowa cum territorio suo et villis Murzynowo, Orłowo, Nowawies et aliis villulis, molendinis et usibus ad dictum castrum et territorium cum omnibus castris, territorij ac villarum praedictarum borris, silvis et utilitatibus, aquis quoque et earum decursibus cum pleno et totali dominio, ac cum medietate navigij in flumine Wisła, et ejus proventibus ac in suis piscaturis, juribus, libertatibus omnibus et singulis ad ipsa spectantibus ab antiquo, nullo penitus alicui praeter Nos et coronam Regni Poloniae jure in eisdem castro et territorio, ac villis reservato, remaneat circa nos, et Coronam Regni Poloniae perpetuo et in aevum. Sic tamen quod nulli subditorum salvo censu debito, et solvi consveto per hanc cessionem in juribus ipsorum in insulis et molendinis praedictis generetur, et si Nos in juribus ipsorum ipsos tolerare noluerimus, extunc licitum sit Nobis juxta antiquam taxam, prout ab antiquo inter se vendere consveverunt, hujusmodi jura comparare et solvere, quemadmodum Serenissimus Princeps Divae memoriae Dominus Vladislaus Genitor noster carissimus et Corona Poloniae pacifice et quiete tenuit, a tempore concordiae circa locum Melno jacentem in Terris Ordinis, inter castra Radzin et Rogoźno circa flumen Ossa, die Sancti Stanislai Episcopi et Martyris de mense Septembri factae usque ad receptionem et occupationem eorundem, per Magistrum et Ordinem de anno Domini 1431 attentatam.

Specialiter addito et expresso, quod omnibus hominibus et mercatoribus cum quibuscunque rebus cujuscunque generis, pretij, vel valoris existant proficiscentibus, liberum sit vendere hujusmodi res seu merces absque impedimento et compulsa, et stare sive manere cum eis, aut eas in civitate Nieszowa locandas conservare, vel transire cum eis quo placebit, sive per terram, sive per fluvium Wisła infra, vel supra, vel in Thorun, aut alia loca in Terris Ordinis

constituta. Item incipiendo ab eo loco, in quo praedicti limites per Dominum Casimirum Regem Poloniae, et Magistrum Prussiae facti, et in eorundem literis expressi terminantur et desinunt, in procedendo ulterius usque ad introitum fluminis Nothesz sive Bierzwiennik observabimus istum modum et ordinem. Quodsi de praedictis limitibus poterint bonae fama tres homines pro parte nostra et Coronae, et tres pro parte Magistri et Ordinis electi, visis utriusque partis literis, juribus et possessionibus, et alijs legitimis documentis concordare, stabunt limites taliter concordati, ubi autem non possent electi illi homines boni concordare; extunc sortes ab utraque parte mittantur, quamcunque autem partem sors contigerit, sic emissa pars reliqua quam sors ipsa non tetigit, debet sex personas quas placebit de parte praedicta eligere, quae personae sic electae, postquam juramento corporali limites inter partes praedictas, sic de limitibus discrepantibus firmaverint, limites illi, sic juramento firmati, pro signis et limitibus inter Regnum Poloniae et novae Marchiae perpetuo remanebunt. Testes autem illius partis cui sortes advenerunt in processu limitum praedictorum, castra, civitates partium praedictarum ex hac sortium accessione non attingent nec movebunt, aut pro sua parte aliquo modo vendicabunt, sed partes superius expressae castra, civitates ab antiquo tentas, absque impedimento sortium obtinebunt. Ita tamen quod pons in fluvio Drawa circa Ochczeth cum libero transitu perpetuo manebit, hoc addito, quod si in partem Magistri seu Ordinis cesserit, et in ejus structura negligentia commissa fuerit, licitum sit Nobis, aut Capitaneis nostris hujusmodi pontem novum constituere, et antiquum reformare, quoties fuerit opportunum. Et ne in posterum de hujusmodi personis et testibus supra scriptis aliqua difficultas oriatur, nos Reverend: in Xsto Patrem Dominum Franciscum Episcopum Varmien: et honorabiles ac Religiosum Wolff de Sauszenn Commendatorem in Ostrorode, et strenuum Joannem de Saysen, pro hujusmodi compositoribus et honorabilem ac Religiosum Conradum de Erbinghawsen, Hermannum Reussop Thorunen: Henricum Forrothdannen: Proconsules, cum supra scriptis Episcopo Commendatore et Ioanne, pro testibus in casu quo sors Magistrum et Ordinem tetigerit duximus nominandos et eligendos, qui ad faciendum praemissa cum nostris per Magistrum et Ordinem nominatis et electis conveniant, nostri in Bydgosiam, ex parte Ordinis in Swece, in crastino Nativitatis Mariae proxime venturo, aliunde ad hujusmodi limites sic ut praemittitur distingvendos ulterius processuri. Postquam autem ventum fuerit per limites praedictos, sic ut praemittitur distinctos juramento, quando limes ille fluvium Nothesz et Bierzwennik insiliet, ipse fluvius Bierzwennik medius erit limes perpetuus inter Regnum Poloniae et Terras novae Marchiae et iterum ubi Bierzwennik cum Nothesz

confluit, medius fluvius Notesz erit limes, ita quod Ordo et subditi ejus ipsam flumen ascendendo dimidium miliare, et descendendo similiter medium miliare, ac versus Regnum dimidium miliare pro pascuis pecorum et pecudum quorumcunque ac pro receptione argillae calcis, lapidum, lignorum tam pro igne, quam pro aedificijs castri et oppidi liberum habeant usumfructum, et similiter homines et subditi Regni et Coronae, dominio et proprietate apud Regnum nostrum remanentibus. Teloneum autem aquaticum et terrestre cum ponte et ipsius structura secundum antiquam consuetudinem absque ampliori augmento praedicti telonei apud Ordinem remanebunt. Piscaturam etiam praefatus Ordo solus liberam in eodem flumine Birzwennik seu Notesz, ascendendo et descendendo ut praemititur per medium miliare a ponte qui ducit versus Poloniam obtinebit, eo salvo, quod villa Trzebieszow in suis limitibus piscandi liberam habeat facultatem. Hoc adjecto, quod in eodem dimidio miliari ascendendo et descendendo fluvium Bierzwennik, et etiam versus Regnum similiter per medium miliare aliquod fortalium non erigatur. Item postquam ventum fuerit ad limites per aquam ubi fluvius Bierzwennik, sive Notesz taliter procedendo inferius, ut supra dictum est, versus Lanczberg super differentia ibidem ex opposito praedicti oppidi consurgente, pars utraque videlicet Nos et Magister, ac Ordo elegimus nobis pro Judice Reverentibus in Xto Patrem Dominum Christophorum Episcopum Lubuzen: in quem partes ipsae de alto et basso compromittent, et ad festum Sanctissimae Trinitatis proximum, ibidem circa Lanczberg adducent, et productis coram eo juribus et probationibus legitimis in termino seu terminis competentibus ab utraque parte laudum et pronuntiationem quam usus consilio sapientum super omnibus differentiis inter Regnum et oppidum praedictum Lanczberg tulerit, ambae partes hujusmodi sententiam suscipere; laudare, promulgare et servare sub fidei puritate tenebuntur. Volumus etiam et decernimus per praesentes, quod teloneum et depositum vulgariter ablata Magister et Ordo restituere teneatur. Et si aliquis subditorum de terris aut dominijs nostris vellet ad terras Ordinis ratione incolatus se transferre licite poterit, et libere recedere, absque quovis impedimento aut arresto personae, et bona sua vendere, aut de eis disponere juxta beneplacitum liberae voluntatis, pari modo volumus de bonis in terris Magistri et Ordinis ablatis seu occupatis observari. Item omnes coadjutores et adhaerentes, qui in favorem nostri et Regni nostri Poloniae coadjutorum et subditorum nostrorum, Magistrum et Ordinem Prussiae diffidarunt, ab omni impetitione Magistri et Ordinis praedicti sint liberi et soluti. Item omnes apostatae Ordinis praedicti in Regno nostro, et Terris Lithvaniae, Samogitarum, Masoviae, et Stolpen: et alijs dominijs Regni nostri et Terrarum praedictarum commo-

rantes, ne diutius in suis peccatis tolerentur, de Regno nostro et dominijs nostris praedictis per Nos et officiales nostros exire compellantur, et deinceps hi et alii in eisdem nullatenus foveantur. Item quod nullus mercator, seu alius homo cujuscunque conditionis existat (aut bona ipsius) propter delictum seu debitum alterius arrestetur, molestetur, vel turbetur nec etiam captivetur. Item si vectores et aurigae bona seu merces mercatorum pro pretio ducentes telonea seu loca datiarum praeterierint, ipsi duntaxat in rebus et equis suis propriis puniantur, et quod propterea bona mercatorum non debent occupari nec detineri. Item sylvae Babsko circa Fredelanth in districtu Naklensi impignorata Ordini pro certa summa redimi poterit, per impignorantem vel per Regnum soluta summa Ordini, pro qua extat obligata et in literis de super confectis continetur. Item datio sive exactio dicta *funthomezol*, super qua priscis temporibus et hactenus controversia inter Magistrum et Ordinem, ac mercatores Terrarum Regni Poloniae, Magni D. Lith: et Ducatum praedictorum vertebatur, et pendebat ex certis causis indecisa, talem ponimus ordinem; quod mercatores Regni, Ducatus Magni, et Ducatum praedictorum, praeter alia quaecunque gravamina et solutiones imposterum imponendas, quibuscunque nominibus nuncupentur, respondeant Ordini de eadem, duntaxat si aliquando contigerit ipsos cum bonis suis in navibus propriis navigare ultra mare, ita tamen quod si civitates maritimae libertatae et absolutae via iuris fuerint ab eadem, quod cives, mercatores et indigenae Regni et Terrarum Poloniae, Lithvaniae, Mazoviae, Russiae, a solutione hujusmodi sint similiter liberi et excepti, et illa omnia quae ab eis a tempore, quo praesens pax perpetua est firmata, ratione hujusmodi exactionis sunt recepta, integraliter restituantur per Ordinem praedictum mercatoribus Regni, Ducatus Magni, et Ducatum praedictorum viceversa, absque recusatione et renitentia, qualicunque interruptione, consuetudine, praescriptione, et diuturnitate non obstantibus. Si vero per concordiam extincta fuerit, ad restitutionem receptorum minime teneantur. Aliae autem omnes et singulae exactiones, quibuscunque vocitentur nominibus, a mercatoribus Terrarum Regno Poloniae, Ducatui Magno Lithvaniae, et Ducatibus praedictis subjectarum ut praefertur indigenis, in Terris Magistro et Ordini subjectis, et specialiter exactio quaedam dicta *lobegal* et *fyrken* nullatenus de caetero exigatur. Nec Nos Rex, Dux Magnus Lithvaniae, Duces Masoviae, et Stolpen imponemus aliquod novum teloneum in gravamen et praejudicium duntaxat subditorum Ordinis praedicti, et si quod novum est impositum in terris nostris et Ducatibus praedictis a tempore concordiae circa locum Melno factae, omnino deponatur, teloneis et depositis antiquis semper salvis. Item cum medietas navigij circa Thorun supra dicti, cum medietate pe-

cuniarum de ipso provenientium Nobis vigore prius habitae et praesentis concordiae in perpetuum haeredibus et successoribus nostris debeat, de collectore pecuniarum ex ipso sic inter Nos existit conventum, ordinatum, et conclusum: quod is qui per Nos et successores nostros ad ea fuerit deputatus, conveniat cum Commendatore Thorunen: pro tempore existenti, uno anno in oppido Thorun: et alio in Nieschowa, et sic semper vicibus alternatis collectorem hujusmodi singulis annis simul constituant, qui sub praestito iuramento pecunias quas collegerit, diebus dominicis in manus utriusque praesentet aequali portione dividendas: solutis pretijs famulorum et reparatione navium de communi. Et si alteri parti ille collector pecuniarum non placuerit; anno elapso tam Capitaneus sive ad ea deputatus, quam Commendator convenientes ut supra, alium eligant quoties fuerit opportunum. Servitia vero per famulos navigij praedicti, quae *szarwek* appellantur, fieri consveta partibus praedictis similiter alternatis septimanis et paribus vicibus impendantur, et tunc pars quaelibet in sua septimana ipsis provideat de expensis: modo et forma sicut hactenus est eis provisum. Item si aliqui de Terris Regni nostri, Ducatus Magni, et Ducatum praedictorum, subditis Ordinis injuriam intulerit, et super eo Capitaneus vel alius officialis noster requisitus justitiam non fecerit; extunc pro negligentia hujusmodi ab officio est deponendus, nisi de innocentia sua juramento proprio et corporali se purgaverit. Similiter ex alia parte, si Commendator vel Officialis Ordinis praenominati, in reddenda justitia in praemissis negligens fuerit, pari modo destituatur, et nihilominus successor justitiam teneatur facere expeditam requirenti. Si vero is qui pro justitia ratione delicti, vel alias requirit simplex fuerit terrigena, et justitiam facere recusaret, aut negligeret, extunc damna justitiam requirenti per Capitaneum seu Commendatorem de bonis terrigenae praedicti compensentur et solvantur nisi simili se purgaverit juramento. Item si per aliquem subditum indigenam vel advenam alicujus nostrum, casu et eventu inscriptioni seu paci hujusmodi perpetuae fuerit in aliquo derogatum et contraventum, utpote rapinae, spolia, incendia, vastationes, praedae, vel homicidia, aut aliqua maleficiorum genera in dominijs et terris nostris alterutris patrata fuerint et commissa, propterea pax praedicta cassari, irritari non debet, sed in suo robore et firmitate permanebit, nec propter hoc pars, cujus subditus maleficium hujusmodi commiserit censebitur fore deierans seu perjurus. Praedicti autem delinquentes et malefactores pro ipsorum excessibus, per Capitaneos seu officiales utriusque nostrum judicialiter puniantur et ad satisfactionem plenam et debitam arcebuntur et compellentur. Item ut Capitanei, Palatini, Commendatores, Officiales, seu Judices partis utriusque ad administrationem justitiae fortius inducantur, et ne aliqua gravis

displicentia inter Nos, Regem, Ducem Magnum, et Duces praedictos ex una, Magistrum, Ordinem et Terras subjectas sibi praenominatas et subditos eorundem parte ex altera, in posterum valeant exoriri, singulis annis Nos Rex praefatus duos ex Commendatoribus viros boni testimonij et conscientiae in festo Pentecostes et similiter Magister et Ordo duos Palatinos, aut alios paris conditionis, in praefato festo de Terris nostris praedictis eligant, et sibi quantocius poterint hujusmodi electiones personarum scriptis insinuent. Qui in festo S. Michaelis convenientes uno anno in Nieschowa, alio in Thorun, et tactis Sacrosanctis Evangelijs, favore, timore, et odio exclusis, de justitia facienda punient Judices, ac Officiales in administratione justitiae remissos et negligentes, et jura municipalia loci delicti partibus laesis facient, nihilominus justitiam congruentem vel partes secundum aequitatem et bonam justitiam component, et omnia faciant quae pro conservatione hujusmodi juratae pacis perpetuae viderint expedire. Pari modo inter Samogitiam et Prussiam uno anno in Veluna, et alio in Regnith; inter Lithvaniam et Livoniam, uno anno in Huspole, et alio in Dymborg alias in Nowina; inter Novam Marchiam, et Majorem Poloniam, uno anno in Siracovo alias Czyrk, alio in Dreszno; inter Terram Dobrinen: et Prussiam, uno anno in Ripin, et alio in Brodnica; inter Terras Masoviae Ducis Vladislai et Prussiam, uno anno in Dzoldow et alio in Mlawa; inter Visznam et Prussiam, uno anno in Viszna, et alio Janusburg; inter Terras Ducis Bolconis et Prussiam, uno anno in Ciechanow et alio in Nidborg, per omnia volumus et decernimus observari; inter Ducatum Stolpen: et Prussiam, uno anno in Stolpen: et alio anno in Ritaw; inter Novam Marchiam et Terram Stolpen: uno anno in Reez, et alio in Sathin, nisi partes de alijs locis fuerint concordantes. Item ne circa limites displicentiae seu controversiae suscitari valeant; volumus limites de quiennio in quiennium ubi opus fuerit innovare. Item liber sit transitus et via omnibus mercatoribus, ac incolis Terrarum et dominiorum Ordinis cum suis mercantiis, frumentis cujuscunque grani et rebus quibuscunque et cujuscunque conditionis vel materiei existant, sine impedimento vel angaria, per terras et maria, aquas et flumina quocunque ascendendo in et ad Regnum Poloniae, Terras Lithv: Samogitarum, Masoviae, et Russiae: et descendendo per ipsum Regnum, atque Terras praedictas ac per ipsa flumina seu aquas usque ad maria, et trans mare in navibus parvis sive magnis vacuis, sive oneratis, in perpetuum quomodocunque et quotiescunque voluerint, absque aliquo aresto vel impedimento cujuscunque: et specialiter oppidanorum in Thorun, quas quidem merces, frumenta et res, ut praescriptum est, si praefati mercatores seu incolae Ordinis ducentes, vendere aut stare in aliquo locorum seu civitatum ad portum, sive ripam praedictam aqua-

rum, sive maris situatorum, seu situatarum voluerint, est et debet esse in ipsorum arbitrio et voluntate. Si vero vendere noluerint, possunt absque omni impedimento ire seu ascendere vel descendere quo eis placuerit cum rebus praedictis, ut superius est expressum, theloneis et antiquis depositis prout supra salvis. § Item omnia damna, injuriae, displicentiae, impensae, et expensae Praelatorum eorumque ecclesiis et Capitulis, ac Abbatibus, Prioribus, conventibus, monasteriis, personis ecclesiasticis, saecularibus, et aliis quibuscunque per Nos, subditos, coadjutores, et adhaerentes nostros, in Terris Prussiae et extra, illata quomodolibet et facta, in omnibus gverris praeteritis et e contra per saepe dictum Magistrum et Ordinem, ac exercitus ipsorum Praelatis in Dominis Regni nostri constitutis sint sopita, auctoritate praesentium penitus et extincta, ita quod praetextu eorumdem per Praelatos ipsos, aut eorum aliquem suis aut ecclesiarum, Capitulum, conventuum, sive monasteriorum suorum nominibus, Magistro et Ordinis praedicto, vel aliis supradictis, quaestio, causa, actio, vel impeditio de jure vel de facto, nullo unquam tempore moveatur. § Item Magister et Ordo praedicti, tenebuntur Nobis ratione concordiae praesentis dare et solvere novem millia florenorum cum quingentis Ungaricibus justis et boni ponderis, aut eorum valorem in moneta Pruthenicali bona nova: medietatem in Dominica Laetare, et aliam medietatem in festo S. Martini Episcopi in Thorun proxime affuturis; pro rata cujuslibet solutionis literas, quantitas tenebuntur assignare. § Item circa Judices, judicia, mercantias emendas vel vendendas, et circa victualia comparanda, et thelonea antiqua solvenda rationabilis consuetudo, tempore bonae memoriae Vitovdi Magni Ducis Lithvaniae tenta, in Lithvania, Samogitia, et Russia inconcussa servetur, et quantum fieri poterit, juxta ritum catholicorum in melius reformetur.

Item ne circa hanc concordiam perpetuam aliquid in posterum relinquatur, quod possit mentes et subditos partium praedictarum tam spirituales quam saeculares ad lites et odia quaecunque provocare in futurum causam ecclesiae Vladislaviensis, et ipsius Episcopi, super demolitione domus Episcopalis ante oppidum Gedanum, in praeteritis gverris per oppidanos Gedanen: attentata, quae in Curia Romana, et Constantiensi Basiliensi Conciliis, per annos plurimos pendebat indecisa, duximus de consensu partium, et Venerabilis Capituli Vladislaviensis, per medium concordiae sopendam. Ita videlicet, quod Magister et Ordo, pro oppidanis Gedanensibus, Reverendissimo in Christo Patri Domino Vladislao moderno ecclesiae Vladislaviensis Episcopo, mille ducentos florenos Hungaricales boni et justis ponderis, pro media parte hujusmodi summae in festo Carnisprivii, cum uno stamine Bruslien: boni operis in oppido Thorun, et pro alia media, in festo S. Michaelis ibidem proxi-

me affuturo, ratione demolitionis domus praedictae solvent, et expedient cum effectu: et absque excusatione aliquali. Dominus vero Episcopus praedictus et Capitulum ejus, eosdem oppidanos Gedanen: et Ordinem, ab impetitione sua debet dimittere absolutos, et causam hujusmodi extingvere: nunquam ipsis de caetero per se et successores suos intentandam, quam ordinationem praefati Dominus Episcopus et oppidani publice et solenniter evulgarunt. Solutione facta Dominus Episcopus praefatus cum Capitulo suo, super qualibet solutione quietabit sufficientibus literis Magistrum, Ordinem, et oppidanos ante dictos. Item Magister Generalis et Ordo, omnem exactam et extremam diligentiam faciet: quod Magister Alemanniae intra unum annum majus suum sigillum huic concordiae perpetuae appendet, quod si facere nollet, sed cum aliquo domino spirituali vel temporalis ratione bonorum ab eodem domino obtentorum, Regi, Regno Poloniae, et Ducatibus praemissis ac eorum subditis bella moveret, extunc Magister Generalis, et Magister seu Praeceptor Livoniae, et Fratres Ordinis per Prussiam et Livoniam, absque dolo et fraude sub fide et honore praestiti juramenti, eidem Magistro Almaniae, necnon illis dominis sub quibus consistunt, ac aliis quibuscunque hominibus per se vel alias, publice vel occulte, directe vel indirecte, cum gentibus armorum, pecuniis, armis, aut aliis auxiliis quibuscunque consilio vel favore, non debent neque possunt subvenire aliquo excogitato ingenio vel colore, quodsi contrarium fecerint, et id legitimis documentis probatum fuerit: quod tunc subditi eorum ab omnibus homagiis, juramentis, et subjectionibus liberi et soluti esse debent in hoc casu, donec ad observationem pacis perpetuae revertentur. § Item Nos Vladislaus Rex praedictus, oppidum Arnswald alias Chosczo, quod exercitus Patris nostri, bonae memoriae Domini Vladislai acquisivit, et cujus possessionem hucusque habuimus pacificam, Magistro et Ordini intra hinc et Dominicam Laetare proxime venturam, cum curiis, villis, et aliis omnibus cohaerentibus ad praedictum oppidum spectantibus restituere tenebimur et debemus. § Nobiles insuper de Novavedel et Felkemburg, cum oppidis, castris, et omnibus bonis suis in nova Marchia consistentibus, qui Patri nostro praedicto fidelitatem et homagium, exercitu nostro in nova Marchia existente praestiterant, ad Magistrum et Ordinem absoluti primo a nostris homagiis et juramentis, ratione bonorum praedictorum duntaxat Nobis factis, intra hinc et praedictum terminum Dominicae Laetare revertantur. Qualitercunque autem ipsi nobiles et oppidum Arnswald ad possessionem Magistri et Ordinis accesserit, sive de manibus nostris aut nostrorum, sive etiam aliis modis quibuscunque, quod per hoc huic articulo satisfacere censeamur, proviso tamen quod Magister et Ordo eosdem favorabiliter et benigne recipiant, et de vita ac bonis assecurant, quemadmodum de hujusmodi

assecuracione per Magistrum et Ordinem in festo Purificationis Mariae proximo, debet eisdem provideri, et in castro Raciąsz hujusmodi litera assecuracionis praesentari. § Item castrum Mieszchowa, cum districtu et medietate navigij, ut superius est expressum, Magister et Ordo intra hinc et Dominicam Laetare proximam, ad manus Reverendissimi in Christo Patris Domini Vladislai Episcopi Vladislaviensis nomine nostro debent tradere, restituere et assignare cum effectu. § Item ut haec concordia, cum tanta maturitate concepta abundantiori cautela valeat ab utraque parte fortius et attentius custodiri, promittimus bona fide, attente, et fideliter in verbo nostro Regio, absque dolo et fraude, corporali praestito juramento, hujusmodi concordiam in omnibus suis articulis, atque punctis observare. Et ut propensiori vigilantia ipsius Capitula attendantur, decernimus formam juramenti sub verbis et tenore intra scriptis. § Ego N. juro quod hanc concordiam observabo, nec contraveniam ei, facto, auxilio, consilio vel favore: sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Christi Crux. Et quod omnes Reges Successores nostri et haeredes, intra annum Coronationis suae, seu suscepti regiminis: similiter Magnus Dux Lithvaniae modernus, ad requisitionem alterius partis per Nuntios speciale mandatum habentes hujusmodi pacem perpetuam juramentis firmare et stabilire teneantur. Quodque de decennio in decennium per Praelatos, Duces, Palatinos Commendatores, terrigenas atque cives, tam nostrorum, quam Ordinis partium, et prius non juratos, debet novis juramentis solidari. § Item ut pars contra partem metu animadversionis praesentis, ad bella et proelia non consurgat, statuimus decernendo: quod nostri Praelati, Milites, Nobiles, Cives et tota communitas debeant, et teneantur Terrarum Magistri, et Ordinis Praelatis, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Civibus et toti communitati dare certas nostras literas, et pares sive reversales ab ipsis sub eadem forma recipere, quas tam Nos, quam praefatus Magister et Ordo utrisque subditis nostris dare promittimus et debemus, ipsique subditi nostri subditis Magistri et Ordinis, et e converso subditi Ordinis, subditis Regni nostri dare et praesentare tenebuntur in Dominica Laetare proxime ventura, sub his vel similibus verbis. Quodsi Nos vel Successores nostri, stante hujusmodi pace perpetua, Magistro et Terris Ordinis vellemus aut conaremur hujusmodi gverras aut bella movere, non debent Nobis subditi nostri consentire, nec in hoc obedire aut parere: quinimo erunt ab omnibus nostris homagiis, juramentis et subjectionibus liberi et soluti, donec in hoc casu Nos et Successores nostri, ad observantiam pacis perpetuae revertentur. § Item omnes violationes treugarum ac pacis foederum, stipulationum et contractuum, si quae inter partes praedictas in gverris praeteritis accidissent, vigore praesentis concordiae, annullamus et cassamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum, quo ad prae-

sens utimur, cum infra scriptorum illustrium ac praeclarorum Minorum, Fratrum nostrorum charissimorum, Magni Ducis Lithvaniae, Praelatorum, Ducum, Baronum, Militum, Procerum et Civitatum sigillis est appensum, videlicet Sigmundi Magni Ducis Lithvaniae praedicti Semoviti, Casimiri, Vladislai, Boleslai Masoviae, Boguslai, Stolpen. Michaelis praefati Domini Sigmundi Magni Ducis Lithvaniae nati, Ducum: necnon Reverendissimorum et Reverendorum in Christo Patrum, Minorum, Alberti S. Gnesnensis Ecclesiae Primatis, et Joannis Leopoliensis Archiepiscoporum, Sbignei Cracoviensis, Stanislai Posnaniensis, Vladislai Vladislaviensis, Stanislai Plocensis, Mathiae Vlnensis, Joannis Chelmenensis, Pauli Kamenece. et Andreae Vlodimirien. Episcoporum. Andreae Wladimirowicz, Chebdogoldowicz, Georgij Syemionowicz Russiae Ducum: et Magnificorum, Nicolai de Michalowa Cracovien. Castellani, Sandiwogij de Ostrorog Posnaniensis, Petri de Pieszkowaskała Cracoviensis, Joannis de Czyszow Sandomiriensis, Martini de Kalinowa Siradien. Joannis de Lichn Bresten. Iarandi de Brudzewo Junivladislav. Ostyk Castellani Vilnen. Dolgerth Vilnen. Lulusz Trocen. Joannis Manszyk de Dąbrowa Leopoliensis. Petri Odrowąż Podoliae, Stanislai Graff de Srzeńsko Plocen. Joannis Glowacz de Laużenica Czarnensis, Pauli de Radzimowo Belzensis, Palatinorum. Martini de Slawsko Posnaniensis. Dobeslai de Senno Sandomiriensis: Petri de Zyryki Calisien. Laurentij Zaremba Siradiensis, Petri de Bnin Gnesnen. Alberti Malski Lancien. Floriani de Korytnica Vislicen. Domarathi de Kobylany Lublinen. Nicolai de Worzynowo Brzesten. Cristini de Koziegłowy Sandecensis, Joannis de Tęczyn Woynicen. Przedborij de Konicpole Rospirien. Nicolai de Wirzbiczko Dobrzynen. Joannis de Balicze Radomiensis, Barthossij de Gostyn Naklensis, Martini de Uyrzyska Junivladislaviensis, Clementis de Szrelce Biecen. Vincentii de Szamotoły Mędyrzecen. Dobrogosty de Kolno Camenece. Przedpelconis de Kopydłowo Landen. Przybisłai Dzik Zarnovien. Warsy de Ostrow Zawichosten. Pauli de Biskupice Małogostensis, Alberti de Pakosz Szremenensis, Mathiae Brzeszinensis, Joannis de Kalinowa Sandecen. Petri de Chelm Polanecen. Nicolai de Lupstow Kruswicen. Stanislai de Skarszewo Biechowien. Iacobi Przekora Czechovien. Przybisłai Kowalen. Nicolai Kielbasa Bydgosten. Iacussy de Strzygi Ripinen. Paskonis de Gosławice Konarien. Joannis de Ulanowo Rogosnen. Hriczkonis Kerdeyowitz Leopoliensis. Nicolai de Wiszyncze Praemysliensis. Petri de Smolicze Sannocen. Michaelis de Buacacz Haliciensis, Joannis de Olesznica Mareschalci, Andreae de Lubino Thesaurarij Regni Poloniae, Andreae de Czechowice Plocen. Wigandi de Ostrołęka Czarnen. Dobrogosty de Nowydwor Varsavien. Pauli de Leszno Sochaczovien. Adae de Rythlo Gostinen. Markussij de Popien Raven. Nicolai Maldrzyk de Starogrod Belzen. Castellanos.

Petri de Pieskowa skala Cracovien. Petri Kordebog Posnanien. Andreae de Zelechowo Sandomiriensis, Dobrogosty de Szamotuły Calissien. Clementis Szeliga de Ianowice Siradiensis, Stanislai Bielawski Lancicien. Andreae Dunin Bresten. Stanislai Junivladislavien. Wolczkonis Rokotowicz Leopoliem. Santkonis de Sennow Praemisliem. Czurilonis de Stoyanze Halicien. Janussij Kerkeyowicz Kamencen. Nicolai Grzymalka Sanocen. Stanislai Kanymir Chelmensis, Petri de Kampa Plocen. Andreae de Radziejowice Sochaczovien. Nicolai de Brzozow Gostinen. Joannis Tabasch de Załuski Raven. Succamerariorum. Marcissij de Wroczymowice Cracoviensis, Theodorici de Modzychod Posnanien. Stanislai Slanka de Lapzowo Sandomirien. Nicolai de Pleszowo Calissien. Zegothae de Monkowo Siradiem. Petri de Oporowo Lancicien. Waskonis de Służewo Bresten. Nicolai de Koscielce Iunivladislavien. Derslai de Wysokie Lublinen. Georgij de Lassodki Dobrinen. Joannis de Winnica Leopoliem. Iacobi de Zakowice Haliciensis, Andreae Wyzga Plocen. Joannis de Roglewice Cirmensis, Joannis Rogala de Wengrzynowo Wysogrodensis, Derslai de Podosie Zakroczymensis, Vexilliferorum. Pauli de Bogumiłowice Cracoviensis, Abrahae de Zbąszyn Posnanien. Joannis de Sprowa Sandomirien. Troiani de Lekna Calissien. Petri de Widawa Siradiem. Adae de Thur Lancicien. Andreae de Ludbranz Bresten. Matthiae Figa de Olesznica Junivladislav. Alexij de Ploniki Dobrinen. Joannis Kielczowicz Lublinen. Stanislai de Dawidowo Leopoliensis, Petri de Grochowicz Premislensis, Joannis Kola Haliciensis, Stanislai de Strzegowo Plocen: Alberti de Chebdzino Cernen: Zylandi de Winnica Vissogrodem: Zemak de Smogorzewo Ciechanov: Sassyni de Szczawino Gostinen: Jacobi de Głowno Raven: Sassyni de Wirzyska Beżen: Judicum. Ioannis Faturey Cracovien: Bieniaconis de Bandlewo Posnan: Ioannis Powala Sandomirien: Sigismundi de Margonino Calissien: Stephani de Oporow Lancicien: Cristini de Kosciół Bresten: Ioannis Boyhuski Iunivlad: Demetrii de Chodorow Leopoli: Ioannis Mszirkowski Premisliem: Dapiferorum. Ianussij de Kobylany Cracov: Samborij de Małachowo Posnan: Petri de Krzyżanowice Sandomirien: Thomkonis de Mirza Sirad: Woienski Bresten: Kaczkowski Junivlad: Nicolai de Felsten Leopoli: Venatorum: Jacobi Klicze Pincernae Siradiem: Petri Skora Posnan: Bogussy de Krussow Calissien: Andreae de Brzezie Bresten: Ioannis de Zimnawoda Leopoli: Subjudicum: Nicolai de Brzesse Cracov: Raphaelis de Goluthowo Posnan: Jacobi de Baranow Sandomirien: Stanislai de Ostrorog Calissien: Nicolai Kołucki Iunivlad: Clementis de Bancyce Lancicien: Nicolai de Sarlei Bresten: Subdapiferorum: Jacobi Lublinen: Kielcz Siradiem: Ioannis de Lassotki Dobrinen: Jacobi de Malice Leopoli: Tribunorum, Stanislai Ligans-

syc, Spitkonis de Melstin, Petri de Kurów, Nicolai de Krolikowo, Przedpelcey Moszcyc de Kosmin, Milai de Miłostaw, Ianussij de Tuli-skowo, Nicolai de Grandi, Petri de Zawady, Msczuy de Barczew, Jakussij de Wroniawy, Joannis de Zychlino, Nicolai de Slessino, Vincentij de Pniewa, Thomkonis de Sobota, Thulk-de Strykow, Raphaelis de Tarnow, Ioannis de Pileza, Skarbkonis de Gora, Nicolai de Michow, Nobilium et Procerum, Cracovien: Posnanien: Calissien: Leopoliem: Plocen: Varsavien: Stolpen: et Stardgarden: civitatum. Postquam autem Deo favente, annos discretionis attigerimus, promittimus et spondemus iuramentum praestare, renovare et appendere, seu appendi facere praesentibus sigillum nostrae Majestatis. Actum in Brzeście Vladislavien: Diocesis, Sabbatho in vigilia Circumcisionis Domini, Anno 1436. Datum per manus Magnifici et Venerabilis Ioannis de Koniecpole Cancellarij, et Vincentij Koth de Dampno Custodis Gnesnen: Cantoris Cracovien: Regni Poloniae Vicecancellarij, sincere Nobis dilectorum.

Magister Prussiae promittit pacem servare cum Regno Poloniae perpetuam.

Nos Frater Paulus de Ruszdorff Ordinis Beatae Mariae Domus Theutonicorum Jerosolimitan: Magister Generalis, significamus tenore praesentium quibus expedit universis, quod nunquam Nos nec Successores nostri Serenissimo Principi et Domino Dno Vladislao Regi, aut Regno suo Poloniae gverras movebimus, aut bella, sed pacem perpetuam et concordiam inter praedictum Dominum Regem, Regnum et adhaerentes suos ab una, Nos Ordinem et adhaerentes nostros ab altera partibus, de anno Domini 1436, in vigilia Circumcisionis Domini in civitate Brzeście conceptam et firmatam, custodiemus et servabimus inconcusse in omnibus suis articulis atque punctis, promittentes, quod si Nos vel Successores nostri, stante hujusmodi pace perpetua, supradicto Domino Regi, aut Regno Poloniae, vellemus aut conaremur huiusmodi gverras aut bella movere, non debent Nobis subditi nostri consentire, nec in hoc obedire aut parere, quinimo erunt ab omnibus nostris homagiis, iuramentis, et subjectionibus liberi et soluti, donec in hoc casu, Nos et Successores nostri, ad observationem pacis perpetuae revertemur quos in hujusmodi casu absolvimus ab omnibus homagiis promissionibus et iuramentis Nobis factis, ut praefertur ipso facto per praesentes. In cuius rei testimonium et fidem firmiorem, sigilli nostri appensione praesentes fecimus communiri. Datum in castro nostro Marieburg ipsa die Dominica, qua in ecclesia Dei Laetare Jerusalem decantatur, anno Nativitatis Domini 1436.

130

129

Sequuntur loca ponendorum Dignitariorum omnium Terrarum Regni Pol: et ordo eorunden.

| | | | | |
|-----|--------------|---------------------------|-------------------|-------------------|
| 131 | } Palatini | Castellanus Cracoviensis, | Sandecensis, | } Castellani |
| | | Posnaniensis, | Polanecensis, | |
| | | Cracoviensis, | Camencensis, | |
| | | Sandomiriensis, | Czechoviensis, | |
| | | Siradiensis, | Cruświcensis, | |
| | | Lanciciensis, | Kowalensis, | |
| | | Brestensis, | Bydgostiensis, | |
| | | Vladislaviensis, | Rogoznensis, | |
| | | Castellanus Vilmensis, | Rypinensis, | |
| | | Trocensis, | Conariensis, | |
| | | Leopoliensis, | Casimiriensis, | |
| | | Podoliae, | Plocensis, | |
| | | Plocensis, | Varsaviensis, | |
| | | Czernensis, | | |
| | | Belzensis, | | |
| | } Castellani | Posnaniensis, | Mareschalcus, | } Regni Poloniae. |
| | | Sandomiriensis, | Vicethesaurarius, | |
| | | Calissiensis, | Succamerarij, | |
| | | Lublinensis, | Vexilliferi, | |
| | | Siradiensis, | Judices, | |
| | | Gnesnensis, | Dapiferi, | |
| | | Lanciciensis, | Pincernae, | |
| | | Sandecensis, | Venatores, | |
| | | Brestensis, | Subjudices, | |
| | | Voynicensis, | Subdapiferi, | |
| | | Vladislaviensis, | Subpincernae, | |
| | | Dobrinensis, | Gladiferi, | |
| | | Biecensis, | Thesaurarij, | |
| | | Landensis, | Tribuni, | |
| | | Zavichostensis, | Subagasones, | |
| | } Curiales | Cracoviensis, | | |
| | | Posnaniensis, | | |
| | | Sandomiriensis, | | |
| | | Calissiensis, | | |
| | | Leopoliensis, | | |

Litterae reversales D. Vladislai Regis Poloniae in Brzeście

ANNO 1436.

Significamus tenore praesentium quibus expedit universis, quod nunquam Nos et Successores nostri, Magistro et Terris Ordinis, gverras movebimus, aut bella, sed pacem perpetuam et concordiam inter Nos, Regnum nostrum, et adhaerentes nostros ab una, Magistrum, Ordinem, et suos adhaerentes ab altera partibus, de anno Domini, millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, in vigilia Circumcisionis Domini, in civitate nostra Brzeście conceptam et firmatam, custodiemus et servabimus inconcusse, in omnibus suis articulis atque punctis. Promittentes: quod si Nos, vel Successores nostri, stante hujusmodi pace perpetua, Magistro aut Terris Ordinis vellemus, aut conaremur huiusmodi gverras aut bella movere, non debent Nobis subditi nostri consentire, nec in hoc obedire aut parere, quinimo erunt ab omnibus nostris homagiis, iuramentis et subiectionibus liberi et soluti, donec in hoc casu Nos et Successores

nostri ad observantiam pacis perpetuae revertemur, quos in hujusmodi casu absolvimus ab omnibus homagiis, promissionibus et iuramentis Nobis factis, ut praefertur per praesentes harum, quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Datum in Brzeście Diocesis Vladislavien: Sabbatho in vigilia Circumcisionis Domini, anno ejusdem 1436. Praesentibus ibidem Reverendissimo et Reverendis in Christo Patribus, Dominis, Alberto Dei gratia Sanctae Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopo et Primae, Sbigneo Cracovien: Vladislao Vladislav: Stanislae Posnanien: et Stanislae Plocen: Episcopis: ac Magnificis, Nobilibus, et strenuis Nicolao de Michałow, Castellano et Capiteo Cracovien: Ioanne de Lubin Bresten: et Jarando Junivladislavien: Palatinis, ac aliis pluribus fide dignis.

132

(Locus Sigilli).

Tametsi privilegium Brestensis pacis ex Reversalibus literis in Thesauro existentibus praesenti communi privilegio adscriptum fuerit, continens conditiones dictae pacis eas, quae infra scriptae sunt, quae non continentur in altero, idcirco Alexander Rex articulos ejusdem pacis Brestensis ex privilegio Ducatum Masoviae sumptos, in omnem eventum ac communem subditorum instructionem decrevit suprascriptis adscribendos, sic ut sequitur.

Imprimis per praedictos Dominos Regem et Duces Poloniae, Terras Lithvaniae, Samogitarum, Russiae, Masoviae, et Stolpen: et aliorum dominiorum ipsorum subditos ab una, et praedictum Magistrum Generalem et Ordinem, Terras et subditos ipsius, tam in Prussia, Alemania, quam Livonia, et Nova Marchia parte ex altera, omnes dissensiones, controversiae et damna, inter partes hinc inde facta dimissa et totaliter sopita debent esse, ne illorum de caetero aliqua mentio aut memoria et signanter in querelis aut in detractioe partium aliqua coram quibuscunque personis habeatur aut fiat, sed nec una partium ad instantiam alterius suggeret, consentiet, auxilium dabit, et favorem publice vel occulte, et quantum in ea parte fuerit, delationes et detractioes hujusmodi fieri non admittet, sed potius prohibebit. Item, quod omnia bona ecclesiarum Gnesnen: Vladislavien: Plocen: Posnanien: Praelatorum, Abbatum, monasteriorum, conventuum et aliarum quarumcunque personarum saecularium, et religiosarum quaesitis in Terris Ordinis situata, debent circa jura omnia tam ecclesiastica, quam saecularia, et omnes antiquas consuetudines, quaestus, decimas, castra, villas, praedia, curias, et alias utilitates, emolumenta et proventus quibuscunque nominibus nuncupentur conservari, nec aliquibus novis consuetudinibus, servitiis et oneri-

bus aggravari. Quodque eadem bona non alienentur, nec pro eorum alienatione instetur per partes, sine consensu Praelatorum speciali, omnes autem census, decimas, proventus, et alias obventiones qualescunque in Terris Ordinis consistentes, quos et quas Magister et Ordo praedictis Reverendissimis Patribus Dominis Archiepiscopo Gnesnen: Vladisl: Plocen: Episcopis aliisque Praelatis saecularibus et regularibus Regni Poloniae per biennium sublevatos plene et integre restituant, et restitui faciant medietatem infra hinc, et festum Purificationis Mariae, reliquam autem partem ad festum Paschae proxime nunc venturum in civitate Thorunen. Item de limitibus Ducum Masoviae remanere debent circa literas quas habent, et similiter quae in literis nostris, et Ordinis super eisdem limitibus continentur, et ubi in literis limites descripti non fuerint ad eosdem firmandos, praefati Duces suos Consiliarios destinare debent, similiter et Ordo. Quae vero partium evidentiori testimonio, vel aliis legitimis probationibus suos limites probaverit suas fore granities, remaneat circa ipsas, et in casu quo utraque partium granities et limites legitimis probationibus probare non posset, stabit in optione Magistri, an velit jurare pro eisdem graniciebus, vel Dominum Ducem admittere ad juramentum pro eisdem, cum Duce autem Boleslao limites, alias ut prius facti pro quibus non est discrepantia renoventur. Item Terrae Samogitarum, et Sudorum propter bonum pacis debent apud nos et Regnum Poloniae, ac Ducatum Lithvaniae, sub limitibus supra scriptis remanere perpetuo et in aevum. Item a fine limitum Ducum Masoviae incipiendo a flumine Lik et vado dicto Kamionybrod, qui iacet in superiori parte ejusdem fluminis Lik, altius quam isti lacus Braiwo, Toczylow et ab illo directe eundo per solitudinem usque ad lacum qui dicitur Roboth, ita quod medietas ejusdem lacus remaneat in Terris Domini Ducis Lithvaniae, et reliqua medietas in Terris Ordinis et ab illo lacu directo tramite per desertum usque ad quandam arcem dictam Mernusk et a Mernusk eundo directe usque ad lacum qui vocatur Gwischiez, ita tamen quod idem lacus remaneat totus in parte Ordinis et ab eo lacu, quo directius iri potest ad ortum seu summitatem fluminis dicti Lepnicza eundem fluvium descendendo usque ad consummationem ejus, ubi intrat in fluvium Schirowintha et ulterius descendendo eundem fluvium Schirowintha usque ad consummationem ejus ubi intrat in fluvium Scheschupa, procedendo per solitudinem usque ad ripam fluminis Memel, et ex opposito fluminis dicti Swianta, ubi idem fluvius Swianta intrat fluvium Memel praedictum, et hoc quo ad Terram Sudorum tandem fluvium sursum ascendendo, per duo milliaria, et ab illo loco illum fluvium descendendo, franseundum est per solitudinem quo directius iri potest usque ad fluvium Jura, relinquendo fluvium Memel in sinistro latere ubi-

que per duo milliaria, et dictum fluvium Jura ascendendo unum milliare, ab eo loco Jura fluvius deserendus est, et transeat per solitudinem relinquendo fluvios Memel et Russna lacum, qui dicitur Hap, et castrum Memel in Samogitto, Clupedo appellatum, undique a sinistro latere per tria milliaria, et sic transeundum est usque ad littus maris salsi et hae sunt granicies Terrae Samogitarum et Prussiae. Inter Livoniam vero Samogitiam et Russiam, limites sunt incipiendi a flumine dicto Helge, ubi dictus fluvius intrat mare, eundem fluvium ascendendo sursum ad antiquos limites, inter Samogitiam, Lithvaniam, Russiam, ab una, et Livoniam ab altera partibus tentos et observatos, non tamen ad illos limites, qui signati sunt eo tempore, quando Ordo Terras Samogitarum tenuerat, sed ad illos qui antiquitus inter Terras praedictas sunt servati. Item datia sive exactio *funthomczol*, super quam priscis temporibus, et hactenus controversia inter Magistrum et Ordinem ac mercatores Terrarum Regni Poloniae vertebatur, et supra pendebat ex certis causis indecisa, talem ponimus ordinem, quod mercatores Regni, praeter alia quaecunque gravamina et solutiones in posterum imponendas quibuscunque nominibus censeantur respondeant Ordini de eadem, duntaxat si quando illos contigerit cum bonis suis in navibus propriis navigare ultra mare, ita tamen quod si civitates maritimae, liberatae et solutae via juris fuerint ab eadem, quod cives, mercatores, et indigenae Regni et Terrarum Poloniae, Lithvaniae, Masoviae et Russiae a solutione hujusmodi sint liberi, et exempti, et illa omnia ab eis a tempore quo praesens pax perpetua est firmata, ratione hujusmodi exactionis sunt recepta, integraliter restituentur per Ordinem praedictis mercatoribus Regni viceversa, absque recusatone et renitentia, qualicunque interruptione, consuetudine, praescriptione et diurnitate temporis non obstante; si vero per concordiam extincta fuerit, ad restitutionem receptorum minime teneantur, aliae autem omnes et singulae exactiones, quibuscunque nominibus vocitentur, a mercatoribus et Terrarum Regno Poloniae subjectarum, ut praefertur indigenis, in Terris Magistro et Ordini subjectis et specialiter exactio quaedam dicta *lobegalth*, et *firken*, nullatenus de caetero imponantur. Item liber sit transitus et via omnibus mercatoribus et incolis Regni Poloniae et Terrarum Lithvaniae, Samogitarum, Masoviae, Russiae et Stolpen: cum suis mercantiis, frumentis cuiscunque grani et rebus quibuscunque et cuiscunque conditionis vel materiei existant, sine impedimento vel angaria, per terras et maria aquas et flumina quaecunque ascendendo, in et ad Regnum Poloniae, Terras Lithvaniae, Samogitarum, Masoviae et Russiae, et descendendo per Terras dominiorum Ordinis, et per ipsa flumina seu aquas, usque ad maria et transmare in navibus vacuis sive oneratis, magnis sive parvis, absque aliquo ar-

resto et impedimento civitatum seu oppidorum et specialiter circa Thorun quocunque et quotiescunque voluerint, quas quidem merces, frumenta et res ut praescriptum est, si praefati mercatores sive incolae Regni nostri Poloniae et Terrarum suprascriptarum ducentes vendere aut stare in aliquo locorum seu civitatum ad portum seu ripam praedictarum aquarum sive maris situatorum sive situatarum, voluerint, est et debet esse in ipsorum arbitrio et voluntate. Si vero vendere noluerint, possunt absque omni impedimento ire seu ascendere, vel descendere quo eis placuerit, cum rebus praedictis ut superius est expressum. Item si aliquando contigerit, quod subditi nostri tam spirituales, quam saeculares, cuiscunque conditionis existant, status vel ordinis, volendo pacis perpetuae praesentis concordiae foederibus contraire, vel aliis causis legitimis, occasione praedicta emergentibus, fortasse indignationem nostram incurrerent, et formidine poenae ac metus qui cadit in constantem recurrerent ad Magistrum et Ordinem, exposita causa metus tenebitur Magister et Ordo talem et taliter ad dominia Ordinis fugientem suscipere et fovere ipsumque fugientem ad justitiam exponere, causamque sui recessus coram nostra Majestate per suas literas, vel nuntios allegare, ita quod Nos post intimationem Magistri et Ordinis tenebimur in termino competentis circa limites de parte nostra duos Barones, aut Milites de nostris ponere, et Magister de suis totidem, qui taliter ex utraque parte electi, cognita sui recessus causa, debent de ipso bonam facere justitiam, et juxta merita causae coram eis introductae, tali personae fugienti, de pace et securitate per declarationem suam, apud nostram Regiam Maiestatem, cum bonis conditionibus assecuracioni suae providere, ita quod Nos propter hoc contra personam praedictam fugientem ad aliquam ultionem parendo declarationi illorum Judicum electorum non consurgemus, sed eum pristinis favoribus, sicut et caeteros subditos complectemur. Item subditi nostri et Magni Ducis, et Terrarum nostrarum praedictarum undecunque et cuiscunque gradus, status, vel conditionis fuerint qui causa negotiationis vel alia ad Terras nostras Prussiae, Lithvaniae, vel alias venerint, per Nos et subditos nostros, ac extraneos cuiscunque gradus, status aut conditionis fuerint, minime impeti conveniri debent vel arrestari, sed in Polonia, Lithvania, Masovia, Russia, seu terra Stolpen: si quid actionis haberint juxta Terrarum jura municipalia hujusmodi contractiones sopiantur, delinquens tamen in loco delicti deprehensus, et contrahens de contractione recenti, in loco contractus poterit conveniri, sed si de loco ubi contraxit recesserit, publice vel occulte coram Judice suo conveniatur. Item si fures incendiarios, vel alios malefactores quoscunque de dominijs Regni nostri quibuscunque ad Regnum nostrum, Ducatus et Terras nostras praedictas fugere conti-

gerit, extunc terrigenae et quorum interest de Terris et dominijs Regni nostri, licenter eosdem sine omni impedimento insequi libere ubicunque poterint, quibus etiam Capitanei, Tenuarii, Terrigenae Judices, Officiales, et subditi dominiorum nostrarum praefatorum, quicunque super hoc fuerint requisiti, debent praestare auxilia, consilia, et favores ut malefici hujusmodi capiantur, captique juxta jura municipalia Regni nostri legitime puniantur. Et si capi non poterint in Regno et Terris nostris saepedictis, per Nos et subditos nostros, ut alias nullatenus sustineantur seu foveantur. Teneaturque utraque pars illis, sine fraude et dolo, in suis dominijs incolatum prohibere, aut in metis Terrarum, quos hujusmodi tangit negotium, exhibere de eis justitiae complementum. De malefactoribus autem, de Terris Ordinis Prussiae et Lithvaniae ad Regnum nostrum confugientibus similis aequitas habeatur.

Item neutra partium debet aliquem, vel aliquos etiam subditos alterius partis in suis dominijs fovere, ac tolerare, qui alteram partem, ejus subditos, aut subditum diffidare velit, aut velint, ac diffidant, damna irrogent, seu infidelitatem commiserint, vel alias graves inferrent molestias, immo et inimicis partis adversae adhaerere possint; nec eos per terras suas permittere in praedictum et offensam alterius, sine dolo et fraude quoquo modo. § Item omnes coadjutores et adhaerentes, qui in favorem nostri et Regni nostri Poloniae, coadjutorum et subditorum nostrarum, Magistrum et Ordinem Prussiae diffidarunt, ab omni impetitione Magistri et Ordinis praedicti sint liberi et soluti. § Item omnes apostatae Ordinis praedicti in Regno nostro, et Terris Lithvaniae Samogitiae, Masoviae, Russiae, et Stolpen: et alijs dominijs Regni nostri, et Terrarum praedictarum commorantes, ne diutius in suis peccatis tolerentur, de Regno nostro et dominijs nostris praedictis, per Nos et officiales nostros exire compellantur, et deinceps ij et alij in eisdem nullatenus foveantur. § Item quod nullus mercator seu alius homo cuiscunque conditionis existat, aut bona ipsius propter delictum seu debitum alterius arestantur vel turbentur, nec etiam captivetur. § Item si vectores et aurigae bona sua merces mercatorum, pro pretio ducentes, telonea seu loca datiarum praeterierint, ipsi duntaxat in rebus, et equis propriis puniantur. Et quod propterea bona mercatorum non debent occupari nec detineri. § Item Illustris Princeps Dominus Boguslaus Dux Stolpen. ab una: Magisterque et Ordo praedicti ab altera partibus, ad distingvendum et reformandum limites inter Ducatum Stolpen: praedictum, et Terram Ordinis in Pomerania, Nuntios ex utraque parte mittant, in festo Ascensionis Domini proxime nunc venturo, ubi dum convenierint, pars Domini Ducis, eliget duas, aut tres personas, de parte Domini Magistri et Ordinis. Et e converso D. Magister et Ordo duas aut

137 tres personas, similiter de parte Ducis. Quae personae sic electae, praestito corporali iuramento, visis partium iuribus, literis, aut legitimis documentis, differentias huiusmodi si commode poterint terminabunt, si vero non possent, extunc eligent unum unanimi consensu pro Iudice, qui habendo Deum et justitiam prae oculis, quaestionem praedictam inter partes iudicialiter quanto brevius poterit terminabit, cujus decisioni partes benevole obedient et parebunt. § Item ut huiusmodi pacem perpetuam et concordiam sub certiori attentionis firmitate et robore custodiamus et servemus, promittimus sine dolo et fraude, sub fide et honore, quod ad nullius viventis hominis requisitionem, inductionem, suggestionem, persvasionem, vel mandatum, etiam quacunque dignitate praefulgeat, Papali, Imperiali, vel Regali, aut cujuscunque congregationis legitimae personarum ecclesiasticarum, vel saecularium, debemus, vel poterimus contravenire ipsis in toto, vel in parte, expresse, manifeste vel occulte, per se seu alium vel alias quascunque personas submissas, spirituales vel saeculares, neque eas taliter aut quocunque modo alio violare: etiamsi Imperator personaliter cum exercitu se contra Nos, Regnum nostrum, aut magnum Ducatum Lithvaniae moveret, non debemus ei, nec Successores nostri assistero ope, consilio, auxilio vel favore. § Item ut omnia praemissa certiori cautela munita jugiter permanent, et ut pars contra partem, metu animadversionis praesentis concordiae, ad bella et proelia non consurgat, statuimus decernentes, quod nostri Praelati, milites, nobiles, cives, et tota communitas, debeat et teneatur Terrarum Regni Poloniae Praelatis, Baronibus, militibus, nobilibus, civibus, et toti communitati dare certas nostras literas, et pares sive reversales ab ipsis sub aedem forma recipere, quas tam Nos, quam praefatus Ordo utrisque subditis nostris dare promittimus et debemus, ipsique subditi nostri eadem subditis Domini Magistri et Ordinis, et e converso subditi Ordinis, subditis Regni nostri dare et praesentare tenebuntur in termino sub his vel similibus verbis. Quod si Nos vel Successores nostri stante huiusmodi pace perpetua Magistro aut Terris Ordinis, vellemus aut conaremur huiusmodi guerras aut bella movere, non debent Nobis subditi nostri consentire, nec in hoc obedire aut parere, imo erunt ab omnibus nostris hominibus, juramentis, et subjectionibus liberi et soluti, donec in hoc casu Nos ad observationem huiusmodi pacis perpetuae revertemur. § Item si aliqua novae dissensionis, displicentiae, damna sive discordiae, inter Nos Lithvaniae, Samogitiae, Masoviae, Terras Russiae, et Stolpe: ex una, ac Magistrum et Ordinem praedictum, tam per Russiam, quam Livoniam emergerint, vel aliqua partium praesenti concordiae svadente diabolo contravenire quovis modo praesumpserit: extunc pars laesa alteri tenebitur et debet iniuriis, aut scriptis huiusmodi iniurias et displicentias, seu aliquod praemissorum

138 significare, et tandem ambae partes efficere et procurare sine dolo et fraude, quod Consilium ipsarum partium ad certos, locum et diem convenientes competentes, qui huiusmodi displicentias, et iniurias secundum Deum et justitiam, omni favore et odio postpositis, tractent, cognoscant, terminent et decidant. § Item omnes violationes treugarum, pacis, foederis, stipulationum et contractuum, si quae inter partes praedictas, in gverris praedictis accidissent vigore praesentis concordiae, cassamus et annullamus.

Finunt articuli ex privilegio Ducum Masoviae de pace Brestensi sumpti.

Sigilla pendencia ad Literam pacis perpetuae:

| | |
|--|--|
| Sigillum D. Regis item M. D. Lithvaniae. | Calisiensis, Gnesnensis, Siradiensis, Lanciciensis, Brestensis, Vladislaviensis, Miedzzyrzecensis, Vilnensis, Trocensis, Plocensis, Dobrzynensis, Czyrnensis, Varsaviensis, Leopoliensis, Camencen. Russiae, Camencensis Pod., Lublinensis, Voynicensis, Biecensis, Radomiensis, Landensis, Rospieriensis, Brzezinsis, Conariensis, Rupinensis, Gostinensis, Ravensis, Sochaczoviensis, Ciechanoviensis, Kovalensis, Crusvicensis. |
| <i>Sig. Ducum Masoviae:</i> Semoviti, Casimiri, Vladislai, Boleslai. | |
| <i>Sigilla</i> Item quatuor Ducum Lithvaniae. | |
| Item Boguslai Ducis Stolpensis. | |
| <i>Sigilla Archiepiscoporum:</i> Gnesnensis, Leopoliensis. | |
| <i>Sigilla Episcoporum:</i> Cracoviensis, Vladislaviensis, Plocensis, Posnaniensis, Vilnensis. | |
| <i>Sigillum:</i> Item Castellani Cracoviensis. | |
| <i>Sigilla Palatinorum:</i> Cracoviensis, Posnaniensis, Sandomiriensis, C. lissiensis, Siradiensis, Lanciciensis, Brestensis, Vladislaviensis, Vilnensis, Trocensis, Plocensis, Varsaviensis, Leopoliensis, Camencensis, Belzensis. | |
| <i>Sigilla Castellanorum:</i> Posnaniensis, Sandomiriensis, | <i>Sigilla Officialium:</i> Mareschalci Regni et Officialium Regni Poloniae. |
| | <i>Sigilla Succamerariorum:</i> Cracoviensis, Posnaniensis, Sandomiriensis, Calisiensis, Gnesnensis, Siradiensis, Lanciciensis, Brestensis, Vladislaviensis, Czernensis, |

Varsaviensis,
Plocensis,
Leopoliensis,
Camencensis.
Sigilla Venatorum:
Brestensis,
Czernensis,
Vladislaviensis,
Varsaviensis.

Sigilla Gladiferorum:

Cracoviensis,
Siradiensis,
Posnaniensis,
Lanciciensis,
Brestensis.

Sigilla Subdapiferorum:

Cracoviensis,
Posnaniensis,
Sandomiriensis,
Calisiensis,
Gnesnensis,

Siradiensis,
Lanciciensis,
Brestensis,
Vladislaviensis,
Plocensis,
Czernensis,
Varsaviensis,
Leopoliensis,
Dobrzynensis.

Sigilla Subpincernarum:

Cracoviensis,
Posnaniensis,
Lanciciensis,
Brestensis.

Sigilla Officialium Curiae:

Mareschalci,
Succamerarij,
Thesaurarij,
Magistri coquinae,
Pincernae,
Incisoris,
Dapiferi.

189

VLADISLAUS TERTIUS

REX POLONIE

CONFIRMAT JURA ET PRIVILEGIA SIGISMUNDO MAGNO DUCI LITHVANIE SUPER DUCATU MAGNO, PER DIVUM OLIM VLADISLAUM SUUM GENITOREM EIDEM SIGISMUNDO CONFESSE.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Vladislaus Tertius Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae; Cuiaviae, Lithvaniae, Princeps Supremus, Pomeraniae, Russiaeque Dominus et Haeres etc. Significamus tenore praesentium tam praesentibus, quam futuris notitiam praesentium habituris, quod ex quo praeclarus et Magnus Princeps Dominus Sigismundus Dei gratia Magnus Dux Lithvaniae, Russiae etc Patruus noster percarus, omnem sinceritatis constantiam, erga Regnum Poloniae nostrum, et nostram Regiam praesentiam semper gessit incorrupte, cujus rei Nos memores et pergrati dignum censuimus sibi proinde cordis puro zelo occurrere et omnium qua decet gratitudine, hanc fidem et constantiam integram compensare. Unde ex certa nostra scientia sufficientissima deliberatione praehabita, animo benevolente et voluntate nostra ultronea, nostrorum Praelatorum et Baronum salubribus freti consiliis, sibi Domino Sigismundo Magno Duci, nostro patruo charissimo jura, literas et privilegia, quae a Nobis et felicis memoriae Genitore nostro Domino Vladislao Rege Poloniae, super Ducatu Magno et quibuscunque bonis et libertatibus, sub quibuscunque datis et tenoribus existunt, quae hic habere volumus pro insertis in omnibus earum punctis, conditionibus, posi-

tionibus, particulis et clausulis universis ratificamus, innovamus, gratificamus, approbamus, et praesentis scripti patrocinio confirmamus, decernendo, ea robur obtinere perpetuae firmitatis. Promittimus insuper in verbo nostro Regio praesentibus, et spondemus eadem ipsius literas, jura et privilegia rite et juste emanata, per omnia rata atque grata habere, et inconcussa jugiter et inviolabiliter observare, et de eis satisfacere, harum quibus sigillum nostrae Majestatis est appensum testimonio literarum. Datum in oppido Piotrkow in Parlamento Generali feria tertia proxima post festum S. Luciae Virg: anno 1438. Praesentibus ibidem Reverendissimo et Reverendis in Xsto Patribus Dominis Vincentio Sanctae Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopo et Primato, Sbigneo Cracovien: Vladislao Vladislavien: Episcopis, et Andrea de Bnin Electo confirmato Ecclesiae Posnaniensis: ac Magnificis Nobilibus et strenuis viris, Joanne de Ciszow Castellano Cracovien, Dobeslao de Sienno Sandomiriensi, Martino de Slawkow Calissien: Alberto de Mafie Lancicien: Joanne de Lichni Bresten: Jarando de Grabie Junivlad: et Petro Odrowaz de Sprowa Leopoliensis. Palatinis. Dobrogatio de Szamotoły Posnaniensi, Clemente Wątrobka de Strzelce Sandomiriensis: Laurentio Zaręmba de Kalinowa Siradiensi Castellanis. Joanne de Oleśnica Mareschalco et Andrea de Lubino Thesaurario Regni Poloniae, et alijs dignitarijs Baronibus, Militibus, et Nobilibus testibus circa praemissa. Datum per manus Magnificorum et Generosorum virorum Joannis de Konicpole Cancellarij et Petri Woda de Szczekocin Vice-Cancellarij Regni Poloniae Nobis sincere dilectorum.

Ad relationem Magnifici Joannis de Konicpole R. P. Cancellarij.

CONFOEDERATIO

PRINCIPUM TAM SPIRITUALIUM QUAM SAECULARIUM BARONUM, PROCERUM, MILITUM ET NOBILIUM ETC REGNI POLONIAE CONTRA REGNICOLAS INOBEDIENTES JURI, CONTUMACES ET HAERETICOS EORUMQUE FAVORES.

Nos Principes spirituales et saeculares, Barones, Comites, totaque communitas Regni Poloniae singulariter singuli et universaliter universi, eodem animo, eadem voluntate, scientia, consensu et ratificatione, omnes unanimiter significamus tenore praesentium, quibus expedit universis praesentibus et futuris notitiam praesentium habituris, quod consideratis nonnullis disordinationibus, quae in ipso Regno Poloniae suboriri inceperant, visis literis praedecessorum nostrorum Posnaniae, Petricoviae et in Iedlna factis, circa eadem literas et earum articulos (sub quacunque forma verborum exstant connecti) remanere volumus, et usquequaque spondemus, et praecipue circa hunc articulum. Quod

quicumque exstans indigena Regni Poloniae habens in ipso Regno Poloniae bona, vellet aliquas inobedientias, contra jus Terreſtre commune, aut etiam guerras nobis et eidem Regno Poloniae damnosas alicui movere sine licentia Domini nostri Regis gratiosissimi, et consilij sui, et in jure Terreſtri communi nollet contentari, aut etiam haereticales errores facere vel promovere vellet, contra talem seu tales cujuscunque status, gradus, conditionis, et praeeminentiae fuerint sive spirituales, sive saeculares, et in eorum destructionem consurgere volumus et promittimus, sub fide et honore nostris, absque dolo et fraude, nec ipsis auxilio consilio vel favore patrocinari volumus sub fide et honore nostris, etiam si sanguine, affinitate et quacunque propinquitate forent nobis aut alicui nostrum conjuncti, nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, sed eos et eorum talem quemlibet punire volumus et promittimus. Jura tamen nostra Ducalia et Terreſtria in nullo per hoc violando, nec ab eisdem recedendo, harum, quibus sigilla nostra cum subscriptione nominatim nominum nostrorum in pendulis sigillorum sunt appensa, testimonio literarum. Scriptum et datum in Nova Civitate Corczyn, feria sexta ipso die Sancti Marci Apostoli et Evangelistae Generali tunc Parlamento celebrato, anno D. 1438.

CONFOEDERATIO

IN NOWEMIASTO,

OCCURRIT INCOMMODIS REGNI.

A. D. 1439.

Nos Spytko de Melsztyn Jacobus Przekora Castellanus Czechovien: etc. etc. Ad notitiam quorumcunque cupimus devenire. Quoniam animadvertimus multos variosque defectus, et incommoda hujus Sacri Regni Poloniae, quae ob juventutem Serenissimi Principis Domini nostri, Domini Vladislai Dei gratia Regis Poloniae etc. Domini nostri gratiosissimi ad debitum profectum deduci non poterant; unde nos omnes supradicti moti zelo fidelitatis erga ipsius gratiae Majestatem, hujusmodi defectibus et incommodis occurrere tempestive volentes, consilij, voto concordi, et constantia unanimi promittimus, et spondemus sub fide et honore nostris, omnes et singuli pro bono hujusmodi almae Coronae seu Reipublicae, pro commodo utilitatibus anhelare, defectus praedictos et incommoda, quantum in nobis erit, corrigere et ipsum Regnum ad salubrem statum juxta nostram possibilitatem reducere, juribus tamen nostris Terreſtribus in eo nihil minutis, in ea re unus alteri incipiendo a majori usque ad minimum firmiter constanter et inseparabiliter assistendo, sub poena privationis colli, et bonorum, fideique et honoris. Et ut in eo opere tanto clarior nostra appareat justitia, statuimus et decernimus, te-

nore praesentium mediante quod contra quemlibet horum, qui essent nobis, aut praedicto Regno suspecti, aut destructionis praefato Regno causa esse viderentur, volumus et debemus subitaneae consurgere, eum qui talis esset non admittendo, sed omni dilatione postposita mutua deliberatione juridice procedere contra quemque talem, cujuscunque status, eminentiae, aut conditionis fuerit, et in eo videlicet iudicio, ubi multum praedicti Domini Regis principaliter interest, et ejus iudicio, quot personae majoris consilij, tot etiam de ipsa communitate nostra electi et nominati praesidere debent. Taliter etiam statuimus, quod si quis nostrum supradictorum s̄nistræ inductus, a communitate se abscindere vellet, contra talem omnes unanimi concordia, imo ad vindictam consurgentes, primo vitae, deinde honorum destructionem sub fide et honore nostris promittimus anhelare. Talis autem discedens a communi bono, benevole se a fide et honore abrenunciat, tenore praesentium mediante. Data in Nova Civitate, in Conventione Generali, anno Domini: 1439, die Dominico S. Crucis in Majo.

VLADISLAUS

REX POLONIAE, ET ELECTUS HUNGARIAE

PROMITTIT BONA AD PROCURATIONEM GENERALEM CRACOVIIEN: SPECTANTIA NON OBLIGARE.

Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae Lithuaniaeque Princeps Supremus Dominus et haeres Russiae etc. ac Electus Regni Hungariae etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, quomodo debita animadversione hujus Regni nostri dicti Poloniae beneficia, in quo et educati et Regii honoris culmine insigniti sumus, in animo revolventes, volentesque ipsa beneficia de ipso Regno suscepta, omni cura ipsi Regno et Coronae Poloniae statum et stabilimentum procurando refundere, quod maxime tunc videmur agere, cum ipsius Regni bona et possessiones in libero et inobligato ordine et statu ut possumus praeservamus; igitur promissimus, spondimus et praesentis nostri patrocinio scripti Nos obligamus, omnia bona, possessiones, civitates, castra, oppida, villas, molendina, piscinas, lacus, et alia bona, quibuscunque specialibus vocitentur nominibus seu vocibus, quae ad praesens et hactenus ad procuracionem Cracoviensem generalem spectant et pertinent, propter Regni nostri saepefati Poloniae necessitatem, et firmum ipsius stabilimentum in libera conservantia et inobligata servare, stare, tenere et habere volumus, itaque nulli hominum cujuscunque status et conditionis, aut praeeminentiae fuerit, dicta bona vel eorum aliquod ad procuracionem Cracoviensem generalem hactenus pertinentia, ita ut praefertur

inobligata confereremus, et libera pro bono reipublicae et Regni Poloniae statu profectu conservandis, stare promittimus, harum quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio literarum. Datum Cracoviae Sabbatho proximo ante Dominicam Judica. Anno Domini 1440.

143 PRIVILEGIUM JURIS THEUTHONICI

PROVINCIALIS SUPREMI CASTRI CRACOVIIENSIS PER CASIMIRUM MAGNUM CONSTITUTUM, QUOD VLADISLAUS JAGELLO, ET VLADISLAUS JAGELLONIS REGES CONFIRMARUNT, CUJUS TRIBUNAL IN CASTRO CRACOVIIENSI, AD QUOD IN CAUSIS TAM MAGNIS, QUAM PARVIS JURIS CIVILIS PROVOCATUR ET APPELLATUR.

In Nomine Domini, Amen.

Nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae, Hungariae, Dalmatiae, Croaciae, Rasciae, Serbiae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Lithuaniaeque Princeps Supremus Pomeraniae, Russiaeque Dominus et Haeres, etc. Ad perpetuam rei memoriam significamus, tenore praesentium, quibus expedit universis praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris. Quomodo pro parte famosorum advocati, et juratorum juris nostri Supremi Theuthonici Provincialis, castri Cracovien: oblata petitio continebat in effectu, quatenus ex innata nostrae benignitatis elementia, divae memoriae Serenissimi Principis Domini Vladislai Regis Poloniae nostri immediati Praedecessoris et Genitoris Charissimi, literam pargameaneam ratificationis privilegij Illustris Principis, et Domini Casimiri Regis Poloniae etc. de et super institutione juris Supremi Theuthonici Provincialis in castro nostro Cracovien: vice et loco juris Magdemburgensis editi et concessi factam et donatam sigillo Sancti Genitoris nostri mediocri in cordula sericea impendente sigillatam, sanam, salvam et integram non vitiatam, non cancellatam, nec in aliqua sui parte suspectam, sed omni prorsus vitio et suspicionem carentem, et pro parte eorundem advocati et juratorum, coram Nobis praesentatam confirmare, approbare, ratificare et innovare dignemur. Cujus quidem literae una cum contentis in eadem tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

In Nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Non convenit insperatis sortis casibus profectus rerum subijcere, et pia vota cum cadente fortuna deputare, quorum vivax esse debet assertio et constitutio perpetuo subsistere robore firmitatis. Proinde Nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Cujaviae, Lanciciae, Lithuaniaeque Princeps Supremus, Pomeraniaeque Dominus et Haeres etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis, praesentibus et futuris, praesentium

notitiam habituris, quomodo licet dudum divae memoriae Dominus Casimirus Rex Poloniae Praedecessor noster, Regali provisione, et communi utilitate svadente in Regno Poloniae jus Theuthonicum Supremum instituisset et ordinasset, ut omnibus oppressis, et gravamen coram Judicibus saecularibus iudicij ejusdem Theuthonicalis patientibus, totum ad illud appellandi et evocandi patuisset refugium; ne subditi Regni nostri ob defectum juris Supremi ad Terras alienas per loca incognita, non sine gravibus periculis, damnis et expensis, pro justitia recurrere cogentur, quemadmodum ante hujusmodi constitutionis decretum, et haec talismodi constitutio, tempore felicis nostri regiminis sub ratihabitione nostra, et hactenus tenta fuisset, custodita et servata, in et sub forma, per certa capitula tradita, et literis authenticis subappendentibus sigillis Majestatis ejusdem Regis Casimiri confirmata. Tandem hujusmodi literae apud Judices et conservatores praefati juris, nescitur qua sorte, et utique infausta perierunt; dignum itaque arbitantes, hanc concessionem et constitutionem ex toto ut antea viribus debere subsistere, praefatas literas et privilegia, quarum tenor de copiis sumptus originalibus, in certis codicibus dictorum Judicum remansit integer conservatus, renovamus, innovamus, ac robur ipsis in vigore perpetuo adjicimus, volentes ut in omnibus suis capitulis, sententijs, punctis, conditionibus et articulis, jugem semper et irrefragabilem obtineant firmitatem, providentes specialiter ut quotiescunque civitates in hac privilegij copia descriptae et contentae, vel eorum aliqua in hujusmodi supremi juris iudicio causam vel causas proprias vel suorum coincolarum et concivium, coram iudicio praefati juris per appellationem introductas habuerint, illis amotis et exclusis, aliae civitates pro eis ad iudicium cum aliis remanentibus surrogentur. Tenor autem praedictarum literarum et forma sive copia sumpta ex originali, ut praefertur sequitur et est talis.

In Nomine Domini, Amen. Quia humana conditio dominantis sibi iugo libenter caruisset, et homines libertatem minime abdicassent, si non impunita vitia gravi pernitie scelerum redundassent: ideo divina sententia dati sunt Reges populo, et Domini subjectis; ut necessario justitiae et iudicio ac imperio Regum subessent universi, ut cuilibet aequo libramine statera lance appensa, ipsi Reges justitiam ministrent, et proinde Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Pomeraniaeque Dominus et haeres Russiae, ad extollenda iustorum praeconia, et transgressorum insolentias reprimendas, animadvertentes nostro Regno contra decorem et honorem illibata ejusdem Regni nostri praeter scientiam nostrae Regiae Majestatis intrasse corruptelas; quod cum Advocati, Sculteti, Scabini jurati iudiciorum banni-

torum iuris Theuthonici, litigantibus in iudicijs eorum bannitis contententibus, sententias interlocutorias et diffinitivas in causis quam pluribus promulgant. § Dicti contententes ad partes remotas Rinen. in Maydemburg civitatem, cui nullo jure subsunt, et ultra fines Regni nostri appellationes et provocationes interponunt, nostrae Majestatis proprio solio et Tribunali, necnon proprij Principis et Domini jure et jurisdictione omissis, contemptis, in detrimentum Regni nostri et damnum, et Regnicolarum nostrorum gravamen. § Advocati vero Sculteti, et alij Scabini jurati, praedicti nostri Regni a contententibus eisdem pro emendis sententijs, et Scultetis in Maydemburg per novem fertones latorum grossorum Pragensium, et nonnullas summas pecuniarum pro expensis exigunt, et extra Regnum nostrum in Maydemburg pro praedictis sententijs emendis transmittunt, per quae honori, decori, jurisdictioni, solio, Tribunali, illibatis nostris praedictis detrahatur, et turpitudini reservetur: et quod deterius est dicti Advocati, Sculteti, Scabini jurati jurisdictionem Theuthonice cum, more litigantibus justitiae reddere deberent complementum, difficiles se in hoc reddentes, ad Civitatum nonnullarum dicti Regni nostri Consules, Advocatos, Scabinos juratos, quibus nulla a Nobis super iure supremo et dandis sententijs iuris Maydemburgensis a Nostra Regali Majestate, nulla prorsus fuit, vel est eis specialis ad talia loca ipsorum, extra eorum loca constituta, ultra terminos jurisdictionis eorum attributa potestas ad vendendum jus Supremum, nostro Solio et Tribunali de jure duntaxat annexum, ad sententias aliquas dandum extra fines eorum jurisdictionis ad alias civitates, villas, et loca nulla eis a nostra Regia Majestate auctoritas est concessa, sed ex quadam temeritate contententes coram eis in causis tam magnis quam parvis, pecunias ponere compulerunt non paucas, pro quibus sententijs, a dictis civitatibus Regni nostri Consulibus, Advocatis, Scabinis juratis, nulla prorsus ad hoc auctoritate fruentibus sententias extraxerunt, et jus emerunt, quod viribus caruit et non subsistebat, insontesque contententes deludebant sumptibus, laboribus, impensis, et expensis fatigando minus juste, contra quae in Regno nostro clamor ascendit et insinuatio manifestavit, quod Majestas nostra fama deferente et clamore incitante sine periculo petransire et sine scandalo tolerare per nostram serenitatem oculis conniventibus non potuit. § Cum Reverendis in Christo Patribus Jaroslao Archiepiscopo Gnesnensi, Bodzanta Cracoviensi, Sbilutho Vladislaviensi, Joanne Posnaniensi, Nicolao Plocensi, Joanne Lubecensi Episcopis, necnon Abbatibus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, caeterisque Praelatis, et Canonicis, tam cathedralium quam collegiarum, et aliarum ecclesiarum, Capitulis, et Beneficiatis tam secularibus quam regularibus exemptis et non exemptis, necnon Magnificis Castellanis, Palatinis, Came-

rariis, Succamerariis, Judicibus, Subjudicibus, Baronibus, Militibus, et Nobilibus, Consulibus, Advocatis, Scabinis juratis civitatum, Scultetis et officialibus villarum et locorum singulorum universis, Synodum, Conventionem, et Concilium celebravimus; de quorum omnium et singulorum consilio appellationes, provocationes in dictis iudicijs faciendas a litigantibus praedictis, pro pecunijs praedictis emendas, exigendas, admittendas, sententiasque et jus in Maydemburg emendum et ad civitatem aliquam dicti Regni Judicibus, Advocatis, Scabinis juratis, jus aliquod absque nostra speciali auctoritate per quospiam Judices, Advocatos, Scabinos juratos, litigantes emendum et recipiendum sententias aut jus aliquod, et receptis aequaliter standum, aut ea pro jure habendum sub poena ammissionis omnium bonorum suorum auctoritate nostra Majestatis Regiae inhibemus. § Volentesque praedictis nostris regnicolis damna, gravamina, fatigas, et sumptus remove, profectum quoque et utilitatem eis, nostri quoque Regni et Regiae Majestatis honorem et decorem ampliare: libros juris Maydemburgen. ordinavimus et in thesauro nostro Cracoviensi deposuimus in eodemque castro nostro Crac. constituimus jus Supremum Theuthonice provinciale, vice et loco juris Maydemburgen. De libris eisdem promulgari debere sententias, et jura per Advocatum nostrum, et septem Scultetos seu Advocatos, et jurati dicti juris Provincialis peritos juris praedicti, quos nostrae Majestatis Procurator Generalis qui pro tempore fuerit, dicti castris Terrae nostrae Cracovien. una cum Advocato nostro, et locis infra scriptis, inter Advocatos et Scultetos seu alios jurisperitos potiores duxerit, recipiendos, nominandos, eligendos, et ad loca tempore vitae eorum pro Judicio nostro Supremo Provinciali castris Cracoviensis, banniendo more consveto, temporibus competentibus et locis videlicet de Bochnia et Wieliczka, Ropczyce, et Lipnica, de Myslinice, de Olkusz, de Volbram civitatibus. § Advocatis de Lipnik de Służowa, de Irzmannowice, de Przecznia, de Sandwinan, de Balin, de Czubrowice; Scultetis Majestatis nostrae Regiae de Bodzanow, de Igołomia, de Łapszyce, de Scawina, de Rybna, de Liski, Tiniecensis, de Brzesko, de Honow, Bresen; Abbatis de Lubocza, de Pobiedny, de Cubice, Swerzmen. Praepositi monasteriorum Advocatis, et Scultetis necnon alijs locis. § Scabinis et alijs honestis et circumspicis personis in dicto jure Maydemburgen. peritis, et qui sede Scabinali fuerint digni, quod sint septem in numero semper praesidentes perpetui, et quod septenarius numerus non excedatur, ad quod quidem iudicium nostrum Supremum Provinciale Theuthonice castris nostri Cracoviensis, et Advocatum nostrum, necnon advocatos Scultetos, et alios septem praesidentes eidem nostro iudicio, loco praedictarum provocationum et appellationum quo in Maydemburg prorumpere consueverunt, licitum erit eis ab omnibus Judicibus, Advocatis, Scultetis, Scabinis juratis tam civi-

tatum quam villarum quibuscunque contententibus et litigantibus appellare et provocare et coram eisdem prosequi, finire, et decidere suam appellationem, seu super eisdem, et alias per simplices propositiones sive appellationes jus et sententias postulare, de libris nostris praedictis iuris Maydemburgen. quibus sententijs et juri per eosdem promulgatis auctoritate nostra Regiae Majestatis decernimus veluti legi standum vel tanquam legem observandum. § Nisi aliqui contententium praedictorum duxerint super suis quaestionibus et causis jus melius, et sententias meliores in oppositum ipsorum promulgatorum juris et sententiarum proponendum, eisdem ab ipsis ad Tribunal et solium nostrae Majestatis licebit appellare, et infra tempus dicti juris Maydemburgen. librorum nostrorum a Nobis super eorum provocatione obtinere certos Commissarios, quos volumus et decernimus fore Consules civitatum, unde ipsi appellantes nominaverint alteri parti non suspectos: de qualibet civitate per duos Consules, videlicet de Cracovia, et Sandecz, de Bochnia et Wieliczka, de Casimira et Ilkusz, qui ex nostra speciali commissione decident appellationem, et finem negotij appellationes causae imponent. Et ne praefati Advocatus noster, et alij Advocati, Sculteti, Scabini septem praedicti perpetui praesidentes circa iudicium nostrum et jura praedicta danda laborando dies suos in vanum exponant, et litigantes praedicti laboribus, fatigijs, et expensis more pristino graventur. § Constituimus observandum in antea pro qualibet sententia danda duntaxat per septem scotos, videlicet pro fisco nostro medietatem, aliam praedictis Praesidentibus septem Scabinis, inter ipsos pro labore ipsorum dividendos praeter Notarij salarium, memoria, et privilegiorum literas eorum dandas, de quibus juxta eorum moderationem disponere debent ratione onerum levandas. § De poenis autem dicti iudicij nostri, pro Nobis Advocatus noster quatuor poenas, et quintam pro Scabinis praedictis exigere debet et ut praefati Advocatus noster et septem Scabini, dicti iudicij nostri Supremi eo fortius et cum exacta diligentia iudicio Supremo praedicto et sententijs promulgandis diligentius insistant et continuent. § Ipsos Advocatum et Scabinos Majestas nostra extollere volens, praerogativa favoris et gratiae specialis ipsos eximimus et liberamus ab omnibus exactionibus, tributis, contributionibus, et alijs collectis, laboribus, servitiis, expeditionibus, ad quascunque partes, per Nos et per nostros Successores fiendis et obedientijs quibuscunque tam nostris, quam ipsorum dominiorum, necnon a iudicijs et jurisdictionibus ipsorum Dominorum Castellanorum, Palatinorum, Judicum, Subjudicum, Camerariorum, caeterorumque Officialium Terrestrialium, necnon Advocatorum, Consulium, Scabinorum, et quarumcunque potestatum quibus nulla ratione obediunt neque citati in magnis vel parvis causis coram ipsis comparere et respondere tenebuntur; sed duntaxat cum ad

praesentiam nostram, et per speciale sigillum nostrum citati fuerint, tunc coram Nobis, aut coram speciali Commissario nostro ad hoc deputando respondere tenebuntur jure suo Maydemburgensi, et quilibet eorum respondebit.

Ut autem praemissa omnia robor obtineant perpetuae firmitatis, praesens privilegium de consilio et consensu praedictorum omnium assessorum nostrorum scribi et sigilli nostri Majestatis Regalis majoris appensione fecimus communiri. Actum et datum Cracoviae, anno Domini 1356, in crastino Sancti Francisci. Praesentibus praefatis Archiepiscopo, et Episcopis, necnon Magnificis viris Dominis Jura Castellano, Imramo Palatino, Andrea Judice Cracovien: Wilczkone Sandomirien: Raphaelae Vislicen: Petro Sandecen: Castellanis, et alijs quam pluribus testibus fide dignis. Petitionibus itaque praefatorum iudicum et conservatorum praefati juris Theuthonici supremi benigne inclinati et subditorum nostrorum commodis et profectibus communiti, hujusmodi literas, constitutionem, gratiam et concessionem grata et rata habentes, atque firma auctoritate nostra regali robor ipsis apponimus, et sigilli nostri majoris communitio firmamus, harum tenore mediante. Actum feria quinta post conductum Paschae, anno Domini 1421, Praesentibus Reverendissimis in Xsto Patribus Dominis, Nicolao dictae Gnesnen: Ecclesiae Archiepiscopo et Primate, Alberto Cracovien: Andrea Posnaniensi: Jacobo Plocen: Joanne Chelmen: Ecclesiarum Episcopis, necnon Magnificis validisque viris, Cristino de Ostrow Castellano Cracovien: Sandivogio de Ostrog Posnaniensi: Joanne de Tarnow Cracovien: Nicolao de Michalów Sandomirien: Mathia de Wansosie Calisien: Nicolao de Oporow Lancien: Jacobo de Koniecpole Siradien: Mathia de Łabiszyn Bresten: Joanne de Kościelec Gnesnen: Palatinis, Michaelae de Ciszow Sandomirien: Mistino Posnaniensi: Martino de Clenow, Cristino de Koziegłowy Sandecen: Florianio de Korytnica Vislicen: Joanne de Szczekocin Lublinen: Castellanis, Sbigneo de Brzezic Regni Poloniae Mareschalco, Petro Szafraniec Succamerario Cracovien: Andrea Ciolek de Zelechow Dapifero Sandomirien: et alijs quam pluribus fide dignis nostris fidelibus dilectis. Datum per manus Reverendissimi in Xsto Patris Domini Alberti Episcopi Cracovien: Supremi Cancellarij, et Joannis Decani Cracovien: et Vicecancellarij Regni Poloniae, sincere Nobis dilectorum.

Nos vero Vladislaus Dei gratia Rex praefatus da consilio Consiliariorum nostrorum ad latum nostrum tunc assisten: petitionibus taliter coram nostra Majestate oblati tanquam justis rationabilibus et rationi consonis acclinati hujusmodi literam ratificationis innovatione privilegij praescripti cum contentis in eodem confirmamus, ratificamus, approbamus et innovamus, decernentes ipsam in omnibus suis punctis, clausulis, conditionibus et articulis robor obtinere perpetuae firmitatis per praesentes, harum quibus

est appensum sigillum nostrum testimonio literarum. Actum in insula Cziepel oppido Conin, alias Racze, die Dominico post festum Sancti Stanislai tempore Maij proximo anno Dni 1444 praesentibus ibidem Venerabilibus Magnificis strenuis et Generos's Laurentio de Ederwar Regni Hungariae, Nicolao de Layszoki, Luca de Gorka Posnanien: Hinkone de Pomorzany Terrae Podoliae Palatinis, Nicolao de Zakrzow Mare-

shalco, Creslao de Woyschek de Woyca Dapifero Curiae nostrae, Petro de Szamotoły, Paulo de Sienna, Nicolao de Czesław et Hinkone de Balice Familiaribus nostris et alijs fide dignis testibus circa praemissa. Datum per manus Magnificorum Joannis de Konicpole Cancellarij et Petri de Szczekocin Vicecancellarij Regni Poloniae, sincero Nobis dilectorum.

Finit Vladislaus Poloniae et Hung: Rex.

CASIMIRUS JAGELLONIDES.

STATUTA

CASIMIRI JAGELLONIDIS III.

IN CONVENTIONE PETRICOVIAE

ANNO 1447.

Casimirus Tertius Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae et Haeres Russiae. Ad perpetuam rei memoriam. Ad hoc nos Omnipotens Deus auctor justitiae, dispensator aequitatis et Reipublicae pro sua voluntate directores Regni fastigio licet immeritos voluit sublimare, ut ipsam prosequamur justitiam, aequitatem sectemur, et in Regno ipso Rempublicam dirigamus.

150 Sollicitudine igitur Nobis divinitus concessa, attendentes Serenissimos Dominos Principes, Dominos Casimirum Secundum, et Vladislaum Secundum Genitorem nostrum Charissimum, Reges Poloniae, Divos Praedecessores nostros, jura et constitutiones, Divinam et humanam pariter justitiam redolentes, quibus totum Regnum Poloniae in colloquiorum et judiciorum processu regulatur, ordinatur et regitur condidisse, nec tamen per illa sufficienter omnibus qui in Republica diriguntur providisse, novas constitutiones et jura edita in Generali Petricoviensi Conventione, pro festo S. Bartholomaei Apostoli, anno Domini 1447 celebrata, praesenti matura deliberatione praehabita, laudantibus, approbantibus, et consentientibus Praelatis, Principibus, Baronibus et Nobilibus Regni nostri condidimus, edidimus et promulgavimus. Quas per universum Regnum nostrum Poloniae in Colloquijs, terminisque generalibus, particularibus, et quibuscunque Judicijs Terrestribus de caetero volumus et praecipimus observari et practicari, quarum tenor sequitur et est talis.

De prole relicta post mortem parentum.

Imprimis quidem attendentes, quod plures filij

primogeniti vel seniores parentibus defunctis licenter et sine aliquo metu, vel respectu, substantiam paternam sumptu prodigo effundunt et quae in splendorem et augmentum domus eorum, parentum virtutibus obsequiis, vel meritis collecta fuere mutuo in incontinentia diminuunt taliterque fratres in puerili aetate positi, bonis paternis, quorum eis aequa debetur portio, fraudantur. Quocirca perpetuo statuimus et decernimus edicto, et inviolabili prohibemus decreto, ne filius senior aut primogenitus possit et valeat bona fratrum suorum sub quocunque colore, arte vel ingenio ultra portionem eum tangentem indebitare, vendere, obligare, alienare, dare, distrahere, nisi forte debitorum onus per parentes contractum illud exigeret et exposceret, sed nec pro solutione hujusmodi debitorum licebit sibi aliquid vendere, obligare, aut distrahere, nisi ad id seniorum domus suae accesserit consilium, consensus et voluntas; et pecunia ex venditione proveniens summam debitorum non excedat. Ubi vero parva aut nulla parentum extiterint debita, tenebitur frater senior deductis suis congruis oneribus, impensis et expensis, census et proventus ex bonis provenientibus fideliter ad solvendum hujusmodi parva debita convertere, et omnia residua conservare, inter caeteros fratres aequaliter partienda. Si quid autem in contrarium huic decreto nostro factum fuerit, totum id irritum decernimus et inane, sic enim aequitatis libra servabitur si auxilium largimur imparibus et metum legum pro parvulis insolentibus imponemus.

De his qui furti, aut spolijs crimine infamantur, quomodo se purgant.

151

Licet cuncta jure detestemur scelera, et omne quod iniquum est, Regius horreat auditus, sed ea maxime quae spoliatorum et furum aguntur in republica dolo, arte vel violentia incommoda, nostram contra se incitavere rigidiorum hactenus quo multiplicata est eorum nequitia cen-

stram, et propterea firmamus edicto, ut quilibet cujuscunque conditionis existat, notatus, inculpatus, infamatus de furto vel spolio, teneatur suam innocentiam aequali ordine vel gravitate et testium numero, ac si nobilitatem suam probaturus esset, clarificare et purgare, et demonstrare, alias volumus eum tanquam furem puniendum. Illi autem tantummodo volumus prodesse purgationis beneficium, qui semel aut bis, et ad maximum ter de furti aut spolijs fuerit notatus vel culpatus scelere, eum autem qui quarta vice culpatus fuerit relinquimus legibus plectendum. Purgationem autem hujusmodi facturum, sine turba aut tumultu, cum purgatoribus duntaxat veniat, si qui vero ultra compurgatores suos venire praesumpserint, omnes decernimus honore privatos. Omnium autem de furto vel spolio culpatorum, et contumaciter in primo, secundo, tertio et quarto termino comparere nolentium, bona thesauro nostro infiscamus Regio, mandantes omnibus Capitaneis, ut de illis se nostro nomine intromittant, et illorum realem apprehendant possessionem.

De libertate in fluvijs Regijs.

Inter caeteras Reipublicae curas, sollicitat mentem nostram vehementius, ut singulas Regno nostro damnosas observantias et abusus evellamus, et quae incrementum Reipublicae adjiciunt plantemus. Sane etsi flumina nostra Regni nostri Poloniae, Wisla, Niepr, Styr, Narew, Warta, Dunajec, Wisloka, Bug, Bruki, Wieprz, Tyśmienica, San, Nida, Proсна, et quaecunque alia in Regno nostro consistentia, cum suis alveis Regia nostra sunt, nec possit illa quisquam jure privato vendicare, plures tamen numero obstaculis et sepibus clausierint mercatoribus per illa transitum, pluris aestimantes capturam piscium quam bonum publicum et abundantiam rerum necessariarum, unde solemnem deliberatione praehabita, decrevimus flumina praedicta, et eorum alveos aliunde transeuntibus, infra et sursum, cum quibuscunque nominibus rerum venalium esse debere libera. Et propterea omnes homines cujuscunque conditionis existant, per praefata flumina facientes ascensum vel descensum, cum rebus eorum et mercibus cujuscunque speciei, generis, vel materiei existant, prohibemus occasione qualicumque et signanter ruptionis obstaculorum ad solutionem telonei, vel damni cogi, cum non sepibus, sed retibus piscandum sit. Ubi tamen aliquem obstaculi delectat utilitas, portas cum illo latas faciat, quae transeuntibus liberum praebent navigium. Si quis autem hujus nostrae constitutionis saluberrimae temerarius violator extiterit et aliqua a transeuntibus, quocunque colore vel arte, aut ingenio exigere praesumpserit, jubemus ablata ad integrum restitui et transgressorem sine quavis dilatione, in primo termino conventuum, poena quae dicitur Polonice *siedmnadziesta* per Capitaneum loci volumus mulctari. Jura autem haec praemissa et

152

obstacula nostra Regia, in quibuscunque locis consistant, volumus reservare in hanc constitutionem, a nostris obstaculis inchoari regalibus, ut nulla sit gravis jussio, quae constringit et Principem.

De cassatione teloneorum.

Telonea insuper omnia post mortem Domini Vladislai Genitoris nostri sub quacunque verborum forma qualicumque occasione in terris aut aquis concessa, tanquam Rempublicam graviter laedentia, cassamus, annullamus, et illorum exactionem districte de caetero prohibemus.

De his qui pertinent ad colloquia, ut intersint hic mandatur.

Assidua colloquiorum, sive terminorum generalium celebratio, pacis communis conservatio et cujuslibet dissidij infectivi exclusio est, ad cujus Palatini, Castellani, Capitanei, Judices, caeterique dignitarii et officiales Regni nostri, tenentur tanto diligentius intendere practicam, quanto ad id sunt, ex onere dignitatum et officiorum suorum strictius obligati, quocirca praesenti edicto et auctoritate Regia, omnibus Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Judicibus, Subjudicibus districte praecipimus et mandamus, ut colloquia et terminos juxta vires suas, et tempora in omnibus Terris et districtibus Regni nostri Poloniae, sine aliqua interruptione celebrent, et illis personaliter (nisi forte aliquem gravis langvor corporalis, aut in rebus publicis Regni ardua legatio excusaverit) intersint, nec aliquem nisi in duobus casibus praedictis de absentia volumus excusari.

In quibus nihilominus casibus praecipimus omnibus aegritudine gravatis, aut legatione Regni oneratis, ut locum suum possint, teneantur et debeant, per idoneam personam aliam supplere, et illi vices suas, per literas committere, colloquium integrum esse censemus, proinde ac si principalis interesset. Si quis autem colloquio et terminis generalibus interesse aut in locum suum surrogare personam idoneam neglexerit conveniri eum per illum vel alios, quibus propter absentiam suam administratio justitiae dilata est coram Nobis jubemus, ut nostra sententia et decreto, ad solvendum omnia damna, quae actores ex defectu colloquij, aut terminorum generalium contraxerint, condemnetur.

153

Mercatores non alijs, nisi antiquis transeant vils.

Item prohibemus omnibus mercatoribus, ne cum rebus, et mercimoniis suis audeant per novas vias et loca transire, sed juxta constitutionem divinae memoriae Domini Casimiri Secundi nostri Praedecessoris, antiquas stratas observent, alias omnes decreto huic contravenientes permittimus et decernimus Capitaneo nostro capi, et bona eorum omnia et singula nostro infiscari thesauro.

De his qui cum extraneis faciunt gverras in damnum Regni, sine Regio consensu.

Nonnullorum improba temeritas et audacia suas passiones et injurias ulcisci volentium, gverras execrabiles saepenumero Regno nostro, excitant, et damna procurant immensa, propter quod prohibemus praesenti edicto, ne aliquis cujuscunque status, aut conditionis existat, quacunque lacessitus offensa, aut injuria, vel damno, audeat sine nostro consensu belligerare, aut gverras personis extraneis, aut intraneis movere. Si quis autem contrarium facere praesumpserit, ad damnorum omnium quae Nos, aut nostri subditi propterea contraherent, cum decernimus convictum cogi debere solutionem, si autem plenaria solutio, aut partialis damnorum, propter ejus inchoationem gverrae, Regno aut personis irrogatorum non sufficeret, mulctandum decernimus in corpore.

De his qui telonea absque concessione Regum exigunt.

Item de his, qui telonea per terram recipiunt, depositum est, quod jura eorum coram Regia Majestate requisiti producant, super talibus teloneis si quae habent, et si quis talium telonea exigentium inventus fuerit, jus aliquod non habere, sed propria temeritate ductus, exigebat talia, extunc per praesentis Conventionis decretum bona sua, ubi talia exigebat telonea amittere debet merito pro Regia Majestate confiscanda, contra quos nihilominus Dominus Rex judicium locabit, et praesidentes illi sententiam ferre debeant, juxta dispositionem articuli praesentis.

154 **De pecunia bradata quod ubique in Regno capiatur.**

De minuta pecunia bradata statuimus, ut per universum Regnum capiatur commode, quod pro medio lato grosso novem denarij minutae, et bradatae pecuniae recipiantur, ad latos autem grossos Pragenses qui eos in suis obtinent censibus fiant additiones, secundum cursum communem, inter mercatores currentem. Si autem aliquis praefatam pecuniam minutam recipere recusaverit, si nobilis fuerit, pignoretur per Capitaneum in pecoribus, quoties excesserit, si vero civis aut mercator pro suis mercibus recipere renuerit, merces amittere debet fisco nostro Regio confiscandas, si kmetho, captivetur et turri imponatur. Verum tamen si in ipsa pecunia minuta duo grossi falsi apud quempiam in una marca reperti fuerint, talis marcam ipso facto amittat, si vero in una marca sex grossi de falsa ut praefertur moneta fuerint inventi, capite puniatur.

Statutum insuper est, ut Capitanei ubicunque locorum exactam, et diligentem habeant curam, ut praefata pecunia minuta recipiatur, et contrariantes modo praemisso puniantur; negligentes Capitaneos Dominus Rex punit, tanquam contemptores laudi praefati et decreti.

DE PECUNIA BRACATA

ET PŒNIS EX ILLIS EXTORQUENDIS QUI FALSAM PECUNIAM HABERENT, ET APUD QUOS FALSA PECUNIA FUERIT INVENTA, TAM IN REGNO POLONIE QUAM DUCATU MASOVIAE.

Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, haeres Russiae etc. significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, quomodo agentibus Nobis hic in Piotrkow pro republica Regni nostri Conventionem Generalem, inter caeteras hujus Conventionis ordinationes, super differentia, quae inter Praelatos, et Barones Terrarum totius Regni, unanimiter ordinatum est et conclusum, innitendo ordinationibus, et conclusionibus aliarum Conventionum, etiam Generalium, et ab eis non recedendo. Quod pecunia minuta bradata, indifferenter per totum Regnum nostrum Poloniae, et Ducatus Masoviae, tam pro nostris quam etiam Praelatorum, Principum, Baronum, Nobilium, et cujuslibet status hominum, proventibus, utpote teloneis, exactionibus, contributionibus, censibus, decimis, necnon pœnis memorialibus, arris, seu notis, notariorum resignationibus, item mercibus et singulis rebus venalibus sine contradictione, tam per Nos, seu nostros Officiales, quam etiam Praelatos, Principes, Barones, Capitaneos, Nobiles, et quoslibet Regni Poloniae et Ducatum Masoviae incolas et subditos modo dudum statuto, videlicet novem denarios pro quolibet medio grosso lato computando recipiatur et exigatur. Nisi forte aliquis de jure pro censibus et decimis fertonalibus debeat exigere latos grossos monetae Pragen. quorum quilibet pro eisdem latis grossis pecuniam minutam bradatam, juxta cursum communem, inter mercatores currentem, debet recipere seu exigere, et tenetur sub pœnis infrascriptis. Quicumque Regni nostri, aut Ducatum Masoviae cujuscunque status incola, et subditus, ipsam bradatam pecuniam minutam recipere noluerit, aut contempserit, si Praelatus aut spiritualis persona fuerit, quae pro decimis eandem pecuniam minutam recipere noluerit, decimam pro qua forisavit perdet, quae per Capitaneum, aut Officiales nostros pro bonis recipietur, et pro nostra utilitate convertetur.

Si autem fuerit nobilis, pro primo excessu decem marcas, pro secundo similiter decem; et pro tertio alias decem, pro quarto vero triginta marcas pro fisco nostro solvat, pro quibus Capitaneus in bona sua se intromittat, et teneat eadem ad persolutionem triginta marcarum.

Si vero in civitate aliqua pecunia minuta bradata pro quibuscunque rebus venalibus, sive in hospitijis sive in foro, non reciperetur, extunc ipsa civitas, pro tribus primis excessibus pro quolibet excessu seorsum solvat decem marcas, pro quarto vero excessu solvat triginta marcas pro thesauro nostro Regio convertendas.

Quod si mercator pro mercibus suis quibus-

155

156

cunque et cujuscunque generis aut speciei, eandem pecuniam minutam bradatam recipere noluerit in valore praedicto; videlicet pro medio grosso lato novem denarios computando, aut plures in minuta pecunia quam in mediantibus, pro mercibus suis exigere voluerit pecunias, extunc omnes ipsae res et merces eidem recipiantur, et pro thesauro nostro convertantur.

Item kmetones, pro rebus suis, pecuniam minutam recipere recusantes, et nolentes: pro quolibet excessu in fertone puniantur irremissibiliter ab eisdem exigendo.

Item tabernatores in villis qui pro rebus suis, videlicet victualibus, et pabulis recipere noluerint minutam bradatam pecuniam; pro quolibet excessu quilibet in media marca puniatur irremissibiliter ab eodem exigenda.

Volentes insuper Reipublicae providere, ne habeant malefactores occasionem importandi falsam monetam in Regnum nostrum, statuimus et ordinamus de unanimi praedictorum nostrorum consiliariorum voluntate, quod apud quemcunque cujuscunque status hominem in una marca duo grossi falsi fuerint reperti, ipse cujus marca fuerit, marcam perdet, apud quem sex grossi falsae monetae in una marca inventi fuerint, talis juxta priores conclusiones puniatur.

Inter creditores vero habentes inscriptiones super mediantes, taliter est statutum, quod quilibet talium, pecuniam sibi ante hanc dispositionem inscriptam juxta continentiam literarum suarum libere exigat in moneta, in ipsa inscriptione expressa.

Deinceps vero, non nisi minuta pecunia vel simpliciter marcae monetae et numeri Polonicum, inter creditores inscribantur, et in minuta pecunia quavis debita exigantur et solvantur, duntaxat novem denariis pro medio lato grosso computatis.

Statutum est insuper omni unanimi voluntate; quod Capitanei nostri quorumlibet locorum facere exactam diligentiam tenentur, ut praedicta minuta pecunia recipiatur, et puniant modo praemisso omnes et singulos dispositionis praedictae contemptores, alias Capitanei ipsi nostri praedictam dispositionem introducere, et inobedientes coercere, et punire negligentes, per Nos tanquam rebelles, et mandatorum regalium contemptores, puniantur; datum in Piotrkow, feria quinta proxima post festum Pentecosten, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, sigillo nostro praesentibus subappenso.

Nos vero Praelati, Barones Majoris-Poloniae, Siradien. Lancicien. Cujavien. et Dobrinen, Terrarum in evidentiam consensus et voluntatis omnium praemissorum, sigilla nostra, praesentibus etiam fecimus subappendi.

CASIMIRI TERTIJ

JAGELLONIS FILII STATUTA IN NOVA CIVITATE KORCZYN IN CONVENTIONE GENERALI.

De violentia in judicio commissa.

Ut violentiae et invasiones in judicijis secludantur et viae calumniatoribus amputentur, decernimus: si quis ausu temerario judicium invaserit, et violentiam commiserit in causa sua, quam coram judice habet vel habiturus erit; secundum pœnam statutam punietur, et duodecem septimanis mancipetur, et carceribus recludatur.

De judice inculpato existente qualiter aliae causae judicabuntur necne.

Item si quis contra Judicem quidquam attentaverit, eumque inculpaverit alias *ruszy*, extunc solummodo illa causa in qua Judici derogaverat non debet judicari, aliae omnes causae coram eodem Judice vertentes eo non obstante judicentur.

157

De judicijis quater in anno celebrandis.

Item volumus et decernimus quod Judicia Terrestria quater in anno juxta priorem concessionem et admissionem ad evitandum inanes expensas, et fatigia celebrentur.

De reclamatione terminorum.

Item volumus, quod reclamatio terminorum non debet esse deinceps, nec sit necessaria, sed termini et colloquia partibus assignatis judicabuntur: quia termini et colloquia erunt peremptoria, pro partibus constitutis celebranda.

De terminorum dilatione per infirmitatem.

Item decernimus quod omnes terminorum repositiones seu dilationes inutiles cassentur et minorentur, nam repositio et dilatio terminorum si fieri debet, aliter non fiat, nisi vera infirmitate allegata et ille cujus nomine proposita extitit jurabit cum testibus metertius, et litera Judicis more Terrestri probabit, quod pro illo tempore et die habuit actionem vel terminum pro majori.

De Judicibus personaliter judicaturis pro summis quae non majores sint quam triginta marcarum.

Item decernimus quod Judices et Subjudices propriis in personis et non per Camerarios judicijis tenebuntur praesidere pro summis centum marcarum, triginta marcis extendentibus nullo pacto judicabunt.

De colloquiis judicandis non obstante absentia aliquorum.

Item colloquia assignata ubilibet celebrabuntur, mors et infirmitas aut absentia unius aut duorum dignitariorum ad sedem colloqualem spectantium celebrationem colloqui non debent impedire; defectu vero aliquo ex his imminente habebunt plenam facultatem et potestatem alii dignitarii colloquio praesidentes, in

loco absentium et deficientium alios terrigenas, viros idoneos, legales et possessionatos cum plena potestate surrogandi, qui habebunt plenam potestatem iudicandi tam diu, quousque de defectibus et de absentia dignitariorum provisum fuerit.

De inhibitionibus ad iudicia dari solitis.

Item decernimus quod a modo et deinceps literae jus et iustitiam prohibentes, ingravamen et praeiudicium iustitiam quaerentibus, non dantur nec conceduntur, nisi illis qui in bello fuerint, aut rebus et negotiis Reipublicae intendunt, tempore medio quo huiusmodi onera pertulerunt.

De notis non solvendis ab exactione Regia.

Item volumus et decernimus. ne pecunia sive inscriptionales ab exactione nostra Regia deinceps recipiantur, et exigantur.

De iudicio kmetonis fugitivi.

Item volumus et decernimus ut causae pro kmethonibus fugitivis in iudicio Castrensi coram Capitaneis experiantur, sicut illorum qui recepti fuerint violenter.

De falsariis citationum puniendis.

Item volumus et decernimus quod calumniatores et falsae citationes ac inordinatae locum in iudicij non habebunt, pro quibus qualitate excessus dignitarij iudicio Praesidentes, habebunt facultatem eisdem calumniatores et falsas ac inordinatas citationes offerentes puniendi, corrigendi et mutilandi.

De pretio per Palatinos rebus imponendo.

Item plerumque civitatenses et oppidani, mercatores et artifices, nobiles et advenas per inordinatam venditionem consueverunt gravare et opprimere, ideo statuimus quod Palatinus cuiuslibet Terrae habeat facultatem huiusmodi immoderatam venditionem moderandi: et ad bonum ordinem ponendi et constituendi.

De puniendis decreto Palatinorum renitentibus.

Item si civitatenses et oppidani aliquo decreto in statuto Palatini contrarios et inobedientes se exhibuerint, huiusmodi Palatinus habeat facultatem renitentem suo statuto et ordinationi puniendi, mutilandi, juxta antiquam consuetudinem.

CONFIRMATIO STATUTORUM

DE

ZUPPIS SALINARUM PER DIVUM OLIM SECUNDUM CASIMIRUM MAGNUM EDITORUM PER SERENISSIMUM CASIMIRUM TERTIUM FACTA.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Ne error ob-

livionis gestis sub tempore versantibus pariat detrimentum, alta Regum et Principum decreverunt consilia, ea literarum apicibus et testium annotatione perennare. Proinde Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Magnus Dux Lithvaniae, Pomeraniae, Russiae, Prussiaeque Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis, praesentibus et futuris harum notitiam habituris, quod etsi ex debito Regalis munificentiae, ad omnium subditorum commodum, et profectum oculo considerationis intendere habemus, propensior tamen solertia circumspectionis ad augmentum thesaurorum et proventuum Regni nostri incumbit, ex quibus Regni et subditorum nostrorum commodis debite valeamus providere. Cum igitur zuppae nostrae Bochnen: et Wieliczen: pars notabilis proventuum et thesauri Regni existit, quae hactenus propter nimiam et continuam nobilium et diversarum personarum frequentationem et salis elaborationem in notabili sui parte desolationem et jacturam susceperint, ex quo neque Zupparij, neque sui officiales regimini laboribus intendere voluerint, hospitium curae procuratori intenti, et nisi eis tempestive subveniatur verendum est ne ruinam et jacturam totalem subeant et patiantur. Volentes igitur huiusmodi ruinae et jacturae subvenire, ut circumspecti Principis est, ex praeteritis habere memoriam et intentae considerationis oculum ad futura, et tandem ad singula salubri dispositione procedere, dum omnia prospexerit sapienter. Imitando igitur vestigia Praedecessoris nostri, divinae memoriae Domini Casimiri Regis Poloniae, qui praefatum thesaurum zupparum in capite et in membris, ac omnibus proventibus ordine dispositione, et terminis ordinavit, statuit, et regulavit, atque perpetuis temporibus huiusmodi ordinationem et regulationem tenendam servandam, custodiendam, sub poenis in eis contentis, statuit et definivit. Ne igitur Nos, aut quempiam subditorum nostrorum ab huiusmodi ordinatione et dispositione recedere, aut eidem per ignorantiam contravenire contingat, statuimus et praesenti edicto in robur majoris firmitatis declaramus ipsius Domini Casimiri Regis praefati statuta et ordinationes quae in nostro hucusque servata sunt thesauro, in omnibus et per omnia, secundum regulationem, ordinationem et dispositionem suam debere teneri et observari perpetuis temporibus duraturis, quorum et Nos tenorem constitutionum et articulorum ex certa scientia, et maturo consilio super hoc communicato, in omnibus suis punctis, articulis, conditionibus et clausulis ratificamus, approbamus et confirmamus.

Hoc specialiter addito et expresso, quod omnia salaria et census, tam ecclesiasticis, quam saecularibus personis per Praedecessores nostros in perpetuum, ad tempus, vel ad vitam inscripti ab antiquo, per Zupparios pro tempore solvi soliti, et literae justae et legitimae quomodolibet emanatae, in suo debent persistere robore et firmitate. Ne autem successu temporis, quocumque colore, arte vel ingenio statuta et ordinationes praedictas contingat a quocumque in dubium revocari, et de harum continentia et tenore concipere haesitationem, ipsas praesentibus inserendas duximus et inserimus, quorum tenor sequitur et est talis.

In Nomine Domini, Amen. Nota quod sub anno Incarnationis Domini, 1368, istud praesens regestrum est conscriptum feria sexta post Conductum Paschae in castro Cracov: ad perpetuam rei memoriam, ob reverentiam Dei Omnipotentis, necnon Beatae Virginis Mariae ejus Genitricis gloriosae, necnon ob merita omnium Sanctorum, atque Sanctorum, et ad mandatum Illustrissimi Principis, ac Domini, Domini Casimiri Dei gratia Regis Poloniae, Sandomiriae, Cracov: Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Pomeraniaeque haeredis conscriptum per manus Notarij Domini Demetrij, protunc Vicethesaurarij. Item ob istam causam istud regestrum est compilatum, propter malam consuetudinem perpetuis temporibus evitandam, et ut consuetudo zupparum Domini Regis Casimiri, ac sui totius consilij per suos legitimos successores perpetuis temporibus teneatur, nam idem Dominus Rex Casimirus nihil fecit in registro addere sive minuire, sed fecit regestrum conscribere, et omnes consuetudines diligenter antiquas perpetue notare, prout antiqui Zupparij. Primus videlicet Porinus Gallicus Albertus, qui mensuram minuti salis minoraverunt, Petrus Vinricus Godfridus Gallicus, Dominus Adam Presbyter, et Nicolaus Zupparius tenuerunt. Et hoc propterea fuit factum, quia in emptione zupparum Trukla, Henzel, Buta, Leszko Judaeus, Bartko Monetarius, Arnoldus Welkier, propter remanentias salis in resignatione zupparum ac aliarum rerum ibidem scilicet in zuppis existentium vicissim fortissime litigaverunt, quia nesciverunt in zuppis modum, formam sive consuetudinem, et ob hanc causam fuerunt vocati protunc antiqui Zupparij, videlicet Petrus Vinricus, Dominus Adam Presbyter Godfridus, Nicolaus Zupparius, qui rexerunt zuppas tempore Domini Regis Casimiri, ut modus regiminis zupparum sub juramento eorum perpetuis temporibus teneatur. Item in compilatione hujus registri fuit vocatum consilium Domini Regis, videlicet spirituale et temporale, cui fuit data plenimoda potestas Domini Regis, ut taliter praesens regestrum conscriberetur, propter veram, bonam, antiquam consuetudinem conservandam, ac propter utilitates thesauri dicti Regis, ac suorum legitimum successorum, ac totius Regni perpetuis temporibus debet conservari.

Nomina dominorum spiritualium hoc compilantium regestrum, sunt haec: Primus fuit Dominus Florianus Episcopus Cracov: item Dominus Wilk Cancellarius Cracov: item Zawisza Archidiacon: Cracov: item Janko frater Simkonis Vice-Cancellarius, item

161

160

Bodzanta Procurator generalis; item Dominus Michalko Canonicus Cracov: Protonotarius Domini Regis, item Zimko Notarius Domini Regis; item Joannes Jelukowicz, qui tenuit protunc monetam ad fideles manus cum Leszkone Judaeo.

Nomina dominorum temporalium haec sunt:

Primus Dominus Joannes Melsztyn Castellanus Cracov: item Dominus Neorza Palatin: Cracov: item Dominus Wafroszki Subjudex Cracov: item Mszczyvius de Kuilina Succamerarius; item Dominus Otto de Pilca; item Sviatoslaus Vicethesaurarius; item Demetrius Thesaurarius; item Malocha antiquus Procurator; item Szczepanko Magister murorum.

Nomina antiquorum Zuppariorum, Magistrorum montium, Stigariorum etc:

Primus Czyndel Stigarius, de montibus Kutnis: item Tyczkracz de Tęczyn; item, Bernardus Stigarius de Hungaria; item Stigarius Casimiri: item antiqui Zupparii videlicet Petrus Winrici; item Godfridus Gallicus; item Dominus Adam Presbyter; item Nicolaus Zupparius; item antiqui Zupparij rexerunt zuppas ad manus fideles eis commissas, tempore Domini Regis Casimiri, et illic sub juramento omnem consuetudinem per eos traditam, Dominus Rex Casimirus, cum toto suo consilio videlicet spirituali ac temporali, perpetuis temporibus servandam confirmaverunt.

Item, ad regestrum per Dominum Regem ac suum consilium fuerunt vocati moderni Zupparii confirmandum: primo Trita, item Leszko Judaeus, item Henselburg, item Bartko Monetarius, item Arnoldus Welkier.

Item ad regestrum formandum fuerunt vocati, Vice-Zupparij, Magistri montium, Stigarij ambarum zupparum, qui omnes consuetudines zupparum regendarum sciverunt. Primus fuit Albertus Magister pontium, frater Hanconis de Mienselmicz, item Joannes Paulini Vice-Zupparius de Wieliczka, item Rorezek Carpentarius montium, item Giszko Stigarius de Wieliczka, item Nicolaus Stigarius de Wieliczka, item Czandyc de Opavia Vice-zupparius de Wieliczka, item Penacus montium Magister de Bochnia, item Dominus Joannes Praebendarius de zuppa Bochnen: item Czuffunf Carpentarius montium de Bochnia, item Bulein Magister montium de Bochnia, item Joannes Prokendorff Stigarius de Bochnia, item Kuta Magister montium de Bochnia, item Petrus Verusch Stigarius de Bochnia. Item primo et principaliter, et maxime super omnia Dominus Rex Casimirus cum toto consilio, prius nominatam consuetudinem registri confirmaverunt, quod nullus dominorum sive sit magnus, sive parvus, sive Castellanus, sive Capitaneus, praesumat zuppas visitare. Causam assignaverunt, quia venerat Dominus Neorza Palatinus ante zuppam, et mandavit sibi dari praelibationem, extunc Dominus Rex rescisci irascebatur sibi plusquam ad duos menses ita, quod vix illi venia per dominos fuit impetrata, et sic

162

Dominus Rex sub poena colli, ac bonorum de-
mandat, quod nullus dominorum peramplius prae-
sumat zuppas attentare, nam quando nobiles ad
zuppas veniunt, tunc Zupparius utilitates Do-
mini Regis non potest tam diligenter aspicere
propter impedimentum dominorum zuppas visi-
tantium, ideo statutum est, quod nobiles nun-
quam debeant zuppas visitare, nisi sit prius de
maxima gratia Domini Regis. Item statutum est,
quod nullus Zuppariorum, sub poena colli ac
bonorum suorum, aliquem equum nobilium sive
dominorum, ad zuppas praesumat acceptare, et
ipsum pabulare, exceptis equis Regalibus, ratio-
nem assignaverunt, quia pecuniae Domini Re-
gis in rationibus zupparum, quae proveniunt,
minorarentur. Item statutum est, quod quando
zuppa per Dominum Regem dantur ad fideles
manus, quod nullus Zuppariorum, qui tenet zup-
pas ad manus fideles, praesumat absque licentia
Domini Regis aliquem dominorum ad zuppas
iptromittere, et ei necessaria cum ejus equis et
familia ministrare.

Item statutum est, quod nullus Zuppariorum,
qui tenet zuppas ad manus fideles, non solvat
bancum salis per sectores incisum, nisi per tres
grossos, tragarijs vero non computatis.

163 Item statutum est, quod Zupparius qui tenet
zuppas ad fideles manus bancum per Dominum
Regem donatum Principibus, nobilibus, sive qui-
buscunque personis computatis, non debet aliter
Domino Regi ad rationem ponere in zuppa Wie-
licensi, nisi per quinque grossos: in zuppa vero
Bochnen: per sex grossos, tragarijs et notarijs
cum sectoribus inclusis. Item si Dominus Rex
aliquem nobilem donaverit cum sale centena-
riato, ac thinis, tunc Zupparius qui tenet zup-
pas ad manus fideles, omnes centenarios debet
conscribere, et eos rationistis in ratione enoda-
re. Item si Dominus Rex aliquem Principem,
vel nobilem, vel claustralem, cum minuto sale
donaverit, tunc Zupparius qui tenet zuppas ad
fideles manus, non debet aliter mensuram com-
putare, nisi per quatuor grossos in ratione.

Item sal quod datur nobilibus, sive claustra-
libus per Dominum Regem in thinis, Zupparius
qui tenet zuppas ad manus fideles, non debet
istud Domino Regi computare ad rationem, quia
non est de jure.

Item statutum est, quod nullus Zupparius de-
bet solus sal vendere in depositoryo Cracov: ne-
que aliquis famulus Zupparij, sed Zupparius de-
bet sal vendere mercatoribus salsatoribus, tam
de Cracovia, quam mercatoribus id est civibus
de Wieliczka, et illi cives de Wieliczka debent
habere plenimodam potestatem sal vendendi in
depositoryo Cracovien.

Item statutum est, quod Bochnenses merca-
tores salis habeant plenimodam potestatem, sal
mundum deducere ad partes alienas, videlicet
Masoviam, Russiam et Silesiam, necnon Lithva-
niam, necnon versus Lublin.

Item statuimus, quod cives Bochnen: sive
mercatores salis debent habere plenimodam po-

testatem sal commune deducere ad depositoryum
Cracov: propter pistores panum, et etiam pro-
pter vectores de alienis partibus venientes.

Item statuimus ex mandato Domini Regis Ca-
simiri, quod sal ad Hungariam non debet alio
modo dari, nisi quilibet centenarius per quatuor
grossos in floren: aureis, et floreni alio modo
non debent recipi, nisi per septem scottos gros-
sorum, causa est ista, quia Hungaris concutitur
unus bancus salis, qui valet duas marcas, po-
stea quando concussus fuerit, vix solvet unum
florenum cum medio ad Hungariam, et illud est
damnum zupparum, et illud tangit zuppam Wie-
licensem.

Item statuimus, quod sal, quod datur e zup-
pa Bochnensi ad Czypsensem Terram, quilibet
centenarius debet dari per quatuor grossos in
floren: aureis, et quilibet florenus debet recipi
per octo scottos grossorum. Item si ferrum ad-
ducetur de Hungaria ad zuppas pro sale cen-
tenariato, tunc statutum est, quod quilibet cen-
tenarius ferri per Zupparium non debet alio-
modo recipi, nisi septem scottos. Item statui-
mus, quod homines qui recipiunt ad Hungariam
in zuppa Vielicen: sal centenariatum, et si istud
sal ad Hungariam non deduxerint, sed in gra-
niciebus istud sal vendiderint, extunc equos cum
sale ubi reperti fuerint, perdere debent omni
occasione postergata. Item statuimus, quod si
homines ad Terram Czypsensem sal de zuppa
Bochnen: receperint, et si in Sandecz, vel in
aliis graniciebus vendiderint, eandem poenam
debeant tolerare. Item statuimus, quod quando
equi Domini Regis mittuntur ad zuppam, tunc
Zupparius assumptis equis, pro quolibet equo
debet dare unum coretum avenae, dictum, et de
foeno et straminibus omnem necessitatem et nu-
merum equorum fideliter conscribere.

Item statuimus, quod quando accipiunt equos
Regales ad zuppam, tunc Zupparius tenetur ad
quatuor equos servare unum Subagasonem bene
valentem, et eidem omnia necessaria in victu et
amictu ministrare, et illa fideliter conscribere,
conscripta rationistis enodare, ut illi considerent,
quo summa pecuniae Regalis devenit.

Item statuimus, quod pauperes eleemosynarij,
qui sunt in numero sex in zuppa Vielicensi et
totidem in zuppa Bochnensi, cum pane, qui da-
tur omni die pauperibus post missarum solen-
nia, non debent poni ad rationem, illud enim
est confirmatum propter animas Patris et Ma-
tris Domini Regis Casimiri, necnon aliorum su-
orum Progenitorum, et eisdem pauperibus debet
annuatim tribui conveniens amictus.

Venditio zupparum.

Item statuimus, quodsi fuerint zuppa vendi-
tae per Dominum Regem ac suum Consilium,
tunc ille qui zuppas emerit, debet sal, quod-
quod inventum fuerit, diligenter conscribere, et
illud conscriptum juxta statuta Consilii acceptare.

Item statuimus, quemlibet bancum non aliter a
Domino Rege acceptare in zuppa Vielicen. omni-

164

bus computatis, videlicet capisteriis, cordis ca-
napeis, suberinis, non aliter nisi per quinque
grossos, in Bochnia vero nisi per sex grossos.

Item statuimus, sevi quotquot lapides inventi
fuerint, non debent aliquo modo computari pro
parata pecunia, nisi secundum exigentiam fori.
In minuto vero sale quilibet lapis per sex gros-
sos. Item statuimus, quod ratio laminarum fer-
rearum debet computari quaelibet sexagena per
unam marcam in minuto sale. Item statuimus,
quod cunei ferrei quotquot in zuppis reperti fu-
erint, non debent alio modo computari, nisi qui-
libet medium grossum.

165 Item statuimus, quod cordae suberinae alio
modo non debent computari, nisi quaelibet per
octo grossos. Item statuimus, quod cordae ca-
napeae, alio modo non debent computari, nisi
quilibet lapis per sex grossos. Item statuimus,
quod quilibet Zupparius qui emerit zuppas a
Domino Rege, tenetur tantum reddere de per-
ceptis salis in numero sepi, ac aliarum omnium
rerum quantum assumpsit. Et si post resigna-
tionem zupparum sui regiminis tantum sicut per-
cepit non dimiserit, extunc omnia debet soluere
Domino Regi cum parata pecunia, prout in sa-
le bancato ac minuto, ac aliarum rerum extitit
enodatum.

Item statuimus, quod qui emerit zuppas a Do-
mino Rege, non debet fovere nobiles ac dominos,
prout prius est conscriptum. Causa, ne mala con-
suetudo ex eo committatur.

Item statuimus, quod quilibet Zupparius qui
emerit zuppas a Domino Rege, non debet aliter
dare bancum salis de sex centenarijs, nisi
per alteram dimidiam marcam. Item statuimus,
quod bancum salis de octo centenarijs, Zuppa-
rius suis mercatoribus salis, utputa Regnicolis
non debet alio modo dare nisi per duas sexa-
genas. Item statuimus, quod Zupparius extraneis
hominibus videlicet de terris alienis supra dic-
tis unum bancum salis de octo centenarijs, non
debet in cariori foro dare nisi per duas sexa-
genas. Item statuimus, quod quaelibet marca
iuxta statuta facit sex mensuras minuti salis.
Et hoc fecimus statutum salubre fideliter con-
taxatum, ut emptores salis habeant incremen-
tum, Rex vero plenimodam utilitatem.

Item statuimus ex mandato antiquo Domini
nostri Regis Casimiri, quod si Dominus Rex
aliquem Principem, Nobilem, Claustralem, cum
aliquo banco salis donaverit, Zupparius non
debet aliter computare bancum Domino Regi,
nisi per mediam marcam, mensuram minuti sa-
lis per quatuor grossos, centenarium in Wie-
liczka per sex grossos, in Bochnia per octo,
unam thimam in utraque zuppa per fertonem.
Item statuimus, quod quilibet bancus salis qui
exciditur in Bochnia, alio modo non debet
computari Domino Regi in resignatione zup-
parum, nisi per sex grossos omnibus computa-
tis. Item statuimus, quod quilibet Zupparius,
qui zuppas emit a Domino Rege, in resigna-
tione sui regiminis non debet nec tenetur de

sale bancato plus deducere, nisi trecentos ban-
cos ad depositoryum commune, id est forum
Cracov. Si autem plus deduxerit; ubicunque
reperit fuerit sive in domibus, sive in caver-
nis, sive in stabulis, illud sal totum debet re-
cipi pro camera Domini Regis, et Zupparius
debet omnibus bonis privari, nisi excepto, quod
Zupparius haberet de mandato Domini Regis.
Item statuimus quod quilibet Zupparius, sive
sit ille qui ad fideles manus tenet zuppas, sive
sit emptor zupparum non debet Dno Regi ban-
cum computare, nisi per quinque grossos in-
Wieliczka, in Bochnia vero per sex, sevo, et
omnibus alijs rebus largo modo computatis.
Item statuimus: quod eleemosynarij per Domi-
num Regem Casimirum stabiliti, per Zupparium
qui emerit zuppas, non sint in ratione compu-
tandi. Item statuimus: quod Zupparius qui emit
zuppas, non tenetur plures equos Regales ad
zuppas recipere, nisi quantum in conventionem
zupparum est expressum, et ad illos equos, qui
sunt in emptione expressi, ad quatuor equos
unum famulum realem conservare, et eidem
famulo victum et amictum ordinare, et illa
non debent poni ad rationem Regalem. Item
statuimus: si plures equi Regales ad zuppam
adducti fuerint, quam expressum est in vendi-
tione zupparum, extunc pro quolibet equo, de-
bet dari unus coretus avenae per diarium cum
foeno et straminibus, et illud computari sicut in
foro emptum fuerit. Et pro quatuor equis unus
famulus, et famulo expensas tribuere, et illas
computare septimanatim per sex grossos, et illa
debent poni ad rationem. Item statuimus per-
petuis temporibus, quod quilibet Zupparius qui
emerit zuppas, debet Domino Regi dare neces-
saria omnia, et Dominae Reginae et toti fami-
liae, et pabulare equos, et alia necessaria dare
semel in anno, in utraque zuppa, et Zupparius
tenetur donare Dominum Regem cum centum
florenis aureis, et Dominam Reginam cum quin-
quaginta, et illa non debent poni ad rationem
zupparum. Item statuimus: quod zuppa non
debent remissius vendi, nisi pro decem et octo
millibus marcis: medietas grossorum, medietas
quartensium, sive usualis monetae, sicut sunt
venditae proprio ore per Dominum Regem Ca-
simirum Trutloni, Leskoni Iudaeo Henselburg,
Bartkoni Monetario, et Arnoldo Velkier. Quia
in una septimana fuerat quadruplex mutatio
Zuppariorum, quia unus alium in pecunia su-
peravit.

Sequuntur iura officialium.

Item statuimus iura officialium. Primo Vice-
zuppario datur media marca qualibet septimana.
Item Stigario in Bochnia unus fertio. Item Sti-
gario in Wieliczka septem grossi. Item Pensa-
tori in Wieliczka septem grossi et tertia pars
pensae. Item Pensatori in Bochnia sex grossi
et quarta pars carbariatus. Item in Wieliczka
Carbario septem grossi. Item Procuratori in
Wieliczka septem grossi, et omnes parvae cu-

166

tes. Item Procuratori in Bochnia sex grossi. Item Pincernae duos grossos. Item Vice-Procuratori duos grossos. Item cuilibet Sagittario quatuor grossos. Item Coco quatuor grossos. Item Subcoco duos grossos. Item illi qui lavat scutellas duos grossos. Item Portulano duos grossos. Item Camerario qui sal furatum temptat quatuor grossos. Item Vicethesaurario qui cisticulam portat duos grossos. Item Calefactori duos grossos. Item illi qui tegit mensas duos grossos. Item illi qui silvas custodit quatuor grossos. Item statuimus omnibus praedictis officialibus annuatim dari duplicia vestimenta, videlicet aestivalia et hyemalia et quolibet mense unicuique sotulares. Item statuimus, quod quitationes Principum, Nobilium, Dominorum, Presbyterorum, et cujuscunque conditionis extiterint Zuppario non debent praesentari, exceptis quitationibus salis, quia tunc illas quitationes salis Zupparius tenetur expedire.

Item statuimus, quod Demetrius Vice-thesaurarius omnes quitationes Principum, Nobilium, Dominorum, ac cujuscunque conditionis extiterint, in pecunijs debet expedire, et pecuniam a Zuppario recipere, et ab omnibus Capitaneis, Procuratoribus totius Regni Poloniae et illam ad thesaurum deponere, et eam distribuere, prout sibi Dominus Rex commiserit et demandabit.

Sequuntur jura dominorum in zuppis, quae non debent poni ad rationem.

Item Capitulum Cracovien: debet habere centum marcas. Item Capitulum Gnesnen: debet habere centum marcas. Item Praebendario in zuppa Bochnen: videlicet Sancti Stanislai, quibuslibet quatuor temporibus dantur duae marcae, et non plus, et debet habere unum famulum in montibus, et unum famulum ad altare ministrantem, qui Praebendarius et famulus debent habere vestimentum a Zuppario, unum in anno, et nullum equum in zuppis servare debet.

Item Plebano in Bochnia, datur omni septimana una marca. Item Plebano in Wieliczka, datur omni septimana unus coretus minuti salis. Item Plebano de Collo cellarii dantur quinque marcae, cum octo ulnis panni brevis de thuna. Item Plebano in Niepolomicze dantur annuatim quatuor lapides sevi, et totidem cerae. Item Vicarijs ecclesiae Capituli Cracov: dantur annuatim sexaginta sex mensurae salis minuti. Item Hankoni dicto Steberim de Wieliczka et suis veris et legitimis haeredibus et successoribus, jure haereditario suo pro Magisterio ibidem in Wieliczka super carbaria, damus triginta marcas singulis annis, temporibus perpetuis duraturis, et ista non debent ad rationem poni. Item sal bancatum quod datur Monialibus Vratislaviam. Item sal ad castra Domini Regis, sive bancatum, sive minutum ista omnia non debent ad rationem poni. Item in praesentia totius Consilii Dominus Ioannes Castellanus Cracovien: cum fratre suo Domino Raphaelae haerede de Tarnow monstraverunt quas-

dam literas Magistratus montium in Bochnia, videlicet super montem Cracovien: in quibus literis continebatur, quod deberent habere septimanatim unam sexagenam grossorum, quae literae per Dominum Regem Casimirum, ac totum Consilium omnimode fuerunt annullatae et ideo praecepit Dominus Rex, quod perpetuis temporibus nullus dominorum, debet aliquem censum habere in zuppis, nisi illi qui sunt in registro conscripti, et finaliter per Consilium confirmati, nam illi qui secus fecerint, collo et bonis debent omnimode privari.

Sequuntur jura Succamerarij.

Item statuimus, quod Succamerarius quando Zupparium inthronisat ad zuppas, tunc Zupparius ratione sui officij tenetur sibi dare unum stamen Machlicen: si vero Zupparius stamen non habuerit, tunc loco staminis, debet sibi dare decem marcas.

Item statuimus, quod Succamerarius non debet intrare zuppas, ne ipsas impediatur, sed debet descendere ad hospitium, et necessaria sibi per seniores sectores, videlicet una mensura avenae, octo pulli, sexagena panis, medium quartale carniium bovinarum cum potu debeant ministrari, quia hoc statutum est, ut zuppa per eum non impediatur. Item statuimus, quod Succamerarius nullum hominem in zuppa permanentem praesumpserit judicare et nullum equum in zuppis stabilire, nisi equum sui famuli Camerarij, de tribus marcis, si idem equus servitij zupparum defecerit, extunc Zupparius loco illius equi debet alium ordinare. Item statuimus, quod idem Succamerarius ad festum Sancti Ioannis Baptistae, debet eligere Consules in Wieliczka, et seniores sectores. In Bochnia vero in festo Circumcisionis Domini, et illos juxta jura eorum judicare. Item statuimus, quod nullus sive sit magnus, sive parvus praesumat zuppas impedire, ac eas intrare, nisi tantummodo Dimetrius Vice-Thesaurarius, cum quatuor equis dum venerit pro pecuniis a Zuppario assumendis, sub poena colli, et omnium bonorum.

Sequuntur jura Zupparij.

Item statuimus, quod nullus Zuppariorum de se querulanti debet respondere, nisi coram Domino Rege, dum per ipsius annulum fuerit evocatus. Item statuimus, quod nullus viventium debet judicare familiam zuppae, nisi solus Zupparius.

Sequuntur jura sectorum.

Item statuimus sic volentes, quod in utraque zuppa, videlicet Vielicen: et Bochnen: tantummodo debent laborare sexaginta sectores, qui nominantur in vulgari *solnicy*, famulis hospitalibus inclusis et non plus, causa est ista, quod si plures laborarent montes sale citius evacuantur. Item statuimus, quod iidem sectores debent laborare continue, a festo S. Martini usque ad festum Pentecostes, si autem necessitas fuerit, tunc debent laborare a festo S. Michaelis,

168

lis, usque ad festum praenotatum, et iidem sectores debent obedire Zuppario et Stigario quoties fuerit opportunum. Item statuimus, si aliquis sectorum rebellando, sal suum destruxerit, extunc Stigarius debet eum punire, sibi montes abnegando tamdiu, quousque a Zuppario et Stigario veniam impetrabit. Item statuimus, quod omnes venarios rebelles, quotiescunque crimen commiserint, seu laborare noluerint, extunc idem Stigarius debet eos laboribus destituere, et alios loco ipsorum ad labores ordinare.

Sequuntur jura Magistrorum montium.

Item statuimus, quod Magister montium, non debet aliquem censum habere de zuppis, neque septimanalem, neque annualem, nisi tantummodo famulos, quos ab antiquo in montibus habuit, et eos proprijs pecunijs salariare secundum consuetudinem montium, pecunijs quas et de bipenne acquisivit. Et carpentario montium loco ipsius qui proprijs manibus laborat in montibus, debet dari septimanatim unus ferfo, cum victu et amictu prout caeteris officialibus.

Item statuimus, quod in quolibet monte debent poni duo fornatores pro sale querendo, et illud quod per fornatores in omnibus quatuor angulis acquisitum fuerit, debet obserari cum optimis parietibus salis. Et quando sectores proprijs laboribus fecerint, tunc Zupparius una cum Magistro montium debet eis fornaces cum parietibus largiri, et nulla munera ab eisdem acceptare, quia illud est donum Dei et non Magistri montium. Harum testimonio literarum quibus sigillum nostrum est subappensum.

Ad idem.

Nos vero Sbigneus miseratione Divina Sanctae Romanae ecclesiae tituli Sanctae Priscae Presbyter Cardinalis et Episcopus Cracoviensis, Vladislaus Dei gratia Sanctae ecclesiae Gnesnensis Archiepiscopus et Primas, Ioannes eadem gratia Vladislaviensis, Andreas similis gratia Posnaniensis: Episcopi ecclesiarum. Ioannes de Czynow Castelanus et Capitaneus, Ioannes de Tęczyn Palatinus Cracovien: Lucas de Gorka Posnaniensis: Ioannes de Olesznica Sandomiriensis: Albertus de Male Lancien: Ioannes de Koniecpole Regni Poloniae Cancellarius, Predborsius de ibidem Castellanus Sandomiriensis, Creslaus de Kuroświąki Lublinen: Laurentius Zaręba Siradien: Petrus Skora de Gay Calissiensis, Stanislaus de Ostrorog Gnesnensis, Nicolaus de Osolin Voynicensis, Nicolaus de Urzynow Brestentis, Petrus de Kurow Sandecensis, Hinca de Rogow Rospirien: et Regni Poloniae Vice-Thesaurarius, Nicolaus de Virbiasko Dobrinensis, Gregorius de Branice Radomiensis, Ioannes de Bnin Międzyrzycensis, Nicolaus de Wiśnicze Leopoliensis, Nicolaus de Zakrzow Vislicensis, Stephanus de Oporow Brzezinensis, Petrus de Strykow Junivladislaviensis, Ioannes de Borbka Bieccensis, Albertus de Michow Zavichostensis, Nicolaus de Prochniki Premisliensis, Ioannes de

170

Kurchahniset Haliciensis, Borko de Osieczno Nalensis, Castellani: Nicolaus de Brzezie Regni Poloniae Mareschaleus, Ioannes de Pilca, Barthosius Obulec de Bora Cracoviensis, Nicolaus de Wismutow Sandomiriensis, Thomas de Sobota Lanciciensis, Judices: Petrus Szafranice Cracoviensis, Ioannes de Czarnkow Posnaniensis, Nicolaus Powala de Magnuszow Sandomiriensis, Petrus de Brudzew Calissiensis, Ioannes Kuropatwa de Laakuchow Lublinensis, Michael de Latotki Dobrinensis, Nicolaus Bola Junivladislaviensis, Succamerarij: Ioannes Biczad de Morsko Cracoviensis, Nicolaus de ibidem Sandomiriensis, Nicolaus de Noykow Sandecensis, Vexilliferi: Nicolaus Subjudez Sandomiriensis, caeterique Praelati et Barones et Dignitarij Nobiles et Proceres in hac Conventione Generali Piotrcoviensi congregati innitentes approbationi confirmationique praefati Serenissimi Domini nostri Regis statutorum supradictorum Serenissimi Domini Divae memoriae Regis Casimiri, eadem statuta, quae hic habentur inserta, per omnia approbantes in omnibus punctis, articulis, et clausulis firmiter attendemus, custodiemus et servabimus et nunquam illis verbo aut facto contraveniemus. Unde et sigilla nostra praesentibus jussimus appendi, in robur firmitatis et testimonium omnium et singulorum praemissorum. Actum in Conventione Petricoviae feria quinta infra octavas festi Pentecostes. Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo: praesentibus Dominis supra dictis. Datum per manus Magnificorum Ioannis de Koniecpole Regni Poloniae Cancellarij praedicti Petri de Szczekocin ejusdem Regni Cancellarij nobis sincere dilectorum.

CASIMIRUS JAGELLO

DE PRAEROGATIVIS,

ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS ET JURE CORONANDI REGES.

Casimirus etc. significamus tenore praesentium quibus expedit universis praesentibus et futuris: quod cum inter Terras nostras Regni Poloniae et subditos earum, non modica orta esset differentia, disceptatioque non mediocris foret, de et super Cardinalatu Reverendiss. in C. P. Domini Sbignei Episcopi Cracovien: propter quam etiam Respubl: Regni ipsius dissolvebatur, et complurima incommoda capiebat. Nos tandem talem differentiam disceptationesque prout ex debito regimine nostri tenemur semovere, sedare, complanare, et ipsas Terras nostras ad statum reducere debitum unionis volentes, indicto per Nos super ea potissime parlamento Praelatorum et Baronum Regni nostri praefati, in hoc loco oppidi Petricovien. pro festo Pentecostes servato, de consilio eorundem Praelatorum et Baronum nostrorum per Nos, ita ut sequitur concusum, determinatum, defini-

171

169

tum, et decretum existit. Imprimis autem quod sedes Metropolitana Gnesnensis Domini quoque Archiepiscopi, et Primates sedis ejusdem pro tempore existentes in omni jure, auctoritate, et potestate, praerogativa, jurisdictione, et consuetudine, quas alias ecclesia Gnesnensis ab antiquo supra ecclesiam Cracovien. habuit, et habet: debeat in aevum conservari.

Item statuimus et ordinavimus quod praefatum Sbigneum Cardinalem, et Episcopum Cracovien. omnes et singuli regnicolae cujuscunque dignitatis, status, et conditionis existant, pro vero et indubitato Cardinali tenebunt, et reputabunt, eundemque ipsius Cardinalatus titulo scribent, intulabunt, et nominabunt, scribereque et intulare et nominare tenebuntur, et sint adstricti. Item amodo et de caetero neque Dominus Archiepiscopus Gnesnensis, neque Episcopus Cracoviensis et caeteri Episcopi postulabunt aut petent; sed neque petere debent, aut quovis modo impetrare dignitatem Cardinalatus, aut Legationes Sedis Apostolicae, absque consensu nostro, et omnium Consiliariorum Regni. Caeterum ut quaevis impedita in consilijs pro bono publico fiendis cessent, et difficultates amputentur, firmaque stabilitas consiliorum in Regno ipso nostro permaneat, uterque Praelatorum praedictorum vadant cum caeteris Praelatis et Baronibus ad Conventiones pro tempore statuendas, daturi ad Rempubicam consilia opportuna; sed alter eorum una die, et alius altera die ad consilium veniat et ingrediatur, quem tum Nos vocandum duxerimus: non vocatus vero in hospitio debet remanere et stare, daturus nihilominus ab inde consilia opportuna, super quibus fuerit requisitus.

Quantum ad Coronationes Regum, et Reginarum Regni Poloniae pertinet statuendo decernimus et statuimus, quod nullus alius neque D. Sbigneus Cardinalis ad hujusmodi Coronationem ipsorum Regum et Reginarum se de caetero, et in perpetuum intromittet, et coronabit: praeter Archiepiscopum Gnesnen. pro tempore existentem. Circa quas Coronationes praefatus Dominus Sbigneus Cardinalis habitu duntaxat utetur Cardinalatus; ceremoniis autem uti debet sicut Episcopus Cracovien. prout ab antiquo utebatur, ubi interesse voluerit: quod in sua libera erit voluntate. Regia Majestas nihilominus aut Reginalis taliter coronanda, per Archiep. Gnesnen. atque alios Episcopos coronabitur et coronari debet.

Praeterea hoc praesens decretum in praemis factum, habitum, et conclusum inviolabiliter per partes teneri debet, et irrefragabiliter observari. Qui vero illud servare, tenere et ad illud attendere nollet, sperneret, aut minime curaret: Nos contra talem partem praemissa non servantem, et omnes Consiliarij nostri, atque regnicolae, omnino esse debemus: et non permittere eum propria uti voluntate. In quorum omnium fidem et testimonium praemissorum sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Ac-

tum in Piotrkow in Conve. Gener. feria 5. infra octavam Pentecostes anno Domini 1451.

LITERÆ INCORPORATIONIS

RECUPERATAE A CRUCIFERIS, ET AD CORPUS
REGNI SPONTE REDEUNTIS PRUSSIAE.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, M. D. Lithv. Russiae, Prussiaeque, Culmensis, Kynsburgensis, Elbingensis et Pomeraniae Terrarum Dominus et Haeres. Benignitas Regalis excellentiae nostrae quam illi propitia inspirat Divinitas, et naturalis originalisque praestat instinctus, et si universos justum praesidium nostrum et tutelam expetentes in sinum miserationis et protectionis suscipit, ad illorum tamen profectus defensionem et commoda inclinatur uberius, qui erga Nos et Regnum nostrum tam fervido cordis feruntur affectu, ut calamitates oppressionesque suas hactenus illis regentium tyrannide multifarie illatas, non per alterius, nisi per nostram dexteram credant facilius rescindi, nec cujuscumque throno, quam nostro a quo a priscis temporibus illicita alienatione exciderant, justius posse et regi et contineri, tam superbo et avaro, quam injusto renuntiando imperio. Talium siquidem firma constantia fidesque sincera non solum dignis laudum praeconijs attolli, verum etiam Regalibus meretur et debet beneficiis compensari. Significamus itaque universis tam praesentibus quam futuris, qualiter etsi Praelatorum spiritualium et saecularium, magnificorum, strenuorum, nobilium, militarium, et prudentium, videlicet terrigenarum, civium et universae communitatis Terrarum Prussiae, Culmensis, Kynsburgensis, Elbingensis et Pomeraniae, crebris precibus et legationibus superioribus temporibus fuisset rogati, quatenus ipsos in eorum juribus, libertatibus, immunitatibus et privilegijs, et signanter in unione et liga, per ipsos rite et sincere inita et condita, per Magistrumque et Ordinem Prussiae admissa, ad cujus enervationem et violationem Magister et Ordo variis viis, coloribus et violentiis hactenus usus est, in quorum firmitate vel collapsu foedus pacis perpetuae, cum Magistro et Ordine Cruciferorum S. Mariae de Prussia, per Germanum nostrum Divae memoriae Serenissimum Principem Dominum Vladislaum Poloniae et Hungariae Regem firmatum, subsistentia dependet vel ruina et quod praefatus Magister et Ordo, liga et unione eorum demolita, dirumpere, novaque bella Nobis et Regno nostro inferre destinabant ipsosque militares, et cives injusta secum gerere bella impellebant, manutenere et defendere dignamur: asserentes se jugum oppressionum, cala-

mitatum, et gravaminum, hactenus a Magistro et Ordine cervicibus eorum violenta tyrannide investum, et praefatae unionis et ligae rupturam nullatenus, nisi provisio nostra qui Ordinibus istius fundator, dotator, et patronus sumus, celeriter intervenerit, toleraturos, Nos tamen nullum eorum calamitati praestandum censuimus suffragium, sed parti utriusque reconciliationi pervasimus esse insistendum, ne alere oriens incendium videremur.

Verum cum temporis processu differentia partium adeo crescendo inavesceret, ut Praelati spirituales et saeculares, militares, terrigenae, et cives Terrarum praedictarum, spe extrema destituti, et injuriarum magnitudine pressi, violentis dominis jura et privilegia atque immunitates eorum pro libitu frangentibus, nullatenus sibi de caetero parendum duxerint, sed legibus divinis et humanis innixi, quae injustis dominis scelus et nefas agentibus, nullatenus parendum decernunt, obedientia et subjectione Magistro et Ordini subtracta, Nos per magnificos et spectabiles milites, prudentesque viros, Ioannem de Baysen, Augustinum de Scheve, Gabrielem de Baysen, Nicolaum de Wolkowo Judicem Dirschoven, Laurentium Czeit Culmen. Rhutigerum de Bircken Thorunen. Laurentium Pilgrim Elbingen. Proconsules, Ioannem Call Brunsparien. Gregorium Schwach Crolawgroden. Nicolaum Rodeman de Knypow, Wilhelmum Iordan Militem, et Ioannem Meidburg Gedanenses Consules, ambasiatores et Nuncios suos cum pleno mandato et legatione ad Nos transmissos novis precibus et legationibus sollicitarent, quatenus non jam tantum eorum defensionem, quantum gubernationi et regimini insistere, deditioemque eorum, subjectionem, fidelitatem et perpetuam obedientiam, quam Nobis suo et omnium Praelatorum, spiritualium, et saecularium, militarium, terrigenarum, civium et incolarum universitatis totius Terrarum praedictarum nominibus obtulerunt, suscipere, velut legitimus justus et verus Dominus et Haeres Terrarum praedictarum, ac Terras praefatas ad naturam et sortem suam redeuntes, Regno Poloniae, a cujus corpore, nova et recenti memoria, contra jus fasque sequestratae fuerant incorporare, inviscerare, reunire, appropriare atque consociare et consolidare dignemur: alterius principatum et deditioem, si regimen, si imperium, non tam per eos Nobis delatum quam redditum, abijci contingeret, quaesituri.

Nos superiora cogitatione et animo revolventes tempora, quibus nonnullae ex Terris praedictis per Reges et Principes Poloniae jure legitimo et haereditario possessae, tandem Praedecessori nostro Vladislao Regi Poloniae bello cum finitimis et infidelibus occupato, vi et armis per Magistrum et Ordinem Prussiae abstractae, nunquam juris et proprietatis Regni nostri Poloniae esse desierant, quemadmodum aliquot Sedis Apostolicae Delegatorum, Terras ip-

sas Regno Poloniae adjudicantium, diffinitivae sententiae infallibili concludunt argumento.

Revolventes insuper, Magistrum et Ordinem Prussiae a Praedecessoribus quondam nostris Poloniae Principibus et Dominis ad impugnationem infidelium accersitum, institutum et dotatum, magis fidelium et praesertim eorum Principum, quorum beneficio instituti dotatique erant, quam barbarorum et infidelium impugnationi, contra quos se indefesse militaturos patentibus literis adstrinxerant, vacavisse, Terrasque eorum usurpasse, nec juxta professionem religionis suae, contra infideles Tartaros et Turcas, catholica Regna et Domina infestantes, quamvis eorum crebro expetitur fuisse auxilium, militasse, sed et insuper Reges Poloniae cum Tartaris aliisque infidelibus bella gerentes a tergo invasos, a gerendo bello in praesens et posterum cum infidelibus avertisse, et suspicionem belli ab illis imminentis veritos, potentis distractis, et contra illorum insidias relictis, vacare infidelium impugnationi nullatenus sicut expediebat christiane fidei, potuisse. Quam insuper fragili et fluxa fide erga Clarissimum Genitorem nostrum Dominum Vladislaum Poloniae Regem fuerint, quater per ipsos rupta violataque foedera, totiesque Regno Poloniae per eos illata arma, quibus Regnum Poloniae in suam redigere ditionem destinaverant, nisi cladibus multiplicibus obruti domitque fuissent, nec unquam illis voluntatem Nos et Regnum Poloniae lacessendi, sed facultatem defuisse, petita per illos a Concilio Basilien. et Sede Apostolica, de rumpendo foedere ultimo cum Regno nostro sancito, licentia demonstrat. Silentio tegere non possumus injuriam Magistri et Ordinis Prussiae in exigenda a mercatoribus subditisque nostris data, *funthczol*, quae licet ex foedere exigi a nostris transmarinisque mercatoribus non debebat, si Prussiae mercatores ab illa solvi quoquomodo contigisset, continuata tamen fuit pluribus annis hujusmodi in nostris transmarinisque mercatoribus exactio, Prussiae mercatoribus illius obtinentibus in notabili parte relaxationem.

Portiones et sortes Terrarum Regni nostri Poloniae et Ducatus Magni Lithvaniae, priscis temporibus per Magistrum et Ordinem occupatas, non solum Nobis, Regno Poloniae, et Ducatui Magno Lithvaniae juxta foederis ordinationem, Magister et Ordo Prussiae non restituit, sed insuper plura et ampliora occupavit.

Accedit tristis horrendaeque tyrannidis memoria civium de Chosczo, qui in praeterito bello in fidem Patris nostri concesserant, saeva caedes et trucidatio, quorum a se defectionem, nedum ferro aut mucrone, sed nec aliquo levi verbo aut memoria ullo unquam tempore, se juramento corporali et literis repromiserunt, per foedus ultimo cum illis ictum, et quod solo hujusmodi execrando scelere publice violarunt, mulctaturos.

Quo non contenti, mercatorem Vitum Moszier ex eo quod navigiis per flumen Vistulam

in Cracoviam merces devexerat, capitali damnaverunt sententia, ne memorabilis sui facti exemplum caeteros in sequclam similem traheret, sed potius saeva mulctatio quoslibet deterendo profectum Regni nostri aboleret.

176

His itaque et pluribus aliis evidentibus legitimisque respectibus persvasi admoniti et inducti, communicato cum Praelatis, Principibus, Baronibus, caeterisque Regnorum, Ducatum, et Dominiorum nostrorum consilio ac de eorum, expressa voluntate, approbatione, gratificatione et consensu, ne divinae voluntati, quae haereditatem nostram occupatione illicita solvendam, Nobisque reddendam pia miseratione censuit, videamur resistere, et calamitosis afflictisque subditis nostris opem nostram implorantibus deesse: veritque ne Dominia, sortes et Terras, haereditates nostras alius illicitis occupator tyrannusque, ex quo Nobis hostilitas major consurgeret, invadat; ad honorem omnipotentis Dei ejusque Genitricis Virginis Mariae, S. Adalberti Martyris, S. Stanislai Prothomartyris Poloniae, ac totius Hierarchiae coelestis, praefatorum Praelatorum spiritualium, et saecularium, militarium, civium, terrigenarum et omnium incolarum Terrarum Prussiae, Culmen, Kynsbergen, Elbigen, et Pomeraniae, in Terra marique sitarum, benevolam et spontaneam deditioem, regimen, tutelam, gubernationem, subjectionem, obedientiam, accepimus, assumpsimus, tenoreque praesentium, non per errorem aut improvide, sed de certa nostra scientia et voluntate, in Dei nomine assumimus et acceptamus, Terrasque et Dominia praedicta Regno Poloniae redintegramus, reunimus, invisceramus et incorporamus, et usum, participationem omnium honorum, jurium et libertatum, et praerogativarum, quibus Praelati, Barones et Nobiles Regni Poloniae hactenus potiti sunt, et signanter ad futurorum Regum Poloniae, quotiescunque super Electione et Coronatione illorum fieri deliberationem contingat, Electionem et Coronationem admittimus, annectimus et includimus. Promittentes pro Nobis Haeredibus et Successoribus nostris, ac universo Regno Poloniae, quod praedictas Terras et Dominia, atque Praelatos, spirituales et saeculares, Barones, militares, nobiles, cives, oppidanos et cujuscunque conditionis, status, vel praecminentiae homines existant, hactenus in illis commorantes, et imposterum commoratorios, favore, gratia, benevolentia et affectione Regali prosequemur, et contra quascunque adversitates, impugnationes quorumcunque hominum illis praestabimus, velut fidelibus et subditis nostris, Regalem assistentiam et defensam: nec illos aut Terras praedictas a corpore et integritate Regni nostri Poloniae alienari, sequestrari, scindi patiemur.

Promittentes insuper pro Nobis et haeredibus successoribus nostris, quod praefatos Praelatos spirituales, et saeculares, ac sacras aedes, et ecclesias, Barones, nobiles, et cives, et singulos incolas Terrarum nostrarum praedictarum

Prussiae, in juribus, libertatibus, literis, privilegijs, immunitatibus eorum, quae a Principibus spiritualibus, et saecularibus, Regibus et Dominis Terrarum praedictarum obtinent, conservabimus, fovebimus, defendemus, nec unquam ea violabimus, aut praevaricabimur aut violari vel praevaricari quomodolibet permittemus. Si autem alicui civitati, vel privatae personae privilegium ammissum fuerit, aliud de consilio Consiliariorum Terrarum illarum gratiose dabimus et largiemur, dummodo in haereditatis et honorum quorum a Nobis petetur literalis innovatio petens fuerit in pacifica, continua, et praescriptionem habente possessione. Ut autem nostrae liberalitatis, aequitatis et justitiae dextram, his subjectionis eorum et nostrae acceptationis felicibus dante Domino primitijs sentiant in universos et quemlibet eorum effusam et in mutatione Principum commutatam etiam aut sublata deprehendant oppressionem, datiam quae in vulgari *funthezol*, dicitur. Item omnia telonea in aquis et terra, nova et antiqua observantia, in Terris duntaxat praedictis Prussiae quomodolibet constituta. Item in Terra Pomeraniae exactionem sive datiam, quae portus alias *narzysz* veteri institutione Ducum Poloniae vocabatur, Regia munificentia, tollimus, abrogamus, deponimus, ac solutionem illarum temporibus perpetuis resolvimus, dimittimus et relaxamus, nullo unquam tempore per Nos, aut Successores nostros Reges Poloniae, ex quacunque causa aut occasione instituendam, aut imponendam. Item licet Magister et Ordo tempore occupationis Terrarum praedictarum omnia bona et merces, quarumcunque materiarum divina permissione naufragium in mari passorum, velut propria ex naufragio quasi juris sui facta occupabant, Nos tamen qui Rex catholicus sumus, sortem hujusmodi, naturali et divino jure Sedisquae Apostolicae decreto damnata, velut crudelem et injustam execramur, pollicemurque, quod res et bona cujuscunque ponderis vel valoris existant, earum personarum quae maris naufragio periclitabuntur, nunquam per Nos aut Officiales nostros, velut nostras aut juris nostri petemus aut requiremus, sed illas absque diminutione per eos, quorum ante naufragium fuerunt, aut eorum propinquiores, demonstratione evidenti propinquitatem probantes et in usus convertendas beneplacitos, decernimus colligendas. Contrariae consuetudini, aut juri, vel potius corruptelae pro Nobis et Successoribus nostris renuntiantes, nisi forte, nullus bonorum hujusmodi extaret justus haeres, et successor, quoniam, in casu illo bona ex naufragio habita nostrae potestati volumus subjacere. Item omnes Praelatos, militares, nobiles, cives, et incolas Terrarum praedictarum in jus conditionem et proprietatem Regni Poloniae translatos et invisceratos, hac etiam prosequemur praerogativa, quod dignitates et officia hactenus illic consistentia, et in posterum constituenda. Item castra et tentatas civitatum et locorum in Terris praedictis

177

178.

nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenae juxta observantiam aliarum Terrarum Regni nostri conferemus. Item omnes causas notabiles dictas Terras concernentes cum communi Consiliariorum spiritualium et saecularium, nobilium, et civitatum majorum consilio Terrarum praedictarum tractabimus, terminabimus et diffiniemus. Item Terras praedictas sub nostro regimine, et Regni Poloniae corpore consistentes in suis antiquis gadibus, limitibus, terminisque conservabimus, tuebimur, et defendemus, nec terminos et gades Terrarum ipsarum in aliquo diminui vel periclitari, velut Regni nostri partes individuas ulla tenus patiemur. Item cum Terrae ipsae et homines ipsas incolentes, variis hactenus legibus, sive juribus, videlicet Magdemburgen, et Culmen, Polonicali haereditario et Pruthenico in decidendis quibusvis eorum quaestionibus, et administratione justitiae utebantur, quod etiam illis sub nostro principatu et regimine volumus firmum esse et perenne, ea licentia attributa, ut liceat cuicumque de uno jure in aliud sine tamen aliorum praesudicio quo voluerit transmigrare. Item cum monetae justam, fidelem ligam pondusque habentis cusio Terram quamlibet nobilitet et faecundet: volumus ut in quatuor locis Terrarum praedictarum, videlicet in Thorun, Elblag, Gdańsk, et Kynsberg duntaxat gverra praesenti durante, fidelis et justa, imaginem nostram et subscriptionem tituli nostri continens cudatur moneta, praefatorum Praelatorum spiritualium et saecularium militarium, civium, terrigenarum Terrarum praedictarum impensis, pace autem suffragante Domino habita, tantum in Thorun, et Gdańsk, sine praesudicio privilegii Thorunensis civitatis nostris Regiis cudatur impensis, proviso tamen, quod moneta ipsa in pondere et grano et liga debita nullatenus minuatur. Item quia Nos pro bene gerendis rebus dominiorum nostrorum in varia saepe loca, et a Terris praedictis distantia, necesse est facere descensum, ne igitur per nostram absentiam Terrae ipsae aliquod contrahere possent periculum vel periclitationem; nobiles viros pro illius tuitione et gubernatione de eorum legalitate, fide et merito confisi, ad nostrae duntaxat beneplacitum voluntatis, ac cum consilio Praelatorum, Consiliariorum, civitatum majorum praedictae Terrae deputabimus, ad quos in nostri absentia super quolibet defectu ex eventu habeatur recursus, providentia, provisione, et auctoritate illorum supplendus et emendandus. Item mercatoribus Terrarum praedictarum Prussiae, in Regnum, Ducatum et Dominia nostra venientibus, hanc praerogativam, et libertatem de caetero volumus conservari, ut quoties illos in quacunque loca, civitates, et oppida Regni Dominiorum nostrorum venire cum mercibus eorum, cujuscunque speciei vel materiei existant, contingat, licitum erit eis hujusmodi merces in loca, testudines, et cameras aut tecta, quorum illis libera praestari debet arendatio, deponere, et pro suo arbitrio exponere in venalitate. str-

tasque omnes versus Hungariam, Russiam, Moraviam, Silesiam, Austriam, Saxoniam, Valachiam liberas habeant: depositis tamen theloenis, et stratis antiquis civitatum Regni et Dominiorum semper salvis. Harum quibus sigillum nostrum praesentibus est appensum testimonio literarum. Actum Cracoviae, feria quarta Cinerum. Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto. Praesentibus ibidem Reverendissimis in Christo Patribus et Magnificis Dominis Sbigneo Dei gratia Tituli S. Priscae Presbitero Cardinali, et Episcopo Cracov. Joanne eadem gratia S. Gnesnen. Eccl. Archiepiscopo et Primate ejusdem. Joanne Vladislavien. Andrea Posnaniensi, eadem gratia Episcopis, Joanne de Czysow, Castellano et Capitaneo, Joanne de Tęczyn Palatino Cracoviensi, Luca de Gorka Posnaniensi, Joanne de Oleśnica Sandomiriensi, Petro de Opporow Lanciensi, Nicolao de Scharley Brestensi, Palatinis. Petro de Szamotyły Posnaniensi, Przedborio de Konicpole Sandomiriensi, Castellanis. Petro Szafraniec de Pieskowaska Cracoviensi, Michaele de Lasotki Lanciensi Succamerariis, et aliis quamplurimis generosis et nobilibus fide dignis ad praemissa testibus. Datum per manus Magnificorum Joannis de Konicpole Cancellarij, et Petri de Szczekociny Vice-Cancellarii Regni Poloniae sincere Nobis dilectorum: Relatio Magnifici Joannis de Konicpole Regni Poloniae Cancellarii.

179

RECIPROCA SPONSIO,

QVAM IN D. CASIMIRI POLONIE REGIS VERBA, ORDINES TERRARUM PRUSSIÆ PRO TEMPORUM ILLORUM CONDITIONE FECERUNT,

.ANNO 1454.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Legum Divinarum humanarumque saluberrimae sanctiones, instituta et decreta, quoslibet feudales et subditos jugum subjectionis et obedientiae permittunt excutere, et in sortem regimenque justorum dominorum se conferre, dum rectorum et principantium temeritas, frenis laxatis licentiae, per quaelibet devia et abrupta graditur, et manus non solum iniquas ad irrogandas injurias, sed etiam ad effundendum sanguinem innocentem cruentas immoderata audacia porrigens, quasi apud Deum ultionum omnis-vindictae ratio conquieverit, debacchatur. Sed neque ad culpam contumeliamque justus rerum aestimator retorqueat, sed potius ad providentiae argumentum, si onere oppressionum subditi impulsus, opportuno justoque mutationis remedio, superbum, injustum atque avarum abrogent imperium, et in ditionem potestatemque alterius transmigrant; conditione actionum et temporum facultatem il-

lis subministrante. Proinde nos Praelati, Barones, militares, nobiles, cives, oppidani et incolae Terrarum Prussiae, Culmensis, Pomeraniae et Michaloviensis, status ecclesiastici et saecularis, significamus tenore praesentium universis, tam praesentibus, quam futuris, qualiter etsi superioribus temporibus proavi, avi, et genitores nostri, et tandem nos, graves innumerabilesque a Magistro et Ordine Prussiae pertulisset oppressiones, dum non solum Magister, sed et sui Commendatores, in nos desaeviendo, plerosque ex nobis nullo jure servato capitibus plecterent, alios proscriberent, alios bonis temporalibus multarent, et quod dictu quoque nefas est, conjuges et filias nostratum stupris et adulteriis violentis vitarent, in quosdam ex nobis, ut trucidaremur, ut venundaremur, caperemur, et depectaremur, facultatem conferendo, totque cogebamur recognoscere et profiteri Dominos superbe avareque nobis imperantes, quod Terra Prussiae gessit Commendatores, cum unusquisque illorum plenam principandi et imperandi apud se consistere arbitrabatur potestatem. Qua quidem inflati licentia, obliti professionis, qua contra infideles militare sponponderant, nulla offensa aut injuria provocati, in Reges Principesque Poloniae, quorum beneficio accersiti ad impugnationem infidelium dotatique et instituti fuerant, arma convertebant, foedere primum cum Domino Casimiro, deinde cum D. Vladislao Regibus Poloniae per illos quater firmato, et toties violato Regni Poloniae Terras, nisi cladibus domiti fuissent, decreverant occupasse, cogentes nos ad gerendum secum injusta bella, licet nobiscum nunquam rem integram communicati fuissent, cum illos ad illa obeunda, alienos fines occupandi fames aut livor fastusque non justa causa urgeret: in quibus, clades orbitates, fortunarumque et rerum nostrarum periclitationes illic exceptas tanto majore amaritudine prosequimur, quanto constat nos imperio Praesidium nostrorum coactos, non corporum solum et rerum, sed etiam animarum nostrarum per injustas acies saepius contraxisse discrimen, et capitibus nostris omne scelus injusti belli expiasset, Magistro et Ordine nostras clades magis ex arce spectantibus, quam relevantibus. Verum cum tot mala nullo termino aut spatio videremus finiri, atque nobis posterisque nostris majores calamitates, orbitates, (Magistro et Ordine Prussiae ad rumpendum cum Rege et Regno Poloniae foedus percussum ultimo corporali interposito juramento, a quo se absolvi Concilii Generalis Basiliensis et Summi Pontificis autoritate multiplici instantia expetebant, et bellum de novo gerendum aspirante) parari: ligam et unionem, omnem justitiam aequitatemque redolentem, non quae illis justam potestatem adimeret, sed quae injusta illos bella suscipere, et in nos, absque jure, denudato vacuo uti mucrone, nosque fortunis et rebus spoliare nostris prohiberet, inivimus: hanc cum annis pluribus per nos, Magistri et Ordinis concessu, ac Im-

perialibus privilegiis et confirmationibus desuper dotati habuisset in usu observantia et praxi, tanto ardore, cura et sollicitudine pro illius perpetua abolitione certatim non erubuerunt insistere, ut nos velut ethnicos haereticosque coram Summo Pontifice assererent, et deinde ad Imperiale traherent Tribunal, non quo per abrogationem violationemque hujusmodi nostrae unionis et ligae aliquid commodi aut profectus capesserent, sed ut eo liberius, obstante illis nemine, execranda bella Regi et Regno Poloniae caeterisque finitimis, nostris tandem cervicibus, ut saepe alias accidebat, expianda moverent. Licet autem coram Tribunali Caesareo comparandi nulla nos arctaret conditio vel potestas, cum Imperiali ditioni nunquam nos remur subjectos esse; ut tamen nihil restaret, quo nostra argui posset justitia, et pura quam in his ad pacem reconciliationemque cum Magistro et Ordine gerebamus, intentio, accusati Tribunal hujusmodi accessimus, et anno prope uno exacto, cum personarum nostrarum amplissimo discrimine, in querelis propositionibusque et replicationibus versati, licet causam pluribus justificationibus fundatam haberemus; tantus tamen favor Magistro et Ordini in pronuncianda Imperiali sententia habitus est; ut liga et unio nostra hujusmodi, pro qua omne certamen fuit exortum, inhibitione Caesaris, per nos tanquam jure arbitrario facta, rejecta cassaretur; Magistro nihilominus et Ordine posthaec instantibus, ut in sexingentis florenorum millibus Magistro et Ordini solvendis, adeo Magistro et Ordini obnoxij fuisset, juxta ac si pretio empti essemus, nova Caesarea sententia damnaremur: vigore cujus ad trecentorum ex nobis principalium capitalem traductionem processuros se, et ultionem quamlibet in nobis velut servis emptitijis et obnoxijis sumpturos, terrore publico et clamore disponebant. Quae quidem Caesarea sententia, et ejusdem Magistri et Ordinis Prussiae instantia ultra quoque de nobis extendenda adeo nobis indigna, prout erat, visa est, ut non viris modo sed faeminis, non Catholicis sed Scythis faedum ac intolerabile esset, ad tantam obnoxietatem calamitatemque detrudi.

Tot igitur et tantis pluribusque aliis, quas ut nostro consulamus honori, silentii tegimus velamine, oppressionibus, oneribus, gravaminibus atque injuriis lacessiti, praesertim cum illas videremus in infinitum trahi, et novo genere crescere et augeri, superbo, avaro et injusto praefati Magistri et Ordinis dominio, autoritate et suffragio naturalis et humanae legum, renunciavimus omnem obedientiam fidem et subiectionem illi, et cuilibet eorum subtrahendo. Verum cum Regem et Coronam Poloniae praefati Ordinis, patronum, fundatorem et dotatorem, ac Terras praedictas, videlicet Prussiae, Culmensis, Pomeraniae et Michaloviensis, a corpore et proprietate Regni Poloniae praeter justitiam et aequitatem per vim et arma alienatas, constat extitisse, prisco nostro capiti et primaevio corpori, a quo excide-

ramus. postquam juris nostri esse coepimus, illico nos reuniendos redintegrandosque censuimus, quo amplius liquere possit, renunciationem et subtractionem obedientiae Magistro et Ordini excutiendo tyrannicum jugum et superbum avaramque praesidium. per nos factam, non solum vendicationem libertatis, sed justum principatum, imperium et solium quaesivisse. In hunc itaque morem ad Serenissimum Principem D. Casimiro Dei gratia Poloniae Regem, Magnum Ducem Lithvaniae et Haeremem Russiae, et Coronam Poloniae, in quos jure divino et humano praefatarum Terrarum haereditatem et omnimodam successionem comperimus devolutam, solennes nostros nuncios, videlicet magnificos, nobiles et prudentes Dominos, Joannem de Bayzen, Augustinum de Schewe, Milites: Gabrielem de Bayzen, Nicolaum de Wolkow Judicem Derschoviensem, Laurentium Czeit Culmensem, Rudgerum de Bircken Thorunensem, Laurentium Pilgrim Elbingensem, Proconsules: Joannem Kal Brunsbergensem, Georgium Schwach Konigsbergensem, Nicolaum Rodman de Kniphoff, Gvilhelmum Jordan militem, et Joannem Naydeburg Gedanensem, Consules, cum plena facultate transmissimus, ac suae Majestati, et in suum Regalem thronum, solium, ditionem, et potestatem Terras praedictas Prussiae, Culmensis, Pomeraniae et Michaloviensis, et quascunque alias annexas, in terra vel mari consistentes, personas nostras, castra, fortalitia, civitates, oppida, villas, res et fortunas nostras, quae hactenus in nostra potestate sunt, et in futurum erunt, dedidimus et subjecimus, et praesentibus voluntarie et spontanea damus perpetuo, et subijcimus, ipsumque D. Casimirum Regem Poloniae pro unico justo et legitimo Domino et Haerede suscipimus et recipimus et acceptamus, ac nos et Terras praedictas in jus, sortem, proprietatem et titulum Coronae Poloniae redintegramus, reunimus, incorporamus et invisceramus, omnium privilegiorum, libertatum, praerogativarum Regni Poloniae usum et participationem, et signanter communem cum aliis regnicolis futurorum Regum Electionem et Coronationem habituri, ipsaque deditionem, subiectionem, susceptionem et obedientiam iterum atque iterum profiteamur, et innovamus, subijcientes nos Terrasque praedictas in perpetuam praefati D. Regis, et suorum Successorum et Regni Poloniae ditionem, gubernationem, protectionem, potestatem, fidem, imperium et regimen: promittentes pro nobis, haeredibus et successoribus nostris, sub fide et honore ac onere per nos praestiti juramenti, quod praefato Illustrissimo Principi D. Casimiro Poloniae Regi et ejus Successoribus Regibus Poloniae, velut fideles et subjecti, quemadmodum caeteri ejusdem Regni incolae, parebimus, auscultabimus et obediemus, fideliter et constanter, perpetuo et in aevum, juribus nostris semper salvis; in ipsiusque D. Regis et suorum Successorum Poloniae Regum ditione, potestate, gubernatione, subiectione, imperio et regimine ab hac

hora et in perpetuum perdurabimus et consistemus, nec ullo tempore nos a Corona Poloniae, cujus sumus corpus individuum, scindi, sequestrari, aut alienari permittemus, aut consentiemus. Promittentes praefato D. Casimiro, Regi et suis Successoribus Regibus Poloniae, in omnibus felicibus adversis, et quibuscunque casibus, ope, praesidio, consilio et auxilio, fideliter, contra quoscunque eorum hostes et adversarios, et quascunque personas ecclesiasticas vel saeculares, quascunque praefulgeant dignitate, communitates, universitates et signanter contra Magistrum et Ordinem quondam Prussiae, Almaniae et Livoniae, fideliter, corpore, animo et rebus, et cum effectu assistere, et bonum, utile, commodum, honestum, ejusdem D. Casimiri Regis, et suorum Successorum Regum Poloniae, juxta vires et potentias nostras extremas, efficere, dirigere et procurare: Nec unquam quocunque colore, arte, necessitate, casu, opportunitate vel ingenio, praefatum D. Casimirum Regem et suos Successores Reges et Coronam Poloniae deserere, aut in praesudicium, laesionem aut offensam praesentis subiectionis et deditionis nostrae, cum Magistro et Ordine olim Prussiae, et Magistris Almaniae et Livoniae aliquos tractatus, reconciliationes, inscriptiones, amicitias, foedera, colloquia vel sermones, absque ejusdem D. Casimiri Regis Poloniae speciali licentia vel consensu, inire per se vel quascunque submissas personas, directe vel indirecte, palam vel clandestine, absque dolo et fraude, sub fide et honore. Cui quidem Serenissimo Principi, Domino Casimiro Regi Poloniae, quamprimum feliciter Terras Prussiae aut Pomeraniae ingressus fuerit, ad suam requisitionem, plene praestabimus, praestareque nos adstringimus, fidelitatis, subiectionis et obedientiae, perpetuo corporali interposito juramento, homagium. Et quod jam in personis praefatorum Nunciorum nostrorum praestitisse nos fatemur et recognoscimus, et praesenti nostra inscriptione pro firmitate ampliori facimus et praestamus. Actum et datum in Thorun, feria secunda proxima post Dominicam Ramis Palmarum. Anno Domini millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo quarto.

PRIVILEGIUM

D. CASIMIRI REGIS,

QUOD TENUTAE CIVITATUM ATQUE LOCORUM, NUL-
LIS EXTRANEIS, SED VERIS INDIGENIS CONFERRI
DEBEANT.

ANNO 1454.

Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque Dominus et Haeres, etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis. Quod dum ex pluribus evidentibus et legitimis respectibus, Terras

Prussiae, Pomeraniae, etc. communicato Principum, Praelatorum, Baronum, caeterorumque fidelium novissime Cracoviae Nobiscum existentium Regni, Ducatum et Dominiorum nostrorum consilio, voluntate et consensu in regimen, tutelam, gubernationem, subjectionem et obedientiam accepimus et assumpsimus, hanc ipsis praerogativam concessimus: quod castra, civitates et quaecunque fortalitia, in Terris praedictis existentia alicui extraneo aut forensi conferre non debemus. Ad praesens tamen certis respectibus moti, certa castra in praememoratis Prussiae Terris existentia, nonnullis personis, contra hujusmodi articulum superius expressum, durante praesenti guerra, et interim, quoad Terras Prussiae non pacificabimus, dedimus contulimusque in regimen, tenutam et gubernationem. Ideo praesentibus in verbo nostro Regio spondemus et promittimus, quod pace Domino suffragante habita, praescripta castra, taliter per Nos in hactenus hujusmodi personis, in regimen et tenutam collata, juxta tenorem et continentiam literarum nostrarum Cracoviae Terris Prussiae concessarum, illis conferemus, quibus conferri debent. Et quod etiam praescriptis literis, in omnibus earum punctis, conditionibus, clausulis et articulis per hoc non intendimus, neque volumus in aliquo derogare, sed ipsas sanas, salvas, firmas et illaesas per Nos et Successores nostros perpetuis temporibus tenere et observare pollicemur per praesentes, harum quibus sigillum nostrum praesentibus est appensum testimonio literarum. Et nos Joannes Vladislavien. Andreas Posnaniën. Dei gratia Episcopi: necnon Lucas de Gorka Posnaniën. Stanislaus de Ostrorog Calissien. Petrus de Oporow Lancicien. Nicolaus de Kościelec Vladislavien. Palatini. Petrus Skora de Gay Calissien. Joannes de Czarnkow Gnesn. Hincza de Rogow Siradien. Castellani, et Vice-Thesaurarius, Petrus de Szczekociny Vice-Cancellarius Regni Poloniae, Derslaus de Rithviani Rospierien. et Nicolaus de Łabyszyn Vladislavien. Castellani etc. praescriptas Serenissimi Domini nostri Regis promissionum literas ratas et gratas habentes praesentibus promittimus, quod ipse Serenissimus Dominus noster Rex, omnia superius expressa firmiter et inconcusse, inviolabiliterque tenebit et observabit, et pro majori firmitate sigilla nostra etiam praesentibus sunt appensa. Actum et datum in Thoruñ, feria secunda Beati Joannis Baptistae, Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto.

LITERAE

FEUDI ET HOMAGIJ,

DUCI OŚWIECIMENSI, ET ZATORIENSI.

In Nomine Domine, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Casimirus

Dei gratia Rex Poloniae M. Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, etc. Dominus et Haeres, notum facimus per praesentes nostras literas omnibus et singulis quibus expedit. Quod veniens ad praesentiam nostram praeclarus D. Venceslaus Dux Oświecimensis et Zatoriensis. etc. Frater noster dilectus, cupiens et petens Regno nostro uniri et incorporari, literas et privilegia quorundam Regum Bohemiae in praesentia nostra posuit et ostendit, quatenus ipsum, ipsius Successores in eisdem privilegijs et in alijs libertatibus conservaremus, et confirmaremus, in protectionemque et tuitionem nostram ac Regni nostri reciperemus, prout ipsum ipsiusque Successores Antecessores Reges Bohemiae tenebant et tuebantur. Nos vero privilegijs ipsius visis, et sufficienter examinatis tanquam justis et rationi consonis, tum et petitioni ipsius acclinati attendentes ipsius liberum accessum et unionem ad Nos et Regnum nostrum, ipsum D. Venceslaum Ducem Oświecimen. et Zatorien. in nostram et Regni nostri tuitionem et protectionem recepimus, et recipimus, ac privilegia per Reges Bohemiae sibi et suis Antecessoribus data et concessa confirmavimus et confirmamus. Insuper et a juribus nostris feudalibus quomodocunque ad Nos spectantibus, et pertinentibus; a bello dum et quando expeditio bellica fieret et contingeret aliarum Terrarum Regni nostri, a contributione seu datia omni in quam Terrae Regni nostri consenserint ex quacunque causa seu modo, caeterisque servitijs et gravaminibus quocunque nomine vocantur seu in futurum vocabuntur, tam de persona, quam de bonis mobilibus et immobilibus liberum fecimus, dimisimus, et in futurum facimus, et dimittimus. Etsi quispiam habens bona in praedicto Ducatu ab obedientia Domini Ducis Zatorien. se subtraxerit, et ad Nos recurrerit talem non suscipiemus, neque defendemus, sed remittimus et compellemus eum ad obedientiam D. Ducis Zatorien. Etsi aliquando aliquis nobilium aut plebeorum de eodem Ducatu Zatoriensi ad nostrum vel Regni nostri judicium provocaverit et appellaverit: sic provocantem et appellantem non admittemus ad nostram audientiam seu judicium, sed remittimus, et in futurum mandamus remitti ad eundem Ducatum Zatorien. ut ibidem in omni negotio per subditos praedicti Domini Ducis justitia petentibus administretur et generaliter ipsum D. Ducem, et ipsius Successores tum et Ducatum Zatorien. seu dominium in omnibus juribus et privilegijs conservamus, et in perpetuum volumus conservari, quae ab antiquo ad ipsum, et dominium ipsius pertinebant et spectabant. In cujus rei testimonium etc.

CASIMIRUS

DECLARAT A CONTRIBUTIONIBUS NOBILITATEM
LIBERAM

AD CHOYNICE ANNO 1455.

Casimirus etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: quomodo Magnifici, Generosi, et Nobiles Terrarum nostrarum, Majoris-Poloniae, Siradiae, Lanciciae, et praesertim Cujaviae sincere et grate Nobis dilecti, Nobis subsidium fertonum, sponte, et de bona ipsorum voluntate, non inviti, nec quocunque per Nos coacti, sed ad petita nostrae Majestatis, et pure considerata nostra, et Regni nostri magna et ardua necessitate, dederunt. Quam solutionem fertonum, non de jure nec quovis alio modo, nisi (ut praemittitur) spontaneam recipimus: et loco eorundem fertonum Nobis datorum promittimus verbo nostro Regio, a festo S. Martini Confessoris, et a data praesentium, post unum annum venientem, ad sex annos continue sequentes, de Terris praedictis, exactionem fermalium, seu *Poradnie*, alias *Krolestwo*, se non recipere: sed loco istorum fertonum, Nobis taliter datorum, anno quolibet, de quolibet laneo duos grossos defalcari, et excutere. Demum promittimus, tales fertones, aut hujusmodi inconsuetas solutiones, ab ipsis expetitas aut datas, non in sequelam trahere: aut eorum privilegijs, et munimentis, per hujusmodi solutionem in aliquo derogare: sed ipsas Terras, et praesertim Cujaviae, circa jura et munimenta, privilegia, et ipsorum jurium confirmationem, Praedecessorum nostrorum et nostra, ac antiquas et bonas consuetudines (prout in suis punctis, clausulis, ac articulis latius continentur) gratiosius conservare: harum, quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio literarum. Datum in loco campestri exercituum nostrorum, circa Choynice, feria sexta ante omnium Sanctorum: anno Domini 1455.

VENDITIO

DUCATUS OŚWIECIMENSIS,

REGI POLONIAE CASIMIRO.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Ne temporum labentium cursus rerum gestarum memoriam secum rapiat, et illas oblivionis errore confundat, mentibus humanis illud Divinitas inspiravit, praestititque remedium actiones ordinationesque humanas per temporis lapsum perituras, et venditionum emptionumque contractus, ne a posteris revocentur in dubium, constans apex roboret literarum et fides testium jugiter renovet et confirmet. Proinde Nos Janussius Dei gratia Dux et Dominus Oświecimensis, significamus tenore praesentium quibus expedit uni-

versis et singulis, praesentibus et futuris, publiceque recognoscimus et fatemur. Qualiter matura deliberatione cum Illustribus fratribus nostris, Baronibus et Consiliarijs nostris praehabita, etiam in optima valetudine constituti, nullo dolo, fraude, aut ingenio seducti, nec per errorem aut improvide, sed de mera et spontanea voluntate Ducatum nostrum et Terram nostram Oświecimensem quae portione paterna Nobis obvenit, Sereniss: Principi et Domino Dno Casimiro Dei gratia Regi Poloniae, Magno Duci Lithvaniae, haeredi Russiae et Domino Prussiae Regnoque suo et Coronae Pol: pro quinquaginta millibus marcarum latorum grossorum Pragensium numeri Polonialis; quadraginta octo gross: in quamlibet marcam computando, (quae quidem quinquaginta millia marcarum latorum grossorum ab eodem Dno Casimiro Rege et Corona Pol: Nos integraliter et effectualiter in pecunia parata et numerata pro hujusmodi Ducatu tulisse et levasse, et percipisse praesentibus recognoscimus et profitemur) vendidimus, praesentiumque tenore vendimus, et venditione perpetua et irrevocabili praefato Serenissimo Principi et Domino Domino Casimiro Regi et Coronae suae Poloniae de illo cedimus, et ipsum resignamus et inscribimus, cum omnibus et singulis dicti Ducatus et Terrae Oświecimen: castris, fortalitijs, civitatibus, oppidis, villis, teloneis, censibus, proventibus, utilitatibus, fructibus, servitijs, homagijs, allodijs, exactionibus, collationibus, jurepatronatibus, culpjs, emendis, piscinis, molendinis, lacubus, agris, pratis, sylvis, borris, venationibus, aucupationibus, mellificijs, pascuis, rubetis, mericis, fluvijs, torrentibus, aquarumque quibuslibet decursibus, montibus, fabricis, ferrifodinis, plumbifodinis, auri et argenti, aeris et cujuslibet metallifodinis, monetis, judicij et bannis, seu inhibitionibus venationum, et poenis inde sequentibus, consuetudine, vel de jure utilitatibus, honoribus, conventionibus, honorantijs, feudis, feudatarijs, vasallis, vasallarijs, nobilibus, rusticis et plebejs, hominibusque habitantibus et habitaturis, cum potestate ibi mercata publica et nundinas celebrandi, faciendi, datias, pedagia, gabellas et alia omnia onera realia et personalia, ordinaria, extraordinaria, atque mixta, quocunque nomine nuncupentur imponendi exigendi et exigi faciendi, cum mero et mixto dominio, supremo et infimo, omnimoda jurisdictione, plena gladii potestate, et exercitijs eorundem, cum universis alijs utilitatibus quae ibi hactenus sunt, et in posterum naturaliter aut industria humana fieri poterunt, quibuscunque nominibus aut cognationibus vel vocabulis nuncupentur, prout idem Ducatus et Terra longe, late, et circumferentialiter in basso et plano; in gadibus et limitibus et terminis est distinctus, cum omni jure Ducali, dominioque mero et mixto, supremo et infimo, titulo et proprietate prout eandem Terram et Ducatum Nos et nostri Praedecessores tenuerunt et habuerunt, nihil Nobis aut nostris

Successoribus cujuscunque dominij, juris, feudi superioris et proprietatis, tituli et memoriae in eodem Oświęcim: Ducatu quomodolibet reservando, per dictum ipsum Casimirum Regem et suam Coronam Poloniae, suosque Successores Reges Pol. habendum, tenendum, possidendum et ad usus suos beneplacitos convertendum; renunciantes publice et per expressum omni juri, titulo, feudo, dominio et proprietati, quod hactenus illic habuimus et Progenitores Antecessoresque nostri habuerunt, pure simpliciter et de plano, et sine aliqua conditione jus, titulum, dominium, proprietatem, atque feudum dicti Ducatus et Terrae Oświęcimensis, eidem Serenissimo Principi Domino Casimiro Regi et suae Coronae Pol: resignantes, absolventes, omnes et singulos Barones, Nobiles, Scultetos, cives, oppidanos et kmetones, incolas et singulas personas ecclesiasticas et saeculares quocunque nomine censeantur, aut quacunque dignitate vel conditione praefulgeant praefati Ducatus et Terrae Oświęcimensis a nostra obedientia et feudo, juramento et fidelitate, ac obligatione eosdem Barones et Nobiles, Scultetos, cives et oppidanos, kmetones et incolas, personasque spirituales et mundanas eiusdem Ducatus in obedientiam, feudum et utilitatem praedicti Serenissimi Domini Domini Casimiri et sui Regni ac Coronae Poloniae subjicimus et supponimus per praesentes. Et ne inposterum dubitari quomodolibet possit, quo jure, titulo et conditione, castra, civitates, et oppida atque villae in dicto Ducatu et Terra Oświęcim: consistentia per Nos eidem Serenissimo D. Domino Casimiro Regi et suo Regno ac Coronae Poloniae venditae et resignatae et subjectae sunt, conditionem eorum pro futura memoria duximus praesentibus exprimendam. Imprimis quidem fatemur, quod castra principalia Oświęcim, et valentes hujusmodi Ducatus, et Terrae praedictae eum duabus civitatibus seu oppidis, videlicet civitas ipsa Oświęcim cum teloneo et molendinis, et Kanthi cum teloneo et molendinis necnon villae Bielany, Lauki, Babicze, Lipnik, Osiek, Brzeskie, Monowice, et Dwory, sunt esseque debent de mera proprietate, titulo atque dominio praefati, Domini Casimiri Regis et sui Regni ac Coronae Pol. Quoniam cum praefata castra, civitates et oppida telonea atque villae nulli alteri nisi Nobis sunt censuales et obnoxiae ac subjectae, praefatus etiam Dominus Rex cum omnibus pertinentijs, appendentijs, et emolumentis ea possidebit. Item recognoscimus et publice profitemur, quod etsi villae Polanka antiqua, nova Polanka, Włosienica, Poramba, Grodziec, Sparowice, Nidek, Witkowice, Głabowice, Bulowice, Czance, Malec, Czacuga, Nowawieś, Rociny, Sbroskowice, Brzezinka, Raysko, Franciskowice, Przeciessyn, Skiedziey, Witkowice, Wilamowice, Helcznarowice, Bnyakow, Dzwekosse, Miklussowice, Pissarowice, Halcnow, Biertolowice, Komorowice, Zebraca, Restwina, Rabkowice, Starawieś, Janusowice,

Tharmassy, et aliae omnes in praedicta Terra Oświęcimensi consistentes per certos terrigenas et nobiles Ducatus praedicti teneantur et inhabitentur. Quia cum Nos et Progenitores nostri supremum jus Ducale fere in illis omnibus habuimus, caeterosque census, tributa, labores, servitia et obventiones ex illis jure nostro Ducali percipiebamus: unde etiam villas praedictas in signum altioris firmitatis cum omnibus censibus, proventibus, et oneribus eisdem, Domino Casimiro Regi et Coronae Poloniae resignamus, et eisdem renuntiamus. Item omnes literas, privilegia, munimenta, inscriptiones, obligationes, contractus, et quascunque scripturas, quas Nos vel consanguinei fratres, aut successores super dicto Ducatu ejusdem titulo et proprietate et dominio habemus, habuimus, vel habebimus, quae in derogationem, vel laesuram juris, proprietatis, tituli et dominij praefati, Domini Regis et sui Regni ac Coronae Poloniae in dicto Ducatu Oświęcimensi et praesentis nostrae resignationis vergenda, vel quomodolibet facienda, et quae Nobis aut fratribus, vel consanguineis nostris possent prodesse, et dicto Domino Casimiro aut Coronae Poloniae obesse annullamus, cassamus, extingvimus et mortificamus, easdemque nullius decernimus et profitemur roboris vel momenti, suspectasque et vitiosas declaramus. Item ut hujusmodi nostra venditio et resignatio praefato Domino Regi et suo Regno et Coronae Poloniae de dicto Ducatu Oświęcimensi facta juxta desiderium cordis nostri funiculo multiplici roborata, perpetua, atque pacifica, nullum futurae litis, inquietationis, aut dubietatis habens respectum perseveret, promittimus, spondemus, Nosque verbo Ducali circa fidem nostram et honorem sine dolo et fraude catholica promissione adstringimus, et obligamus, quod venditionem et resignationem nostram de dicto Ducatu et Terra Oświęcimensi per Nos ut praemittitur dicto Serenissimo Principi D. Casimiro Regi, et suo Regno ac Coronae Poloniae factam Illustres Principes Domini Venceslaus Zatorien: Premislaus Thoslen: germani nostri Duces, omnesque consanguinei nostri, affines, et proximi gratam, ratam, firmam habebunt, tenebunt, nec in aliquo directe vel indirecte quaesito colore, occasione hujusmodi venditionis et resignationis contravenient, aut eam impedient quovis modo Nosque praedictum Serenissimum Regem et suum Regnum ac Coronam Poloniae ab omnibus impedimentis, litibus, molestationibus, perturbationibus, infestationibus, offensis et injuriis tam a praefatis Dominis Venceslao et Premislao germanis nostris, quam ab omnibus consanguineis et proximis nostris, et a quacunque persona cujuscunque conditionis existat, et quacunque fulgeat dignitate, spirituali sive saeculari a quibus occasione praefatae nostrae venditionis resignatio et contractus praefati Ducatus et Terrae Oświęcimensis, ipse Serenissimus Dominus Rex et Regnum ac Corona Poloniae laesi, molestati, perturbati, offensi, et

CONSTITUTIO

CASIMIRI REGIS TERTIJ,

DE PROFECTIONE BELLICA IN CONVENTIONE PETRICOVIENSI GENERALI, SABBATHO POST FESTUM S. ANDREAE APOSTOLI, ANNO 1457 EDITA, PER QUAM DATUR ARBITRIUM, DAMNA PASSIS, EXCOMMUNICANDI JUDICES PRO INJUSTITIA.

In Nomine Domini, Amen.

Casimirus Dei gratia Rex Poloniae. Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Dominus et haeres. Universis et singulis Capitaneis Regni nostri, tam generalibus, quam particularibus, quibuscunque Terris et districtibus praesidentibus, gratiam et benevolentiam Regalem. Magnifici Generosi et Nobiles fideles nostri dilecti. Quamquam felicitis recordationis Casimirus Rex Poloniae Praedecessor noster, cum pluribus hostibus Regni sui, per tempora multa, bella, expeditiones habuerit, fecerit, tenerit, et egerit, nunquam tamen tempore felicitis sui regiminis Regni per bellatores, tot et tam gravia damna, pericula, sacrilegia, effractiones bonorum ecclesiae et monasteriorum fuerunt et sunt commissa, quod et quam gravia tempore nostri felicitis regiminis Regni, quod dolenter referimus, fuerunt, et sunt commissa, et perpetrata. Statuerat enim etc. *vide supra fol. 112**) usque ad omnimodam damus et committimus tenore praesentium facultatem.

Quodsi vos aut aliquis vestrum, in exhibenda justitia, injurias aut damna passis, postquam per eos requisiti fueritis, negligentes, ac remissi fueritis, poterint personae ecclesiasticae contra vos, et quemlibet vestrum pro hujusmodi negligentia, uti jure spirituali, et per Judices Ecclesiasticos, censuris ecclesiasticis compellere, quibus vos subjicimus. Volumus tamen esse in optione et arbitrio injuriam, aut damnum passum, quod possit et valeat super damnis et injurijs sibi illatis, ad ecclesiasticum vel saecularem Judicem pro justitia recurrere. Mandamus vobis et cuilibet vestrum omnino habere volentes, quod praesentes nostras hujusmodi approbationis et confirmationis literas in libro terrestri de verbo ad verbum, ad perpetuam rei memoriam scribi et inseri faciatis, in testimonium futurorum, secus nostrae gratiae sub obtentu non facturi. Actum et datum Petricoviae in Conventione Generali Sabbatho post festum S. Andreae Apostoli, anno 1457, nostro sigillo praesentibus subappenso etc. Praesentibus ibidem Reverendissimo Reverendisque in Christo Patribus Dominis Ioanno Sanctae Ecclesiae Gnesnensis Archiepiscopo et Primate, Thoma Cracoviensi, Ioanne Vladislaviensi, Cancellario: Andrea Posnaniensi Episcopo, Venerabilique Ioanne Lutkonis de Brzeście, utriusque Juris Doctore Archidiacono Gnesnensi, Vice-Cancellario Regni Poloniae, necnon Magnificis, generosis, strenuis et Nobilibus Ioanne

* In nostra editione vide supra fol. 50.

(Adnot. editoris.)

impediti fuerint, ipsum Dominum Serenissimum Regem suum Regnum et Coronam Poloniae Nos intercedere, et evincere, nullam interponendo praescriptionem juxta jus nostrum Ducale tenebimur, eliberareque sub fide et honore. In cujus rei testimonium sigillum nostrum Ducale praesentibus est subappensum. Datum in Glivice feria secunda ante festum S. Mathiae Apostoli anno 1457. Praesentibus Strenuis Generosis et Nobilibus, Ioanne Sassowski, Zawisza Bohemo, Nicolao de Kamień, Krystek Schelhem de Schothmank, Misliborio de Orzesze, Ioanne Karnic de Sambork, Michaele Laskowski, Nicolao Myszkowski, Nicolao Sassowski, Ioanne Wic de Thomica, Procopio de Swientossowice, Hinkone Swietlik de Zass, Ioanne Tlema, Urbano de Kopcowice, Michaele de Zawierce Notario nostro et alijs fide dignis testibus circa praemissa.

Nos Janussius Dei gratia Dux Oświęcimensis recognoscimus tenore praesentium quibus expedit universis, tam praesentibus quam futuris, notitiam praesentium habituris. Quod a Serenissimo Principe Domino Casimiro Dei gratia Rege Poloniae, Magno Duce Lithvaniae, haerede Russiae, Prussiaeque Domino, et a Regno Coronaque sua Poloniae quinquaginta millia marcarum latorum grossorum Pragensium numerum polonicalis quadraginta octo grossos in quamlibet marcam computando, in vim totalis et integrae solutionis pro Terra et Ducatu Oświęcimensi per Nos ipsi Serenissimo Principi Domino Casimiro Regi et Coronae Poloniae venditis recepimus, et de manibus Magnificorum et Strenuorum ac Nobilium Dominorum Ioannis de Czyszow Castellani et Capitanei Cracoviensis, Gregorij de Branica Castellani Radomiensis, Andreae de Tęczyn, Ioannis de Rythwiany Capitanei Sandomiriensis, Ioannis de Tarnow, Ioannis de Melszyn, et Grot de Ostrow in effectu levavimus. Unde et eundem Serenissimum Principem Dominum Casimirum Regem Poloniae etc. et suum Regnum, et Coronam suam Poloniae Nos Janussius Dux praenominatus quietamus, et absolvimus, quietatosque et absolutos pronunciamus per praesentes. Omnesque literas, et obligationes cujuscunque existant tenoris, quas praefatus Dominus Rex et suum Regnum et Corona Poloniae aut sui fidejussores Nobis super solutionem dictarum quinquaginta millium marcarum latorum grossorum, aut illarum aliqua portione, dederunt, mortificantes, et cassantes praesentium per tenorem profitentes illas nullius esse efficaciae, roboris, vel momenti, et iam praefatum Dominum Casimirum Regem et Coronam Poloniae Nobis occasione emptionis Terrae Oświęcimensis recognoscimus, et profitemur in aliquo non teneri. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Cracoviae feria quinta post Cinerum anno Domini 1457.

de Czyżow Castellano et Capitaneo Cracovien: Stanislao de Ostorog Calissiensis, Derslao de Rytwiany Siradiensi, Petro de Opporow Lancicien: Nicolao de Kościelec Vladislaviensi Palatinis: Andrea de Sprowa Palatino et Capitaneo Leopoliensi, Petro de Szamotuły Posnaniensi, Petro de Gay Calissiensis, Hincza de Rogow Siradiensi, et Regni Poloniae Vice-thesaurario, Creslao de Kurozwianki Lublinensi, Ioanne de Borek Brezensi, Petro de Moszczyzna Dobrinensi, Petro de Strykow Vladislaviensi, Stanislao de Szydłowice Zarnoviensi, Creslao Woyczyk de Woynica Cracoviensi, Sandivogio de Lanżenica Sandomiriensi et Capitaneo Lublinensi, Floriano de Paczanow Cracoviensi, Cristino de Smolsko Junivladislaviensi, Dapiferis: Ioanne Kraska de Lubnica Calissiensis, Jacobo de Damno Cracoviensi Pincernis, et alijs pluribus fide dignis, circa praemissa. Datum per manus praefati Reverendissimi Patris Domini Ioannis Episcopi Vladislaviensis Cancellarii, et Venerabilis Ioannis Lutkonis de Brzezie, utriusque Juris Doctoris Archidiaconi Gnesnensis R. P. Vice-Cancellarii sincere Nobis dilectis, sub sigillo nostro praesentibus appenso, in fidem praemissorum, ad relationem ejusdem Reverendi Patris Domini Ioannis Episcopi Vladislaviensis, Regni Poloniae Cancellarii.

193

CONFIRMATIO PRIVILEGII
VLADISLAI JAGELLONIS,

CONTRA EOS, QUI EXCOMMUNICATIONIS SENTENTIAS ULTRA ANNUM SUSTINENT; PER CASIMIRUM TERTIUM EJUSDEM JAGELLONIS FILIUM PETRICOVIAE FERIA QUARTA POST FESTUM S. GEORGIJ PROXIMA, A. D. MILLESIMO QUADRINGENTESIMO QUINQUAGESIMO OCTAVO CUM INSERTIONE EJUSMODI PRIVILEGIJ.

In Nomine Domini, Amen.

Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, M. D. Lith. etc. Ad perpetuam rei memoriam. Significamus per praesentes etc. etsi Regni nostri subditis clementiae nostrae et Regalis provisionis in augendis commodis ac juribus, immunitatibus ac libertatibus conservandis sinum extendimus, quantomagis ecclesijs (unde laus et honor Altissimo Jesu Christo omnium Creatori salusque provenit animarum, necnon personis et membris ecclesiasticis) id facere et impendere convenit. Proinde felicitis memoriae Serenissimus Princeps, Dominus Vladislaus Rex Poloniae etc. etc. Progenitor noster charissimus et Praedecessor, iniquitati hominum occurrendo, et ecclesiasticae libertati ejusque membris et personis ecclesiasticis et saecularibus paci et indemnitati sui regiminis consultius providendo, suas certas, et patentes literas statuti fecit et condidit hujusmodi sub tenore.

In Nomine Domini Amen. Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradae, Cujaviae, Lanci-

ciae, Lithvaniaeque Princeps Supremus, Pomeraniae Russiaeque Dominus et Haeres: ad perpetuam rei memoriam. Etsi subditorum nostrorum saecularium commodis de bonignitate Regali libenter intendimus, juraque et libertates ipsorum contra detestandam malignorum pravitatem, ditionis nostrae praesidio confovemus, multomagis tunc Regis pacifici dominatoris universorum exemplo per quem Reges regnant, et Principes dominantur ecclesiam suam Sanctam et personas spirituales et saeculares sibi subjectas in juribus et libertatibus ac statutis, a sanctis Principibus editis, conservare et tueri convenit, et ipsas ab omni oppressionum incursu praeservare. Noscat igitur tam praesens aetas, quam posteritas futurorum, quod quamquam Sacris canonibus salubriter sancitum, et lege humana utiliter sit provisum, quod quicumque Princeps, Capitaneus, Baro, aut Nobilis Miles aut vasallus, et generaliter quaevis alia persona spiritualis aut saecularis, cujuscunque status, dignitatis, gradus et conditionis existat, decimas quas sibi Deus in signum universalis dominij pro alimento servientium reddi censuit, necnon domos, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones et quaevis bona ac alias res, mobiles et immobiles, ad ecclesias et pia opera ac religiosa loca personasque ecclesiasticas spectantes ac etiam pauperum hominum in ipsorum bonis degentium rapuerit, invaserit, occupaverit, aut illicite detinuerit, exactionaverit, talias seu collectas imposuerit, seu injuste impignoraverit, aut occasione pignoris, aliquid extorsit vel quovis quaesito colore gravaverit, vel rapti, invadi, occupari, detineri, impignorari, seu exactionari, mandaverit, ordinaverit, seu raptum habuerit, aut raptorem, invasorem, occupatorem, et detentorem illicitem, cum re raptam, invasa, occupata et detenta conservaverit, seu in defensionem susceperit aut in bonis ejusdem notorium damnum vel manifestam offensam intulerit nisi omnia, et singula raptam, invasa, occupata, seu pignorata restituerit, necnon de injurijs et damnis illatis, ac manifesta offensae condignam emendam et satisfactionem impenderit, cum ipsorum complicibus, poenis et censuris ecclesiasticis debent subjacere. Tamen quia nonnullarum personarum saecularium, Regni nostri adeo irrepsit et inolevit iniquitas, quod poenas et censuras in et contra tales, tam a canone quam ab homine promulgatas in sensum dati reprobum, ultra annum animo indurato in contemptum clavium Sanctae Matris ecclesiae animarumque suarum periculum statutorumque praedictorum vilipendium, et scandalum Christifidelium plurimorum sustinere non formidant, propter quorum culpam divinae ultionis gradus saepius perimit innocentes, unde etiam pullulant haereses, variaque insurgunt animarum pericula. Nos igitur Vladislaus qui intensius desiderijs, Praedecessorum nostrorum exemplo, tanquam tutor, et conservator jurium, libertatum et privilegiorum in ecclesia personarumque sibi sub-

194

195

jectarum, propagationem libertatis ecclesiasticae debito affectamus, ad executionem debitam statutorum hujusmodi procedere cupientes, cum frustra demandentur leges, nisi executioni debite demandarentur. Ex quo etiam quos timor Dei et mucro spiritualis, a malo non revocat, poena temporalis debet coercere, praesenti nostro Regio decreto de concilio et unanimi Praelatorum et Baronum nostrorum voto scientia et assensu volumus decernimus et firmissime ac irrefragabiliter perpetuo observari pollicemur, statuimusque et ordinamus per praesentes, ut dum aliquis indigena Regni nostri, cujuscunque status et conditionis existat, propter raptum decimarum vel aliarum rerum ecclesiasticarum occupationem, aut ratione excessuum quorumcunque sive etiam in contumaciam de non parendo juri et mandatis S. ecclesiae, sententia excommunicationis juste fuerit innodatus, ipsamque ultra annum legalem pertinaciter sustinuerit nec curaverit ad gremium S. Matris ecclesiae redire, et pro excessu debitam emendam exhibere, extunc anno hujusmodi elapso omnia bona ejusdem excommunicati mobilia et immobilia quae tunc possederit, debent recipi per locorum Capitaneos quibus subjacent et apprehendi tenenda et possidenda tam diu per Capitaneos hujusmodi, quousque per eosdem excommunicatos vel Capitaneos memoratos, de hujusmodi bonis damna vel valor rei ipsis laesis vel injuriam passis plenarie exolvantur. Quibus solutis bona praelibata, praefatis excommunicatis non nisi absolutis, decernimus viceversa restituenda per Capitaneos praenotatos. Mandamus igitur omnibus et singulis Regni nostri Capitaneis et Vicesgerentibus eorundem, quatenus ad compescendam talium excommunicatorum pertinaciam duritiam et temeritatem, praemissa nostra saluberrima decreta executioni debite debeant demandari perpetue et in aevum, toties quoties, per Praelatos, aliasque personas tam ecclesiasticas quam saeculares super hoc fuerint requisiti et moniti.

Quod si praefati Capitanei Tenuarijque nostri aut loca tenentes eorundem pro tempore existentes in executione praemissorum tardi fuerint vel negligentibus, extunc ipsos omnes pro hujusmodi negligentia per loci ordinariorum, jaculo anathematis indulgemus feriendos, harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Actum Cracoviae Sabbatho proximo ante festum Purificationis Mariae Virginis. Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio. Praesentibus Reverendis in Christo Patribus Dominis Sbigneo Cracoviensi: et Joanne Chelmen: Episcopis. Necnon Magnificis et Nobilibus Nicolao de Michalow Castellano Cracoviensi, Petro de Pieskowaska Palatino Cracoviensi, Joanne Glowacz de Oleśnica Marschalco Regni Poloniae, et Joanne de Konecpole ac alijs quam pluribus militibus nostris dilectis. Datum per manus Venerabilis Stanislai de Opporow decretorum Doctoris Decani Cracoviensis Sedis Apostolicae Protonararij Regni

nostrum praedicti Vice-Cancellarij, Nobis sincero dilecti. Ad relationem Magnifici Joannis de Konecpole.

Nos itaque vestigia Progenitoris, et Praedecessoris nostri praelibati charissimi toto mentis nostrae conatu insequi et amplecti satagentes, literas hujusmodi statutum laudabile in se continentibus cum eorum toto tenore de consensu et voluntate Praelatorum et Baronum ac Consiliariorum Regni nostri approbamus, innovamus, ratificamus et confirmamus tenore praesentium mediante. Quocirca omnibus et singulis praesentibus et futuris Regni nostri Capitaneis Tenuarijs et eorum Vicesgerentibus mandamus quatenus praedictas nostri Progenitoris statuti literas in omnibus clausulis, punctis, et conditionibus teneant, et ad unquam perpetuo, et inviolabiliter observent. Aliosque in suis Capitaneatibus tenentis et districtibus ipsis quomodolibet subjectos suppositos cujuscunque praesentium gradus aut conditionis existant; arceant, et compellant, juxta vim et formam praedictarum Progenitoris nostri literarum quoties tam per Praelatos quam alias personas ecclesiasticas et saeculares fuerint super hoc requisiti et postulati. Quod si ipsi Capitanei et Tenuarij seu ipsorum loca tenentes pro tempore existentes in praemissorum executione se remissos et negligentibus aut alias quomodocunque difficiles reddiderint, extunc ipsos et eorum quemlibet propter hujusmodi incuriam et contemptum mandatorum nostrorum excommunicationum sententijs et censuris ecclesiasticis in eos per locorum ordinariorum eorumque vicarios et officiales generales fulminandos et promulgandos subdimus et subijcimus ac perpetuo subjacere decernimus, et obligamus tam diu procedendum, quousque ad ipsarum executionem literarum curaverint procedere cum effectu. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Actum in conventionem generali Petricoviensi, pro festo S. Adalberti celebrata feria quarta post festum Sancti Georgij proxima 26 mensis Aprilis anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo. Praesentibus ibidem Reverendissimo Reverendisque in Christo Patribus Dominis Joanne Sanctae Gnesnensis ecclesiae Archiepiscopo et Primate, Thoma Cracov: Joanne Vladislaviensi: et Regni Poloniae Cancellario, ac Andrea Posnaniensi: ecclesiarum Episcopis: Venerabilique Joanne Lutkonis de Brzezie utriusque juris doctore Archidiacono Gnesnensi et Vice-Cancellario Regni Poloniae. Necnon Magnificis Generosis Nobilibus et Strēnuis Joanne de Czyżow Castellano, Joanne de Tęczyn Palatino Cracoviensi, Luca de Borka Posnaniensi: Stanislao de Ostorog Calissien: Derslao de Rytwiany Sandomiriensi: Petro de Opporow Lancicien: Nicolao de Kościelec Bresten: Palatinis. Andrea Odrowąż de Sprowa Palatino et Capitaneo Leopoliensi, Joanne de Pilica, Hincza de Rogow Siradien: et Regni Poloniae Vice-thesaurario, Petro de Turow Sandomiriensi: Petro de Stry-

196

197
 kow Vladislavien: Stanislaw Szydfowiec Zarnovien: Castellanis. Creslaw Woyschik de Woyca Cracovien: Sandivogio de Lancenice Sandomirien: Joanne Kuropatwa de Lacuchow Lublinen: Succamerarijs. Nicolao de Brzezic Regni Poloniae Mareschalco, Joanne Kraska de Lubnica Calissien: Joanne de Szekociny Dapifero Sandomirien: Nicolao Lublinen: Nicolao Pieniazek de Witwice Cracovien: Capitaneo, Joanne de Melstyn, Joanne de Tarnow, Jacobo de Campno Pincerna, Nicolao de Chrzastkow Tribuno Cracovien: ac Venerabilibus Jacobo de Sienco Gnesnen: et Cracovien: Jacobo Loth de Dampno Decano Cracovien: Joanne de Pniow Decretorum Doctore, Archidiacono, Joanne Woycik de Woyca Custode Cracovien: Petro Spinek de Bantkow Gnesnen: et Cracovien: Canonico, et alijs quampluribus fide dignis circa praemissa. Datum per manus praefatorum Reveren: Patris Domini Joannis Episcopi Vladislaviensis et Cancellarij, ac Venerabilis Joannis Lutkonis de Brzezic utriusque Juris Doctoris Archidiaconi Gnesnen: et Vice-Cancellarij Regni Poloniae sincere Nobis dilectorum, ad relationem praefati Venerabilis Lutkonis de Brzezic Doctoris utriusque Juris, Archidiaconi Gnesnen: Vice-Cancellarij.

CONVENTUS

MONASTERII LUBIENENSIS

POLLICETUR ELECTUM ALIAS FUTURUM QUEMLIBET ABBATEM REGI POLONIAE REPRaesentARE, TANquam PATRONO, VOTUM ET CONSENSUM AB EO PETENS.

In Nomine Domini Amen.

Nos Albertus Abbas patientia Divina, Joannes Prior, Venceslaus Praepositus in antiqua Hosthin, Martinus Custos, et Joannes de Crobija Fratres conventus monasterij in Lubien Polnanien. Dioc. nostro et totius dicti nostri conventus nominibus, significamus tenore praesentium quibus expedit, universis tam praesentibus quam futuris, harum notitiam habituris. Quod quanquam de jure et consuetudine post cessum vel decessum Abbatis cujuslibet, praefati monasterij nostri Lubienensis, ad nos nostrumque conventum futuri Abbatis canonice electio spectat et pertinet, post vero canonicam et legitimam electionem, per nos nostrumque conventum, in fratrem conventus nostri canonice factam ante confirmationem, provisionemve et consecrationem, prout ex debito tenemur eundem fratrem electum per se vel per alium fratrem conventus nostri, Serenissimo Principi et Domino D. Casimiro Dei gratia Regi, Magno Duci Lithvaniae, Russiae Prussiaeque Domino et Haeredi etc. et ejus Successoribus debitum honorem exhibentes tanquam Patrono et Domino gratiosissimo repraesentare, necnon hujusmodi electionem Abbatis futuri intimare, et notificare spondemus et

198
 praesentibus pollicemur, ac etiam, a sua Serenitate, et Successoribus legitimis humiliter votum petere et consensum gratiosum postulare et impetrare, prout ad hoc de jure, et consuetudine tenemur, in quem sua Serenitas benigna pietate praebebit votum gratiosum et consensum; ad cujus quidem electi nostri provisionem, confirmationemve et consecrationem absque consensu praefati Serenissimi Domini Regis, vel suorum successorum nullo modo procedemus, nec procedere volumus, donec prius desuper consensus Regius fuerit nobis benigniter datus. In quorum omnium, et singulorum fidem et testimonium praemissorum, praesentes literas per Nuntium publicum scribi procuravimus, sigillisque Abbatibus, et conventus nostri fecimus communiri. Actum et datum Posnaniae, die Mercurij, nona mensis Julij. Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, indictione octava, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Pij Papae secundi, anno secundo, in Castro in sala Superiori Castri praefati Posnaniensis, hora vespere, praesentibus ibidem Reverendis Magnificis et Generosis Dominis Andrea Dei gratia Episcopo Posnaniensi, Joanne de Brzezic utriusque Juris Doctore, Sacri Palatij Apostolici causarum Auditore, Archidiacono Gnesnensi et Regni Poloniae Vice-Cancellario. Stanislaw de Ostrorog Posnaniensi Palatino, Joanne de Czarnkow Gnesnen. Petro de Gay Calissien: Castellanis. Sciborio de Poniecz Succamerario Posnaniem. et Capitaneo Majoris Poloniae Generali, Sandivogio de Kazizanice Succamerario Sandomirien. Nicolao Tomicki Vexillifero Posnaniensi, et Petro Dunin de Prawkonice Mareschalco Curiae Serenissimi Domini Casimiri Regis Poloniae, et alijs quam pluribus testibus circa praemissa.

EPISCOPUS POSNANIENSIS

PROMITTIT NON PROCEDERE AD CONSECRATIONEM FUTURI ABBATIS MONASTERII LUBIENEN. NISI CONSENSUS REG. POLON. AD IDEM ACCESSERIT.

Andreas Episcopus Posnaniensis. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, quod volentes Regiam Majestatem ad futura tempora, prout tenemur ex debito honorare, promittimus praesentibus, et spondemus, quod exnunc et in antea ad nullius electi in futurum Abbatem monasterij Lubienen. Diocesis. nostrae, qui per fratres conventus illius canonice electus fuerit provisionem, consecrationem, ac etiam confirmationem procedemus, nisi prius per Capitulum conventus sui post electionem canonicam de eo factam, Serenissimo Domino nostro gratiosissimo Casimiro aut suo Successori Dei gratia Regi Poloniae, Magno Duci Lithvaniae Russiae Prussiaeque Domino et Haeredi praesentatus fuerit, et in ipsum Serenitas sua consenserit, harum quibus sigillum nostrum praesentibus est subap-

199
 pensum testimonio literarum. Datum Posnaniae feria quinta post Octavum Visitationis gloriosissimae Virginis Mariae proxima, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, praesentibus ibidem Reverendissimo in Christo Patre, Domino Joanne Dei gratia Episcopo Vladislaviensi, et Regni Poloniae Cancellario, necnon Magnificis et Generosis Dominis Luca de Gorka Posnaniem. Stanislaw de Ostrorog Calissien. Palatinis. Petro de Gay Calissien. Joanne de Czarnkow Gnesnen. Castellanis, et Petro de Poniecz Succamerario Posnaniem. et Capitaneo Majoris Poloniae Generali, testibus circa praemissa.

TERRA BELZENSIS

REGNO ADSCRIBITUR.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam acta mundi avida subito detergeret oblivio, nisi ea literarum soliditas, et testium adnotatio memoriae commendaret aeviternae; proinde Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Magnae Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque necnon Culmensis, Elbingensis, Kinigsbergen: et Pomeraniae haeres et Dominus, significamus tenore praesentium quibus expedit universis et singulis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris. Quomodo recensentes, et in animis revolventes, quanta puritatis affectione et fidei integrae constantia, Barones, milites, nobiles, terrigenae et proceres terrae Belzensis, sincere, grate et fideles nostri dilecti, personam et Regnum Majestatis nostrae venerati sunt: ad Nos, tanquam Dominum naturalem, haeredem verum et legitimum, ac indubitatum successorem suum, et ad Coronam Regni nostri Poloniae a qua transactis temporibus exciderant, vice versa redierunt, et accesserunt: seque Regno et Coronae, tanquam pars suo toti invisceraverunt, univerunt, incorporaverunt, et appropriaverunt. Quae quidem Terra Belzensis justo titulo, jure legitimo, haereditario et succedaneo, Nos et nullum alium contingebat, atque contingit et concernit. Horum itaque terrigenarum Belzensium fidelitatis constantia, zelo dilectionis, maturitate consilij, et sagaci providentia, Regali consideratione, merito digestis et revolutis, ac debite pensatis, et intuentes ad eorum statum, honorem, commodum, salubremque profectum, pio et sincero mentis affectu, (quemadmodum ex assumptae dignitatis nostrae debito tenemur, et pro officio sollicite aspirantes) ipsos in nostram et successorum nostrorum manuitionem, et protectionem Regni et Coronae reassumpsimus, incorporavimus, appropriavimus, et univimus, tenoreque praesentium reassumimus, incorporamus, annectimus, appropriamus, et unimus, perpetuo et in aevum: promit-

200
 tentes ipsos, et eorum quemlibet, in omnibus ipsorum juribus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, praerogativis, dignitatibus, honoribus et officiis, tenere et observare. Inprimis itaque pro praedicta eorum fidei et justa adhaesione et subjectione, jure defendere, agere, manuteneri, et eos evincere, contra quameunque personam, cujuscunque dignitatis, Imperialis, Regalis, aut Ducalis fuerit, aut cujuscunque status, conditionis et praeminentiae extiterit, (dum per quempiam vexarentur seu impeterentur quomodo, pro ipsorum hujusmodi adhaesione) similiter ab insultibus, violentiis, bellis et aliis molestiis quibuslibet protegere, defensare, tueri, et realiter ac effective opponere, intercedere et liberare. Item Terram nostram Belzensem, cum ipsius districtibus Lubaczoviensi, Lopaczoviensi, Schewloziensi, Grabownicensi, et Hrodliensi, salvam et integram, prout fuit et in hactenus est conservata, suis limitibus, metis et terminis dudum tentis, observabimus, tenereque et observare volumus, nullos districtus aut villas ab eadem removen-tes, alienantes, seu diminuentes. Item omnibus personis, tam ecclesiasticis, quam saecularibus civitatum, et oppidanis, privilegia ipsorum, per Antecessores nostros Reges et Duces data et concessa, justa, legitima, et sufficientia, rite et rationabiliter emanata, ac in nulla sui parte vitiata seu suspecta, confirmamus, ratificamus, et approbamus per praesentes. Ubi vero aliquibus personis forent, per voraginem ignis absumpta: seu casu infortunij amissa, et de hoc per sufficiens testimonium probatum fuerit: praemissa innovare, atque dare volumus, et spondemus. Item ex quo ex obligatione et inscriptione pecuniarum, Capitaneis in aliqua Terra inscriptarum, saepius indigenae ejusdem Terrae varijs gravantur modis, oppressionibusque et molestijs afficiuntur. Pollicemur, quod praefatam Terram Belzensem in pecunijs nullipiam obligabimus, aut inscribemus, ullo unquam tempore. Quod si per obligationem, aut alium casum quemcunque, Nos inscribere contingeret: talem inscriptionem praesentibus, exnunc prout extunc cassamus, annullamus, ac nullius roboris esse et fieri, decernimus per praesentes. Item nullum extraneum, cujuscunque conditionis existat, in Capitaneum Terrae Belzen: praeficere, et praeferre debemus, nisi terrigenam ejusdem Terrae possessionatum. Item volumus omnimode, dignitates, honores, officia, in Terra Belzensi consistentes et consistentia, aequo modo circa jura et consuetudines ipsorum, quae et quas temporibus Praedecessorum nostrorum Regum et etiam Ducum obtinebant, conservare in eodem numero et permanere. Quas quidem dignitates et officia, dum vacare contigerit: nulli extraneo, nisi indigenae bene conservato illius Terrae, in qua dignitas vel officium vacaverit dabimus et conferemus. Item quod nulli terrigenae, de Terra Belzensi, et ipsius districtibus, ad alias Terras seu districtus evocentur: sed penitus juxta consuetudinem aliarum Terrarum Regni nostri, juribus

201 ipsorum et libertatibus utantur et gaudeant. Item Conventiones, Colloquia generalia, termini particulares, et judicia, juxta ritum et consuetudinem in talibus dudum tentam et observatam, in Terra praefata, (quemadmodum in alijs Terris Regni nostri) debent habere progressum et processum. Item nullus terrigena possessionatus per Nos aut Capitaneos nostros, nisi jure convictus captivetur juxta privilegia aliarum Regni nostri Terrarum et consuetudines. Item omnes et singuli kmethones spiritualium et saecularium personarum in dicta Terra consistentium, de quolibet laneo possesso pro festo S. Martini singulis annis exactionem, alias *podymne*, per duos grossos monetae et numeri communiter in Regno currentis, Nobis et Successoribus nostris dabunt et exolvent, more Terrae Leopoliensis et aliarum Regni nostri Terrarum. Alias autem collectas et exactiones in Regno nostro insolitas et inconsuetas, (etiamsi tempore Ducum hujusmodi fuissent in frumentis, bladis, aut avena, vel pecunijs exactae, vel solutae) de nostra Regia benignitate cassamus, et annullamus. Item cuilibet terrigenae nostro limites et granicies cum bonis nostris Regalibus habere petenti dare tenebimur, ipsas a signis metalibus, et scopulis consvetis distingvendis volumus, juxta modum aliarum Terrarum in Regno observatum. Item quandocunque Terra nostra Leopoliensis: ad bellicam expeditionem se moverit, aut necessitate incumbente eandem procuraverit, praefata etiam Terra nostra Belzensis, seu nobiles et terrigenae ejusdem, cum ipsis Leopoliensibus, quotiescunque fuerit necesse tenebuntur et debebunt, ac omnino sunt obligati pariter et adstricti proficisci bellicose, et transire, et non alias, eo tamen jure et modo, quo Terra Leopoliensis ad expeditiones se movere consuevit et solita est. Animadvertendum autem praefatos nobiles terrigenas et Proceres, ad Nos tanquam ad Dominum et haerem ipsorum legitimum affectum habere specialem, horum praetextu, volentes ipsos favore nostro speciali prosequi, et eorum kmethones quoslibet praefatam Terram Belzensem inhabitantes, ab omnibus et singulis exactionibus, angariis, praeangarijs, castrorum aedificijs, et pontium laboribus et reparationibus eximimus, absolvimus, ac liberos et absolutos facimus perpetue, secundum morem aliarum Regni nostri Terrarum. Praeterea generaliter et singulariter omnes alios articulos, libertates, et jura, alijs Terris Regni nostri data et concessa, et praesertim Terrae nostrae Leopoliensis: si quae hic ommissa forent, pro insertis habere volumus et habemus, eademque extendimus et referimus ad Terram Belzensem. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum in Brzescie, feria tertia festorum solennis Paschae, anno Domini 1462. Praesentibus, Reverendissimo Patre Domino Joanne de Brzezie Juris utriusque Doctore, Electo Ecclesiae Cracoviensis, et Regni Poloniae Vice-Cancellario, necnon Magnificis et

202 Generosis, Petro de Opporow Lancicien: Nicolao de Kościelec Bresten: Palatinis. Jacobo de Dambno Regni Poloniae Vice-thesaurario, Nicolao de Boryszówice Zawichosten: Sbigneo Bank de Gora Malogosten: Castellanis. Nicolao Spoth de Wola Sandomirien: Janussio Kolucki Junivladislavien: Vexilliferis. Joanne de Ostrorog Juris Doctore, Nicolao de Brudzewo Subpincerna Calissien: et Capitaneo Bresten: Jaroslao Brzozoglowy Subjudice Junivladislavien: Stanislao Marszałkowiez de Brzezie, et Joanne Synowiecz de Zandowice Curiensibus nostris, et alijs pluribus fide dignis testibus, ad praemissa. Datum per manus ejusdem Reverendissimi Patris Domini Joannis de Brzezie, Electi Ecclesiae Cracoviensis, Regni Poloniae Vice-cancellarij sincere Nobis dilecti.

Ad relationem ejusdem Reverendis: Patris Joannis de Brzezie, Juris utriusque Doctoris, Electi Ecclesiae Crac: Regni Polon: Vicecancel:

—
IDEM REX
LIBEROS NOBILES

A TRIBUTIS FACIT.

Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, tam praesentibus, quam futuris, praesentium notitiam habituris, quomodo Magnifici, Generosi, et Nobiles, Dignitarij Terrarum, incolaeque Terrae nostrae Brestensis sincere Nobis dilecti, ad preces nostras, de ipsorum mere spontanea et libera voluntate pensato periculo, quod possit imminere Terris nostris Cujaviae ex hostium nostrorum incursum et invasione, providentes et consulere volentes Terrarum ipsarum Cujaviae indemnitati, consenserunt ad contributionem pecuniam pro stipendiatorum per Nos nunc susceptorum conservatione in Terris Cujaviae, pro reprimendis hostibus, ab invasione ipsarum Terrarum, promittimusque, quod contributio non debet in posterum venire in sequelam, neque aliquam contributionem, de praedictis dignitarijs et terrigenis nostris Terrae Brestensis, ipsis invitis et contradicentibus, exigere et extorquere deinceps volumus, et promittimus. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Datum in Koło, feria quarta in vigilia Conceptionis Gloriosae Virginis Mariae, anno Domini 1463. Dominus Rex per se.

—
TERRARUM PRUSIAE

PACIS PERPETUAE ULTIMO FACTAE.

ANNO 1466.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humanae voluntatis desideria, quae in aliquid ci-

203 tra Deum finem atque rerum omnium opificem diriguntur, nulla res optabilior, nulla gratior, quemadmodum quotidianis experimur effectibus, nulla denique humano generi aequae salutaris, necessaria, jucundior et utilior quam pax habeatur, in ortu Redemptoris nostri Jesu Christi hominibus bonae voluntatis denunciata per Angelos, et in recessu ad Patrem coetui Apostolico, et universis Apostolorum sequacibus geminata donatione relicta. Proinde Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, ac Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiaeque, Chelmen: Elbingen: et Pomeraniae Terrarum Dominus et haeres. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis, tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris. Quomodo attendentes, quales sint verae pacis fructus, et quanta belli pericula, qualisque vastitas discordiam subsequatur, ad laudem Omnipotentis Dei et intemeratae Mariae Virginis gloriosae totiusque caelestis Hierarchiae propagationem, fidei cultum, justitiae et religionis christianae saluferum incrementum, Regni quoque nostri Polonici decus et stabilimentum, a guerrarum et litigiorum defendis discriminibus, a dissensionum et odiorum anfractibus, displicentijs et singulis offensis, quae inter Nos Casimirum Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque Dominum et haerem praedictum, et Illustres Principes Dominos Conradum, Casimirum, Boleslaum et Janussium Masoviae, Henricum Stolpen: Duces, ac Reverendum Patrem Dominum Paulum Episcopum, et Ecclesiam ac Capitulum ejusdem Varmiensi, Stephanum Palatinum Moldaviae, Regnum Poloniae, Terras nostras et alia Dominia Nobis et Regno nostro Poloniae subjecta ex una; et Magnificum et Religiosum Virum Dominum Fratrem Ludovicum de Erlichshausen, Magistrum generalem Ordinis Beatae Mariae Teutonicorum hospitalis Jerosolimitani Praeceptores, Commendatores, et Ordinem suum, et Terras ejusdem Ordinis, in Terris Prussiae parte ex altera consistentibus fuerunt exortae, animos nostros ad semitas pacis et concordiae convertimus, fluctus quoque bellicae tempestatis hactenus figentes sedandos et abolendos duximus, et ea quae durantibus hujusmodi gverris et controversiarum turbinibus diruta fuere, et deformata et distracta, per pacis integritatem ad statum cupientes reducere quietum et tranquillum, per mediacionem, operam et interventum Reverendissimi in Christo Patris Domini Rudolphi Episcopi Laventini, Sedis Apostolicae Legati, a Sanctissimo Domino nostro Paulo Papa II ad intercipiendum bellum hujusmodi specialiter destinati, cum eodem Domino Ludovico Magistro, Commendatoribus Ordinis, et fratribus ipsius, Terris Prussiae subditis et sequacibus eorum, perpetuae pacis et inviolabilis foederis conclusionem, consumptionemque elegimus, assumpsimus, inivimus, suscepimus, eligimusque assumimus et inimus

tenore praesentium mediante omni tempore et perpetuo duraturam, quam sub fide et honore et juramenti corporaliter praestitis, sine dolo et fraude promittimus vigore praesentium observare. Et ut ipsa pax et concordia cum omni maturitate et deliberatione concepta, ad firmum et constantem ordinem jugiter servandum reducatur, ipsam per articulos infra scriptos duximus regulandam.

Imprimis quod inter Nos Regem, Duces praedictos, Regnum Poloniae, ejusque Terras, Episcopum et Capitulum Varmiensi: et suam Ecclesiam, Russiae, Prussiae, Masoviae, Stolpen: et aliorum Dominiorum nostrorum ab una, et praedictum Magistrum generalem, Commendatores, et Ordinem, Terras et subditos ipsius in Terris Prussiae parte ab altera, omnes controversiae, dissensiones, hostilitates, inimicitiae, diffidationes, infamiae et damna inter partes hinc inde facta, dimissa et totaliter sopita debent esse, nec illorum de caetero aliqua mentio aut memoria, et signanter in querelis aut in detractione partium, coram quibuscunque personis habeatur aut fiat in quocunque iudicio ecclesiastico vel saeculari, vel extra: sed nec una partium ad infamiam alterius suggeret, consentiet, auxilium dabit vel favorem, per se aut submissam personam, quovis quaesito colore, publice vel occulte. Et quantum in utraque parte fuerit, delationes et detractiones hujusmodi fieri non admittet, sed potius prohibebit.

Item ad abolendas omnes displicentias, odia, simultates et quaslibet hostilitates, quae inter praefatum Dominum Ludovicum Magistrum, Commendatores, et suum Ordinem, suosque praedecessores ab una, et Nos praedecessoresque nostros Reges Poloniae partibus ab altera, occasione Terrarum Pomeraniae, Chelmens: et Michalovien: frequentius annis superioribus usque ad bellorum gravia discrimina consurgebant: et ut pax firma stabilis atque perpetua, non ex ore tantummodo, sed ex corde pure non fecte, sincere non simulate, inter Nos Regem, et Regnum Poloniae, Duces, Episcopum et Capitulum Varmiensi: adhaerentes, et coadjutores, Nosque D. Ludovicum Magistrum, Commendatores et Ordinem praedictos proveniat, Terra Culmensis cum suis castris, civitatibus et oppidis, ac fortalitijs, videlicet, Thorun veteri et nova, Birgelau alias Byrzglovo, Aldehaus alias Starigrod, Culmen alias Chelm, Venczelau alias Dunislaw, Leipe alias Lipno, Schenezeh alias Kownale, Roghausen alias Rogozno, Engelsberg alias Koprzywno, Reden alias Radzyn, Grudentz alias Grudzancz, Golau alias Golub, Papaw alias Papow, Strasberg alias Brodnica, Litteberg alias Ludberg, Bratian, Neuemarckt alias Nouoforo, Lessen alias Lassyno, cum suis omnibus pertinentijs et villis, etiam quae pertinebant ad iudicium et Banderium Culmens: et cum tota Terra Michaloviensi nihil excipiendo. Item tota Terra Pomeraniae circa antiquos terminos suos cum universis castris, civitatibus et oppi-

dis, munitionibus in ea consistentibus, videlicet Gdanczk alias Gdańsk, Pwozek alias Puczki, Lawenburg alias Lemberg, Heyle alias Hella, Liebe alias Coszczowzim, Grebyn alias Grabino, Derschaw alias Tzew, Mewe alias Gniew, Sthargarth, Neweburg alias Nowe, Swetze alias Swyetze, Mossek alias Osszyk, Jessenycz alias Jasieniecz, Keyschau alias Kyschowo, Slochau alias Slochow, Konycz alias Choynycza, Fredeland, Hamersteen, Bewtau alias Bytow, Tuchel alias Tuchola, Sobbycz alias Sobowicz, Schoneke alias Skarzew, Baldenborg et cum Naria, fluvij, aquis, mari ac piscaturis, quae sunt in cauda maris, alias Hap, villis, portibus, insulis et pertinentijs universis, et Dominio universali, directo et utili, mero et mixto, ad Nos et Regnum nostrum Poloniae pertinebunt et spectabunt, pertinentique et spectare debebunt, donationibus, renunciationibus, cessionibus, appropriationibus per Reges, Principes, Praelatos, Barones, Nobiles, civitates et subditos Regni Poloniae ex quacunque causa et occasione de Terris praedictis, jure, proprietate, dominio ac titulo earum, quomodolibet et quotiescunque etiam juramento corporali interveniente, in favorem Magistri et Ordinis praedictorum factis, et Apostolica, Imperiali, vel quacunque alia firmitate roboratis, non obstantibus quibuscunque, quas per praesentem unionem et foedus annullamus, cassamus, abolemus, tollimus, extingvimus et mortificamus, illisque perpetuo derogatum esse volumus et derogamus. Tenebiturque Dominus Magister Ludovicus, Commendatores et Ordo Teutonicorum praedictus, ipsis Terris Pomeraniae, Chelmen: et Michaloviens: et illarum juri, proprietati, titulo, et dominio quomodolibet et ex quacunque causa, sibi et Ordini in illis competenti, pro se, Successoribus et Ordine suis, renunciatione et cessione perpetua, irrevocabili et spontanea, de certa et expressa scientia, cedere et renunciare, seque et Ordinem suum Terris praefatis Pomeraniae, Chelmen: et Michalovien: in perpetuum abdicare, ac omnes inscriptiones, donationes, renunciationes, cessiones, resignationes, confirmationes, literas, privilegia, instrumenta, venditiones, emptiones, lauda, arbitria, sententias, pronunciationes, monumenta et decreta, in favorem Magistri et Ordinis super Terris praedictis, per summos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, et quascunque personas ecclesiasticas vel mundanas, cujuscunque conditionis, dignitatis, praeeminentiae vel tenoris existant, confectas, decretas et concessas, cassare, abolere, extingvere, mortificare, et illis pro se, successoribus suis et Ordine, non per errorem, coacte aut improvide, sed libere et spontanea, ac de certa scientia perpetuo cedere et renunciare, et jus omne quod Magistro et Ordini in praefatis Terris quomodolibet competeat, in Nos et Regnum nostrum, Successoresque nostros Reges Poloniae perpetuo transferre, et militares, nobiles, vasallos, cives, terrigenas et quoscunque subditos ecclesiasticos et

saeculares terrarum, civitatum, districtuum et locorum praedictorum ab omni sua fidelitate, homagio, subjectione, juramento, et qualibet sponsione dimittere, absolvere et relaxare: excepto, quod piscaturas in Hap a fine aquae et piscaturarum Episcopi et Capituli Varmiensis, et ex opposito in mari salso, item partem Nergiae a dicta aqua et piscaturis dictae ecclesiae Varmiensis per transversum Nergiae usque ad dictum mare salsum, et a dicto transverso per descensum Nergiae usque in profundum cum villis Scheytte et Neudorff ac Curia Meteloff, cum jurisdictione et utilitate, atque ipsum profundum cum piscatura Sturionum et theloneo antiquo Dominus Magister et Ordo perpetuo habebunt et possidebunt. Quam quidem portionem Nergiae cum praedictis villis et curia de speciali gratia praefato Dno Magistro et Ordini perpetuo conferimus et assignamus; reservata tamen Nobis totali venatione super dicta portione Nergiae, prout et super tota Nergia illam Nobis reservabimus. Hoc etiam adjuncto, quod Magister et Ordo nullum castrum aut munitionem super dicta portione Nergiae sibi donatae, aedificare vel aedificari facere, neque novum teloneum vel gravamen imponere debeat.

Item ex bonis certis respectibus Nos moventibus et pro praesentis pacis stabilimento, castrum et civitas Marienburg cum duabus insulis, magna videlicet et altera parva, quae dicitur Fysannysse, Herverder, et cum integritate lacus Drussen, et cum suis omnibus piscaturis, piscationibus, et villis et cum districtu Sarchafaw et omnibus alijs atinentijs et villis suis, eo tamen excepto, quod villae Haldemhorff et Alepin, quae pertinent ad Holend et Kulcheborii et Horndorff quae ultima sola militantium est, et pertinet ad Praeuschenck, habeant facultatem in lacu Drussen pisces pro suo beneplacito piscandi juxta morem antiquum. Item castrum et oppidum Sthum cum omnibus antiquis suis juribus, cohaerentijs et pertinentijs universis. Item civitas Elbing utroque vetus et nova cum districtu villarum, limitibus et jure, et cum oppido Tholkmyth et ejus districtu et suo officio sylvarum et nemorum, alias Valdaph, et cum sex villis tenutae et castri Holanth, videlicet Pylomen, Myslothyno, Berthkoui, Kamersdorff Wielkielicz, et Przeussemeret, et cum quinque villis quae ad oppidum et districtum Molhnuzen pertinebant, videlicet magna Staban, parva Staban, Schonemor Pomerendorff, et Volffder.

Item oppidum et districtus Krischburg alias Drzgon, cum suis libertatibus militaribus, nobilibus, vasallis, villis, lacubus, molendino et castro. Ita tamen quod demoliatu castrum et cum pertinentijs ejusdem universis, incipiendo ab uno latere oppidi praedicti Krischburg et descendendo a flumine Szroge, usque ad lacum Drussen. Curia tamen Doleszecz cum ipsius molendino apud Nos et Ordinem nostrum remanente, ab alio vero latere dicti oppidi ascendendo et transeundo usque ad finales granicies

dicti oppidi Krischburg, et villae Halbenstadt mutuo se contingentes; eadem villa a sinistris et in ditione nostra et Ordinis remanente, ab inde vero directius eundo ad ecclesiae Pomezanien. fines proximiores, ubi omnia et singula sub dictis finibus ad partem castri Marienburg consistentibus villa Moyserburg iterum in parte nostra et Ordinis remanente cum curijs, alodijs, et quibuscunque alijs pertinentijs ad dictum castrum Marienburg spectabunt et pertinebunt, caetera vero alia omnia et singula ad Cameratum et generaliter ad districtum Krischburg usque in praesens pertinentia pari modo cum oppidis et allodijs militaribus, terrigenis, villis, piscaturis, aquis, nemoribus, et alijs singulis pertinentijs spectabunt ad castrum nostrum et Ordinis Pressemark perpetuo, et in aevum pro praedicto Serenissimo Domino Rege et Regibus et Regno Poloniae remanebunt. Ita quod castra, civitates, oppida, districtusque praedicti extunc et de caetero vigore praesentis unionis et foederis ad jus, proprietatem, sortem, et titulum Regni Poloniae pertinebunt et spectabunt; pertinere et spectare debent perpetuo et in aevum.

Dominus quoque Magister Ludovicus, Commendatores et Conventus praedicti pro se et suis successoribus, castris, civitatibus, oppidis, insulis, lacubus, piscaturis, piscatoribus, cameratibus et officijs praedictis, ac illorum districtibus et villis, perpetua et irrevocabili renunciatione, de certa et expressa scientia, juri quoque, sorti, proprietati, titulo et dominio quomodocunque et qualicunque causa, Domino Magistro, Commendatoribus, Officialibus et Ordini suis in illis competentibus, per suas patentes literas cedet et renunciabit, et omne jus, quod eidem Domino Magistro, Commendatoribus et Ordini ipsius in castris, civitatibus, oppidis, insulis, lacubus, piscaturis, districtibus et villis praedictis, quomodolibet, competijt vel competere potuit, in Nos Casimirum Regem, Successores nostros Reges et Regnum Poloniae spontanea et de certa scientia, perpetuo transtulit et applicavit.

Milites quoque, nobiles, vasallos, terrigenas et cives, et quoslibet subditos ecclesiasticos et saeculares, praefatorum districtuum, terrarum, civitatum et locorum ab omni fidelitate, juramento, subjectione, homagio et qualibet sponsione absolvet, dimittet et relaxabit. Caetera vero castra, civitates, districtus, fortalitia, villas et dominia in Terris Prussiae, tam in terris quam in aquis consistentes et consistentia, videlicet, Kunygsberg castrum cum tribus civitatibus: item castra et oppida Lochsteth, Wargien, Gyрмаu, Pobebten, Rudau, Schoken, Kaimen, Kremiten, Waldau, Tapiau, Tapelaucken, Narbeckten, Insterburg, Allenburg, Wonsdorff, Gyrdaven, Angyrborg, Nordenborg, Labiaw, Laukyschken, Tylzath, Ragnyt, Rossiten, Wynthborg, Memel, Brandenborch, Crewtzeborgk, Fridelanth, Barthen, Leczen, Baga Heylygenbeil, Synthen, Landtz-

berg, Preischeilau, Bartenstein, Sesteen, Zegensborg, Rain, Rastenburg, Lycke, Iohansburg Holand, Lybestath, Molhusen, Morung, Pasenheym, Orteisburg, Osterode, Hoensteen, Neydenburh, Soldau, Ligenburg, Dewczeilaw, Prewsemarg, Lybemole, et Salefelth, quaecunque alia castra, civitates, oppida, districtus, territoria et villas, cum eorum subditis, militibus, terrigenis et vasallis, aquis, nemoribus, lacubus et alijs pertinentijs universis, quibuscunque censeantur nominibus, Dnus Magister, Commendatores, Conventus et Ordo perpetuo et in aevum, quiete et pacifice, absque omni nostro et Successorum nostrorum Regum et Regni Poloniae impedimento perturbatione, et molestatione possidebit, et illorum plenum habebit usum et dominium. De quibus quidem castris, civitatibus, oppidis, terris, districtibus, villis, militibus, terrigenis et vasallis, de illorum quoque jure, titulo, proprietate, sorte et dominio, quod Nobis et Regno nostro Poloniae, quomodolibet et ex quacunque causa competijt, vel competere potuit. Nos Casimirus Rex praefatus de certa et expressa scientia pro Nobis et Successoribus nostris Regibus et Regni Poloniae, sponte et deliberato animo, praefato Domino Magistro, successoribus suis, Magistris, Commendatoribus, Conventui et Ordini in Terris Prussiae, cedimus et renunciamus ac omne jus, quod Nobis, Successoribus nostris Regibus et Regno Poloniae ex emptione et quibusquo alijs causis in praefatis castris, civitatibus, oppidis, terris, districtibus, villis, militibus et vasallis, quomodolibet competijt, in Dominum Magistrum, successores suos, Commendatores, Conventum et Ordinem per renunciationem et cessionem perpetuam et irrevocabilem transferimus, et illud ipsis sponte, libere et de certa scientia applicamus et omnes milites, vasallos, nobiles, terrigenas, cives et quoslibet subditos ecclesiasticos et saeculares, terrarum et locorum praedictorum ab omni fidelitate, juramento, subjectione, homagio et qualibet sponsione absolvimus, dimittimus et praesentium tenore relaxamus. Episcopatus insuper et ecclesia Sambiensis cum suis castris, civitatibus, oppidis, videlicet Fescheusen, Tirenberg, Labetau, Powden, Jurgemborg, Zalau et Nevenhauss, et cum omnibus vasallis, villis et pertinentijs suis universis, sub ditione Domini Magistri et Ordinis sui perpetuo consistet et remanebit. Item ordinamus et statuimus, quod super omnibus piscaturis, *Culle* vulgariter appellatis, sub praesentia Capitanei nostri Mariembergunsis et factoris Domini Magistri ab eo destinandi in castro Marienburg annis singulis in magna feria quinta debeat fieri arendatio, et literae super omnibus *Cullis* sub nostro et Domini Magistri signetis, arendatoribus debeant dari, et medietas pecuniarum ex hujusmodi arenda provenientium Nobis debeat cedere, altera vero medietas Domino Magistro et Ordini provenire, juro Episcoporum Varmiensium et Sambiensium et Capitulorum corundem, cacterarumque personarum et loco-

rum, libertatem ex antiquo *Culorum* habentium, per omnia salvo. Quibus literas super *Cullis* praefatis, et quantitate illorum, absque omni pecunia libere volumus concedere.

Item ne pax ipsa, foedus et unio tanta maturitate conclusa et firmata, possit in posterum humana malignitate infringi aut aliquibus fallacijs, dolis et ingenijs violari, Nos quoque Casimirus Rex, Successores nostri, et Regnum Poloniae, Praelati, Principes, Barones et subditi Regni ejusdem, de Dno Magistro, Commendatoribus et Ordine Prussiae, Praelatis, militibus et subditis suis: Dominus quoque Magister, successores sui, Commendatores et Ordo, Praelati, milites et subditi sui Prussiae, de Nobis Regibus, et Regno Poloniae, Praelatis, Principibus, Baronibus et subditis ejusdem, plenam confidentiam et securitatem omni hostili respectu in praesens et in posterum deposito, teneamus. Nos Casimirus Rex Poloniae praedictus, praefatum Dominum Ludovicum Magistrum, Commendatores suos et Ordinem in Prussia omnesque eorum successores in nostrum et Regni nostri Poloniae Principem Consiliarium perpetuum: Commendatores vero principales, quos Dominus Magister et successores sui, pro tempore duxerint deputandos in Consiliarios nostros, et Regni nostri, et in nostram ac Regni Poloniae protectionem, subjectionem et defensionem perpetuo duraturam assumimus, pollicentes in verbo nostro Regio et sub fide praestiti juramenti, pro Nobis et Successoribus nostris Regibus et Regno Poloniae; quod praefatum Dominum Magistrum, Commendatores et Ordinem, Praelatos, milites, vasallos et subditos suos in Prussia, eorumque successores affectione Regia tractabimus, honorabimus et diligemus: ipsumque Dominum Magistrum, Commendatores et Ordinem, successores, Praelatos, milites, nobiles, cives, subditos et Terras eorum, velut Principis Consiliarij et vitorum nostrorum in eorum juribus, libertatibus, privilegijs, munimentis et limitibus, quae praesenti unioni et foederi, aut ejus articulis et conditionibus non contrariantur conservabimus, ab universis quoque eorum hostibus, vexatoribus et impugnatoribus in Terris eorum praedictis Prussiae tuebimur et defendemus. Tenebitur quoque praefatus Dominus Ludovicus Magister et quilibet successor suus in officium Magisterij assumptus, et assumendus, post sex menses a die assumptionis in Magistrum, se Nobis, et Successoribus nostris personaliter repraesentare, et illic pro se, Commendatoribus et Terris Prussiae, Nobis et Successoribus nostris Regibus, et Regno Poloniae praestare debitae fidelitatis, de observanda praesenti pace, ac nunquam petenda absolute seu relaxatione juramenti, nec ut concessa aut concedenda, juramentum ac in nostra Casimiri Regis, nostrorumque Successorum Regum Poloniae, sinistra parte primum habere locum et sessionem. Quem quidem Dominum Ludovicum Magistrum, suosque successores, Commendatores,

Praelatos, Milites, Vasallos, Conventum et subditos, Terrasque omnes Prussiae ab eis nunc possessas et in posterum possidendas, conquistatas et conquirendas, etiam in Terris paganorum extra Terras Prussiae, Nobis et Regno nostro Poloniae perpetuo connectimus, jungimus, unimus et invisceramus, ea conditione et respectu, ut praefatus Ludovicus Magister, sui successores, Commendatores et Conventus, Praelati, Barones, milites, terrigenae et personae singulae, tam ecclesiasticae quam saeculares et omnes Terrae eorum, atque homines in illis degentes in Prussia sint amplius et de caetero Nobiscum, Successoribus nostris Regibus, et cum Regno nostro Poloniae unum et individuum corpus, una gens, unus populus in amicitia, foedere et unione, nullum alium, praeter Summum Pontificem, quam Nos Casimirum Regem, Successores nostros Reges Poloniae, pro suo capite et superiore recognituri. Teneantur insuper et sint obligati, Nos, Successores nostros Reges et Regnum Poloniae, sive in prosperis, sive in adversis nunquam deserere, sed Nobis, et Successoribus nostris, Regibus et Regno Poloniae contra omnes hostes et adversarios nostros, et Regni nostri Poloniae more aliorum Praelatorum, Principum et Baronum Regni assistere: Nosque et Regnum Poloniae in nostris guerris et in adversitatibus eorum, potentijs, consilijs, auxilijs et suffragijs opportunis adjuvare. Nec sine nostro et Successorum nostrorum Regum Poloniae: Nos quoque et Successores nostri Reges Poloniae, sine Magistri, successorum, Praelatorum, Commendatorum et militarium suorum Prussiae, speciali et expresso consilio, voluntate et consensu, cum quibuscunque personis, quacunque praefulgeant dignitate, celebrabimus, statuimus aut firmabimus aliqua foedera, inscriptiones vel contractus, publice vel occulte, per se vel submissas personas: sed nec Dominus Magister, Commendatores, eorumque successores bella aliqua contra catholicos sine nostro et Successorum nostrorum Regum et Regni Poloniae speciali movebunt consensu.

Forma autem juramenti, qua Nos Ludovicus Magister, et Successores nostri Magistri Serenissimo Domino Casimiro Regi et Successoribus suis Regibus, et Regno Poloniae jurare tenebimur, talis erit.

Ego Ludovicus, Magister generalis Ordinis Mariae Theuthonicorum, Princeps et Consiliarius Regni Poloniae; juro quod ab hac hora et deinceps, fidelis ero Serenissimo Principi Domino Casimiro Regi et Successoribus suis Regibus, et Regno Poloniae, et profectum illorum fideliter procurabo, et negotijs Regis, et Regni fideliter consulam: et secreta quae mihi qualitercunque communicata fuerint, in eorum detrimentum nulli pandam; pacem insuper praesentem in omnibus suis conditionibus et articulis observabo et custodiam, sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Christi Crux.

Item ut per praesentis pacis unionem et fo-

211

212

deris singula odiorum et juramentorum nubila possint funditus evelli, cum praefato Serenissimo Domino Casimiro Rege, et Regno suo Poloniae, pro bono pacis devenimus, et illud inter nos concordavimus, quod Episcopatus Culmen. ad Ecclesiam Gnesn. redeat, a modo et deinceps praefatae Poloniae et Gnesnen. Ecclesiae, et ut tanquam principali sit in omnibus obediens, et subjecta de regulari in saecularem, favore et auctoritate summi Pontificis, ad quod tam Nos Ludovicus Magister, et Commendatores nostri expressum praebuimus et praebemus consensum transferendi, quae etiam cum sua Dioecesi, et omnibus castris, civitatibus, oppidis, et munitionibus, videlicet Chelma alias Culmensch, Lubawa alias Lubaw, Kurzathnik alias Kurnik, Varmbrzessno alias Fredeke, et omnibus districtibus, nobilibus, vasallis, villis, et pertinentiis universis, sub praefati D. Casimiri Regis et Regni sui Poloniae consistet perpetua ditione, patrocinio et defensione.

Item concordavimus, quod Varmiensis ecclesia et ejus Pontifex pro tempore cum suo Venerabili Capitulo Varmien. exnunc et de caetero, cum omnibus suis castris, civitatibus, oppidis, et munitionibus videlicet Helsberg, Bronsberk, Vormedilth, Serburg, Vartenberg, Reszchel, Bischofsteyn, Alesteyn, Gekteszkath, Melizak, Vartenberg, Frawenburg, et Bisschowsburg, cum omnibus districtibus, nobilibus, et vasallis, villis, pertinentiis et attinentiis suis, in praefati Domini Casimiri Regis et Successorum suorum Regum, et Regni Poloniae: ditione, subjectione, et protectione, consistat. Et Nos Ludovicus Magister nostrique Successores, Commendatores, et Ordo ejus ditioni, subjectioni, et protectioni, expresse renunciemus, et omne jus quod Nobis in praedicta Ecclesia, Episcopatu et Capitulo quomodolibet hactenus competebat, in praefatum Serenissimum Regem Dominum Casimirum, Successores suos, haeredes, Reges, et Regnum, plenarie transfundimus, transferimus per praesentes.

Item concordatum et ordinatum est de speciali nostra Ludovici Magistri, commendatorum, et Conventus nostri comprobatione, et consensu. Quod Venerabilis Dominus Vincentius Kielbasa, Consiliarius et Secretarius praefati Serenissimi Domini Regis Casimiri ad ecclesiam praefatam Culmen. per ipsum Dominum Casimirum Regem nominatus, et ad eandem sua intercessione dante Domino promovendus ecclesiam et sedem Pomezanien. Episcopatus, quamvis hactenus in capite et membris regularem incommendam ad vitae suae duntaxat tempora per dispositionem et ordinationem habeat Apostolicam, et illam cum suis castris, civitatibus, fortalitijs, videlicet Prybuth aliat Ressenburg; Quedzyn alias Marieverder, Biskupice alias Byssowsverder, Kyssnelcz alias Frenstach, Smenber alias Sarden, et Rosseberg, caeterisque ejus districtibus, et pertinentiis obtineat: ipsamque in spiritualibus et temporalibus administret, ecclesia

praedicta Pomezanien. remanente nihilominus in suis membris interim regulari: praefato autem Vincentio Kielbasa morte absumpto, ad praefatam ecclesiam Pomezanien. regularis persona nostri Ordinis in Pontificem eligetur, et substituetur, Sanctissimi Domini nostri Papae gratia et favore accedente gaudebitque Domini Regis protectione, consistens in nostra et Ordinis nostri tam religione quam ditione.

Item quoniam post sedatos fluctus bellicae tempestatis, nulli inagis Nos primum convenit, quam ecclesijs et earum ministris compati et commisereri, quatenus supremum sedator uberiori firmitate paci conditae infundat; quocirca ordinamus, et decernimus et statuimus quatenus omnia castra fortalitia, civitates, oppida, castella, munitiones, ecclesiarum loca, et villae, et signanter Framburg, Varmyth, Vartenberg, Melzak, Lubaw, Prabuty alias Resemburg, Gwiedzyn alias Marieverder, et Schomburg, quomodolibet a Nobis et nostris, ac praefato Domino Ludovico Magistro, Commendatoribus et Conventu suis possessa, occupata, et incastellata, quocunque nomine vocitentur suis Pontificibus, Capitulis, Praelatis, Abbatibus, monasterijs, et signanter Varmien: Culmen: Pomezanien: et Sambien: Ecclesijs, Episcopis, et Capitulis, tam cathedralibus quam conventualibus, collegiatis, hospitalibus, absque aliqua contradictione, diminutione, depactatione, solutione vel arresto, cum omni sua suppellectili, bombardis, ornamentis et pertinentijs universis, infra hinc et festum Nativitatis Beati Joannis Baptistae proxime venturum reddantur viceversa. Omnes insuper Pontifices, Abbates, Capitula, Praelatos, Praepositos, Canonicos, Curatos, et alios beneficiatos, qui non sunt de Ordine praedicto, in eorum loca, jura, libertates et possessiones, quae, et quas ante notam gverram possederant, restituimus et tenore praesentium reintegramus, exceptis castris et civitatibus praedictis, in festo praedicto Beati Joannis Baptistae restituendis. Quod si Curati Nobis, aut Domino Magistro, aut civitatibus vel oppidis ingrati vel suspecti sint, permittatur quod permutent, aut Vicarios idoneos constituent, aut pensionem honestam auctoritate Superioris reservandam, dimisso atque renunciato titulo; suscipiant. Item omnes captivos in praesenti gverra per Nos Casimirum Regem, Duces Masoviae et Stolpen: Episcopum et Capitulum Varmiens: gentes nostras, coadjutores, et adhaerentes captos, sive sint depactati sive non, ab omni captivitate et sponsione, vigore praesentis foederis, absolvimus et tenore praesentium relaxamus, quae absolutio et libertas per Dominum Ludovicum Magistrum, suos Praeceptores, Capitaneos et Officiales, nostris et omnium nostrorum coadjutorum et adhaerentium, et signanter captivis Dominorum Ducum Masoviae, et Stolpen: ac Reverend: Patris Domini Pauli Episcopi et sui Capituli Varmiensis, sive depactatis sive non, quocunque vocitentur nomine, nullo excepto, debet praestari et impendi,

213

nec depactati aut taxati debent obligari ad aliquam solutionem praemissam, quae nondum est soluta, etiamsi depactati dedissent pro se de solutione aliquam cautionem. Item ordinamus et statuimus, ut omnes mercatores, tam Regni nostri Polon. Principatum, Terrarum, et Dominiorum nostrorum, et Regni ac Episcopatus, Capitulique Varmien: quam Terrarum Prussiae in ditione Domini Ludovici Magistri, et Ordinis sui consistentes, sint ubique in terris et in aquis tuti et securi, et nullae illis molestiae inferantur, nec cogantur, nisi solitis et veteribus stratis, itinerebus et locis ambulare, aut ad aliquam civitatem, castrum et locum sub praetextu cujuscunque constitutionis vel edicti cum rebus et mercibus suis, cujuscunque materiei existant, de caetero applicari, praeterquam in Kynsburg, juxta conventionem desuper factam, super qua speciales a Nobis literae emanarunt. Item quoniam per mercatorum industriam, et rerum venalium importationem, Respubl: notabile accipere consuevit incrementum: statuendo decernimus et spondemus quod nulla telonea, deposita, gabelas, foralia, sive quascunque alias censuationes, locis et personis in Regno nostro, Principatibus, et dominijs nostris, et Regni nostri imponemus de novo, aut imponi permittemus, tam in terris, quam in aquis, sed tantummodo utemur impositis. Quod idem Dominus Magister Ludovicus, successores sui, Commendatores et Conventus in Terris Prussiae suis observabunt. Item ut charitatis et unionis amplior certitudo inter Nos Casimirum Regem, Successores nostros Reges et Regnum Polon: Principatus, Terras et Dominia nostra, et Regni ejusdem subditos et adhaerentes parte ab una, et Dominum Lodovicum Magistrum, Successores suos, Commendatores atque Ordinem in Prussia a partibus altera, jugiter et inconcusse perpetuo perseveret, statuimus et ordinamus, quod deinceps et a modo ad Ordinem S. Mariae Theutonicorum praedictum in Terris Prussiae consistentem, personae idoneae et Ordinis capaces etiam ex subditis quibuscunque Regni nostri Poloniae, Principatum, Terrarum et Dominiorum ejus assumantur, ita tamen, quod ultra mediam partem assumere de illis non teneantur, et in distribuendis Commendarijs et officijs Ordinis juxta dictam medietatem Magister et Commendatores teneantur ad illos bonum habere respectum. Magister vero eligetur vir magis utilis et idoneus secundum regulam Ordinis et instituta. Qui cum sit noster et Regni Poloniae Princeps et Consiliarius, non debet sine suo demerito et nostro scitu per Commendatores et Conventum a Magistratu amoveri. Item ut hujusmodi pacem perpetuam unionem et concordiam sub certiori attentione, firmitate et robore custodiamus, promittimus sine dolo, et fraude, ac sub onere praestiti juramenti, quod ad nullius viventis hominis auctoritatem et potestatem, etiam quacunque praefulgeat dignitate, Papali, Imperiali, Regali, Ducali, aut cujuscunque congregationis legitima, personarum ecclesiastica-

rum aut saecularium ad impetrandum praesentis pacis, foederis et contractus, in toto vel in parte expresse, manifeste vel occulte, per se, alium, vel alias quascunque submissas personas, spirituales vel saeculares, dissolutionem, ruptionem, cassationem aut irritationem, recurremus aut recursum habere poterimus, aut Nos induci, persuaderi, requiri, vel Nobis mandari ad violationem praesentis pacis, et foederis per aliquam potestatem Papalem, Synodalem, Imperialem, Regalem, Ducalem, permittemus, neque impetrabimus absolutionem aut relaxationem juramenti praestiti, neque utemur impetrata, aut etiam motu proprio concessa vel concedenda, et si contrarium fecerimus, censebimur fidefragi et periuri. Item subditi Domini Ludovici Magistri ac Terrarum praedictarum suarum Prussiae, undecunque et cujuscunque gradus, status et conditionis fuerint, qui causa negotiationis vel alia ad Terras quascunque nostras, et Regni nostri Principatum et Dominiorum praedictorum venerint, per Nos Principes, Barones, subditos, sive etiam extraneos, cujuscunque conditionis vel gradus fuerint impediri, conveniri, vel arrestari non debent. Sed in Prussia si quid actionis habuerint, actores juxta Terrarum jura municipalia illos conveniant et querelae hujusmodi sopiantur. Delinquens tamen in loco delicti deprehensus et contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri, sed si de loco ubi contraxit recesserit publice vel occulte, eorum iudice suo conveniatur.

Item ordinamus: quod ubicunque quis reperiat rusticos vel colonos suos, qui propter guerras aut alias ab eo recesserunt, possit eos repetere, qui et sibi dimitti et restitui debent, cum eos requisierit.

Item quod nullus mercator seu alius homo cujuscunque conditionis existat, aut bona ipsius propter delictum seu debitum alterius arestentur, molestentur, turbentur, nec etiam captivetur.

Item si vectores aut aurigae, bona seu merces mercatorum pro pretio ducentes, telonea seu datiarum loca praeterierint, ipsi duntaxat in eorum rebus et equis suis propriis puniantur, et quod praeterea bona mercatoria non debent occupari nec detineri.

Item si per aliquem subditum aut indigenam alicujus nostrum inscriptioni seu paci perpetuae praesenti fuerit in aliquo derogatum et contraventionem, utpote si rapinae, spolia, incendia, vastationes, praedae, vel homicidia, vel aliqua maleficiorum genera in Terris et dominijs nostris, alterutrum perpetrata fuerint et commissa, propterea praedicta pax, unio, cassari et irritari non debet, sed in suo robore et firmitate permanebit. Nec propter hoc pars cujus subditus hujusmodi maleficium commiserit, censebitur fore dejerans, et perjurers, praedicti autem delinquentes et malefactores, pro ipsorum excessibus, per Capitaneos sive Officiales, utriusque nostrum judicialiter punientur, et ad satisfactionem plenam et debitam arcebuntur et compellentur.

215

216

Item promittimus tenore praesentium et spondemus in verbo nostro, et sub onere praestiti juramenti per Nos pollicemur: quod (ad occupandum Terras, castra, civitates, oppida, villas, et quaecunque loca Domini Regis, Ducum, et Episcopi et Capituli praedictorum, et omnium subditorum suorum, sub eorum ditione consistentium tam ecclesiasticorum quam saecularium: quinimo, si aliquo casu per quemcunque hostem aut insidiatorem Regis, Ducum, Episcopi, et Capituli praedictorum, castrum aliquod, civitas vel fortalitium fuerint dolo, fraude, vel violentia intercepta, vel occupata aut aliqua loca incastellata, quod Deus auferat) nullatenus debemus aut poterimus castrum, fortalitium, civitatem, aut loca sic intercepta, occupata, vel incastellata, etiamsi sponte vel ultronee illius vel illorum Nobis offeratur deditio, quomodolibet, et sub quocunque colore suscipere, sed tenebimur et astringemur ad conquestionem, et recuperationem cujuslibet castri, civitatis, et fortalitij, in Terris Culmensi, Pomeraniae et Prussiae, intercepti et occupati, expugnati et incastellati, per Nos et nostras potentias, una cum potentijs Serenissimi Domini Casimiri Regis, Dominorum, Ducum, et Episcoporum, et Terrarum suarum, et subditorum praedictorum consurgere, et de manibus hostilibus eripere, ac in potestatem et ditionem Serenissimi Domini Regis Casimiri, Praelatorum, Principum, et subditorum praedictorum restituere viceversa tenebimur.

Item Nos Ludovicus Magister, Commendatores, et Ordo praedicti, castra et civitates Stechum, Novumforum, Chelm alias Culmen, antiquum castrum alias Heldennus, Brodnica alias Stroszberg, Kryszburg alias Dregon, quae haecenus fuerunt in nostra possessione et ditione cum universis suis districtibus et pertinentijs, salva dispositione quoad Krystburg superius expressa, praefato Serenissimo Domino Casimiro Regi, et Regno Poloniae, aut eorum factoribus et officialibus dimittere et resignare cum villis, oppidis, cohaerentijs, pertinentijs eorum universis, nihil excipiendo et dictorum castrorum atque civitatum praefato Serenissimo Domino Regi Casimiro et Regno Poloniae aut eorum factoribus et officialibus intra hinc et festum Nativitatis Sancti Joannis Baptistae proxime venturum effectivalem, literalem, et expeditam tradere possessionem. Sive autem de manibus nostris et nostrorum et ex nostra cessione, sive etiam alijs quibuscunque modis, praefata castra et civitates in manus et potestatem Domini Casimiri Regis et Regni Poloniae devenerint, quod et per hoc huic articulo, Nos Magister Commendatores, Conventus, et Ordo censebimur satisfacere. Provisio et etiam ante omnia salvo, ut Serenissimus Dominus Casimirus Rex Poloniae praedictos cives et subditos civitatum praedictarum benigne suscipiat, et omnem offensam ex corde illis nunquam verbo vel facto ipsam reminiscendo, dimittet, et de bonis ac vita illos per speciales suas Regias literas in manibus nostris tradendas

assecurabit: jura eorum libertates, et immunitates, antiqua et antiquas duntaxat confirmando. Quod idem et Nos Ludovicus Magister Commendatores et Ordo de civibus et subditis civitatum Holanth, Bassenheym, Meydenburg, et Molhyrze, facere tenebimur. Quarum etiam civitatum Holanth, Bassenheym, Meydenburg, Nolchyrzen, et cameratum Bordewon praefatus Serenissimus Dominus Casimirus Rex et Regnum Poloniae tenebitur Nobis Magistro, Commendatoribus et Ordini nostro infra hinc et praedictum festum Nativitatis S. Joannis Baptistae liberam, realem et expeditam dimittere possessionem, exceptis sex villis districtus Holanth, et quinque villis oppidi et districtus Molchusen quae superius sunt nominatae.

Volumus autem, quod omnes venditiones, donationes, alienationes, libertationes et inscriptiones inde et super oppidis, villis, castris, quae Nos Ludovicus Magister, Commendatores et Ordo, dicto Domino Serenissimo Casimiro Regi prout supra assignare tenemur, hujusmodi gverris durantibus quovis modo factae, sint cassae, irritae, et nullae, quas et sic ex nostra certa scientia cassamus, irritamus, et annullamus.

Item ordinavimus, quod omnes profugi, spoliati, et exules, militares videlicet nobiles et terrogenae tam de Regno Poloniae, Ducatibus, dominijs, et terris praefati Serenissimi Principis Casimiri Regis, et Regni sui, et Episcopatus Varmien. quam de Terris Prussiae et Ordinis praedicti quibuscunque possint redire ad propria, et de bonis suis dimissis disponere pro beneplacito suae voluntatis, ad quorum quietam et plenam possessionem tenebimur illos et proximiores illorum admittere et defendere admissimus, non obstante quod hujusmodi bona eorum per Nos, alijs quibuscunque personis sint ad vitam, aut ad tempus, vel in perpetuum obligata, donata, vel inscripta. Quas quidem obligationes, donationes, venditiones, et inscriptiones cassamus, et irritamus, revocamus et annullamus, nulliusque roboris esse volumus per praesentes.

Tenebimur quoque Nos Ludovicus Magister, Commendatores et Successores nostri illos habere in gratia et favore, nec unquam verbo aut facto eorum reminisci hostilitatis, nec de illis unquam aliquam sumere ultionem, per Nos vel submissam personam, publice vel occulte, directe et indirecte, aut quovis quaesito colore: quibus etiam plenam damus licentiam de Terris et dominijs nostris, ad Terras Regni, Principatum et Dominiorum praedictorum ratione incolatus se transferre, et bona sua mobilia et immobilia vendere, et commutare, et de eis libere disponere pro suo arbitrio, beneplacito, et voluntate. Cives etiam utriusque partis qui de civitatibus vel oppidis expulsi vel banniti fuerant aut alias ab eis recesserant, publice vel occulte, debent ad illos et illa ire, et admitti. Bona quoque eorum, quae ante inchoationem hujus dietae vendita vel donata alijs non sunt, debent eis resti-

217

tui. Etsi ad domos vel bona vendita aut donata reditum habere velint, dato pretio per emptorem exposito, aut quod pro donatis per Consulatum loci taxabitur, restitui debent eisdem, salvo etiam eo, quod possessiones in aedificiis vel aliis oneribus occasione ditorum dominiorum vel bonorum exposuerunt, quod similiter juxta dictamen Consulatus loci restituere debent, antequam hujusmodi domus ipsis vel bona restituantur.

218

Item vi praesentis pacis, foederis et unionis conclusio abundantiori cautela custodiatur, per Nos Magistrum, Commendatores et Ordinem, omnes Episcopos, Commendatores, Vice-Commendatores, Advocatos, milites, nobiles et caeteros Magistratus, et Officia in Terris nostris Prussiae obtinentes. Item Magistri Consulum, Consules civitatum nostrarum Kunszberg Kne-paw Lembenycht, Holanth, Noydeburg Passenheim, ac omnes et singuli fratres Ordinis militaris Prussiae, jurabunt pacem praesentem servare inviolabiliter, et inconcusse, nec ei contravenire quacunque occasione, nec dispensationem vel relaxationem juramenti petere, renuntiando omnibus exceptionibus tam juris quam facti, maxime quod causa metus, perditionis omnium bonorum, aut absque consensu Sedis Apostolicae cui Ordo immediate subest, seu quod non vocatis Magistris Alemanniae et Livoniae, et absque eorum scitu, voluntate, et consensu, et contra statuta, et consuetudines Ordinis praesens concordia et unio celebrata et acceptata sit, et aliis non obstantibus quibuscunque.

Item ut hujusmodi pacem perpetuam et concordiam sub certiori tenore, attentiori firmitate et robore in omnibus suis capitulis, conditionibus, articulis, atque punctis custodiamus, et servemus: et ut pax ipsa foedus et unio ab omni suspicionis genere sit circumscripta, pro illius subsistentia et robore adjicimus. Quod Serenissimus Dominus Casimirus Rex Poloniae, et Nos Ludovicus Magister, Commendatores, Conventus et Ordo, per nostros hinc inde factores et Procuratores, quos in solidum et irrevocabiliter praesentium tenore constituimus, Venerandum videlicet Patrem Dominum Iodocum Episcopum Ozilien. Ordinis Procuratorem generalem et Magnificum, Venerabiles, Egregios, Nobiles et circumspectos viros Joannem de Ostrorog Militem, utriusque juris Doctorem, Castellatum Miedzyrzecen. Magistrum Sandivogium Theologiae Professorem, Praepositum monasterij Clodavien. Ordinis Canonicorum Regularium, Antonium de Furlivio decretorum Doctorem Camerae Apostolicae Clericum, Andream de S. Cruce, Antonium de Kafarellis Sac. Palatii Apostolici Advocatos, Bartholomaeum Kielbasa Can. Gnesn. Magistrum Henricum, Gurdeman Decanum Ecclesiae S. Andreae Colonien. Procuratorem causarum, Magistrum Fabianum Hanco decretorum Doctorem Canonicum majorem et Scholasticum S. Crucis Vratislaven. Ecclesiarum, coram summo Pontifice Domino nostro Sanctissimo Papa

confitebimur, profitebimur, recognoscemus et quilibet nostrum profitebitur et recognoscet praefatam unionem, foedus, pacem, et concordiam Nos spontanea, libere sincera voluntate, sine dolo, et fraude celebrasse, ordinasse, confecisse, et consummasse. Et omnes articulos, capitula, modos et ordinem quibus pax ipsa et concordia confecta, consummata, et regulata est, ad praefati Reverendissimi Domini Patris Rudolphi Episcopi Laventini Apostolici Legati exhortationem, persvasionem, et mediationem, et de nostra mente, scitu, voluntate, consensu, et beneplacito ultroneis processisse. Instabimusque, petemus, laborabimus, instare, petere, et laborare debemus, et tenebimur sine dolo et fraude, quatenus Sum Pont. Dominus noster praesentem unionem, foedus, pacem et concordiam per interpositionem sui specialis decreti, de certa suae Sanctitatis scientia emanandi, et per literas Apost. sive bullas in omnibus ipsius articulis, capitulis, modis, ordinationibus, atque punctis acceptet, ratificet, et ad perpetuam rei memoriam confirmet, poenam quoque et censuram ad quam Nos submittimus adiciat, et apponat, in praesentis pacis, unionis, et foederis violatorem et transgressorem et contrariatorem, cum suppletionem defectuum, si qui sunt in praesenti foedere, ordinatione, et inscriptione commisi: et cum derogatione statutorum et consuetudinum Ordinis, etiam juramento firmatorum, aut autoritate Apostolica vel legatorum ejus vel quacunque alia confirmatorum, quibus fortasse caveretur, quod in magnis et arduis rebus Ordinis, vocatio et consensus Magistrorum Alemanniae, et Livoniae debeat intervenire, ac etiam cum cassatione allegationis metus, quae per Nos Magistrum, Commendatores, Conventum, et Ordinem praetendi possit, cum ad pacem praesentem conficiendam, ad vocationem, Reverendissimi Domini Rudolphi Episcopi Laventini Legati Apostolici, sponte venerimus; et in singulos tractatus, conditiones, et conclusiones pacis, tanquam Nobis proficuas; et utiles nostrum ultroneum praebuerimus consensum.

Quam quidem concordiam, unionem et foederis perpetui conclusionem, Nos Casimirus Rex praefatus, pro Nobis, Regni nostri Successoribus, et Ducibus Masoviae et Stolpen Episcopo, Episcopatu, ac Capitulo Varmien adjutoribus, adhaerentibus et subditis nostris. de certa scientia in omnibus ejus articulis, conditionibus, atque punctis approbamus, acceptamus et praesentium tenore pro subsistentia perpetua emologamus, salvis aliis quae contra praesentis pacis et unionis ordinationem, ejus condiciones, articulos et capitula non sunt, praefati Domini Ludovici Magistri et sui Ordinis juribus, libertatibus, et privilegijs quae Nos Casimirus Rex praefatus, pro Nobis et Successoribus nostris Regibus Poloniae approbamus et confirmamus. In cujus rei testimonium nostrum et praefati Reverendissimi Patris, Dni Rudolphi Episcopi Laventini et Apostolici Legati sigilla, cum manus

219

220

propriae ipsius Domini Rudolphi Legati, et Notariorum publicorum subscriptione praesentibus sunt appensa. Et nos Ioannes S. Gnesnen: Ecclesiae Archiepiscopus et Primas, et Regni Poloniae Cancellarius, Jacobus Vladislaviensis, Paulus Varmien: eadem gratia Episcopi: Lucas de Gorka Posnaniens: Stanislaus de Ostrorog Callisien: Sciborius de Baysen gubernator Prussiae, Petrus de Oporow Lancicien: Nicolaus de Kościelec Bresten: Ioannes de Kościelec Junivladislavien: Gabriel de Baysen Culmen: Palatini Petrus de Szamotyły Posnaniens: Petrus de Gay Callisien: Ioannes de Rytwiany Regni Poloniae Mareschaleus, Otho Machwicz Miles, Nicolaus Pilawski Culmen: Petrus de Moszczona Dobrzymen: Dobrogostius de Ostrorog Camenen: Ioannes de Ostrorog utriusque Juris Doctor Miedzyrzecen: Sandivogius de Czarnkow Santhoczen: Castellani. Sciborius de Poniecz Judex Posnaniens: Petrus Dunin de Prankowice Sandomirien: et Michael de Lassotki Lancicien: Succamerarij. Promittimus et spondemus, quod Serenis: Princeps Dominus noster gratiosissimus, D. Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, et Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Dominus et Haeres, et sui Successores Reges Poloniae praesentem concordiam et foedus pacis perpetuae atque conjunctionis cum Illustri et Magnifico Principe et Consiliario Regni Poloniae, Domino Ludovico de Erlichhausen, Magistro generali Ordinis Beatae Mariae Theutonicorum hospitalis Jerosolimitani praedicto initam, conclusam, affirmatam, custodiet, attendet, observabit. Nos quoque Praelati et Barones praedicti custodiemus, attendemus, observabimus, et implebimus in omnibus conditionibus, articulis, atque punctis et in evidentiam praemissorum, sigillorum, nostrorum appensione, praesentem literam ordinavimus roborari. Actum et datum in Thorun die Solis, decima nona Octobris. Anno Domini 1466.

Praesentibus Venerabilibus, Egregijs, Strenuis, Nobilibus et spectabilibus Viris, Paulo de Glovina Decano Cracoviensi, Petro Pniewy Praeposito Vladislavien: et Canonico, Jacobo de Schadek Decretorum Doctore Praeposito Premislien: et Ioanne Długosz Canonico Cracovien: Henrico de Oporow utriusque juris Doctore, Archidiacono Gnesnen: Mathia de Raczansz Canonico Vladislavien: Ioanne Vinkler Decretorum Doctoribus, Paulo de Panczlawice, Ioanne Ofman, Clerico Bambergen: Dioecesis, Licentiat in Decretis, Ioanne Stankonis Medicinae Doctore, Canonico Vratislaven: Bernardo de Schomberg in Chelm, Ioanne Skalskim in Fravenburg, Georgio Sliven, Przewschelaw, Capitaneis: Ioanne Szyling, Ioanne Thimonis, et Philippo Vaysel de Sambia, et alijs quam plurimis fide dignis testibus ad praemissa vocatis et rogatis.

221

Et ego Rudolphus Dei gratia Episcopus Laventinus Sacro-Sanctae Sedis Apostolicae, et Sanctissimi D. nostri D. Pauli Divina Providentia Papae II. ad Germaniam Legatus mis-

sus praefatus. Quia praemissa omnia tractavi, concordavi et dum per partes acceptarentur, emologarentur et jurarentur interfui. Ideoque pro meliori evidentia ac testimonio hic me manu propria subscripsi, hujusmodi concordiam et foedus approbando, atque ratam et gratam habendo. Laventinus Episcopus manu propria.

Et Ego Ioannes Ervich de Attendary Clericus Coloniensis Dioecesis, Apostolica et Imperiali autoritatibus Notarius, praefatique Reverendissimi in Christo Patris, et Domini Domini Rudolphi Episcopi Laventini et Legati Apostolici ac coram eo Scriba. Quia pro insertis concordiae et perpetuae pacis et articulorum et Capitulorum, in eadem concordia expressorum publicationi, et insinuationi partium hinc inde concordiae acceptationi et emologationi, exceptioni, renunciationi, promissioni et juramenti praestationi, omnibusque alijs et singulis praemissis dum sic ut praemittitur, per praefatum, Dominum Reverendissimum Dominum Rudolphum Episcopum Laventinum et Legatum Apostolicum, ac coram eo et per Serenissimum Principem Dominum et Dominum Casimirum Regem Poloniae etc. et suos ex una, ac Magnificum Dominum Ludovicum de Erlichhausen, Magistrum generalem Ordinis beatae Mariae Theutonicorum et etiam suos ab altera, praesentibus agerentur et fierent, una cum praenominatis testibus praesens interfui. Eaque omnia et singula, prout in praefatis concordia et articulis continetur fieri, vidi et audivi. Ideoque per insertas literas concordiae et perpetuae pacis, cum earum articulis et capitulis, manu alterius me aliunde legitime occupato fideliter scriptas, atque confectas subscripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi signo et nomine meis solitis et consuetis, una cum dicti Reverendissimi Domini Legati, Magistri generalis et Commendatorum praedictorum sigillorum appensionibus, ac cum Notarijs infra scriptis signavi in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum rogatus et requisitus.

Et ego Stanislaus Franke de Rakowice, Clericus Dioecesis Vladislaviensis, publicus Imperiali auctoritate Notarius etc. ut supra.

Et ego Paulus Ioannis de Beszowa Clericus Dioecesis Gnesnensis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, etc. ut supra.

ORATIO

222

AD DIVUM PAULUM SUMMUM PONTIFICEM
NOMINE MAJESTATIS R. PRO RATIFICANDA FACE PERPETUA
ET PRAESTITA OBEDIENTIA ETC. HABITA.

Beatissime Pater et Domine gratiosissime, fidelium omnium Pastor et Rector, facturus apud tuam Majestatem, et hunc Reverendissimorum Patrum Minorum Cardinalium Insignem caelum nomine Serenissimi Principis Domini Ca-

simiri Dei gratia Regis Poloniae, Magni Ducis Lithvaniae, Russiae, Prussiae Domini et haereditis, verba, et iussiones tuae Sanctitati expositurus, circumspiciens non commoveri, non denique fluctuare animo meo non possum, magnopere mecum reputans, quam maximum, quam amplissimum munus mihi mandatum sit, quamque hoc tempus, haec dies, hic locus verum quem alium, qui ego esse putarem dicendi peritum desideret, cui et amplior ubertas sermonis, et feratior contigit libertas ingenii, mihi etonim hac in eminentissima frequentia, hoc in amplissimo Collegio, apud tuam Sanctitatem nunquam alias visam, apud Vicarium Christi peroranti, mens atque animus contrahit stuporem; quis enim est tam facundae atque vivacis memoriae, quis tanta ingenii, aut dicendi polleat facultate, qui in hoc pulcherrimo consessu et huius frequentiae corona, dignitatem et excellentiam tuam metuendo non fiat hebetior, non fiat obtusior, et tamen sciens clementissimum, sagacissimum et eruditissimum, et verum nostrae religionis Parentem, in singulos favore, perpensori benevolentia propitium, ausus mihi maximos sumo, qui me non tantum firmant, ut fidenti et quieto animo dicam, sed provocant et impellunt, vehementerque cogunt ut magna et hilari mente aggrediar, apud Divinas aures tuas benignissime acceptum iri, quidquid dixerō confidens, et quo minus possum ingenio, eo magis mihi et ignorantiae meae parsurumque non ignoro a tua Sanctitate, praesertim cum non meo, sed praefati Serenissimi Domini Principis Casimiri Regis, auctoritate et nomine mihi incumbat dicendum, quem tua Sanctitas etiam dum illam minor haberet status, et deinde in hac tua ad summum Sacerdotium Divina, quam humana evectione, sacra felicitis recordationis Domini Eugenii Papae Quarti Praedecessoris et Avunculi tui, imitata vestigia peculiari animo fovit, extulit et dilexit, ac suos et Regni profectus sui, et commoda singulari studio et cura promovit et procuravit, ipseque Illustrissimus Princeps Dominus Casimirus Rex Poloniae praefatus, quam primum te ad culmen dignitatis Apostolicae favore Divino et Patrum conscriptorum uniformi et mirifico consensu, divinis trahentibus meritis cognovit sublimatum, universae primum Reipublicae Christianae maximis hactenus impressionibus barbarorum vexatae, deinde suis et Regni sui et Dominorum suorum rebus optime sperare coepit, postquam te sciebat natura, ingenio, atque virtute, et optimarum tam studio, quam innocentia excellisse, pro fidei quoque et religionis nostrae incremento et populi Christiani libertate vindicanda, magno semper animo magnoque zelo flagrasse; quapropter Illustrissimus ipse Rex tantis bonis et superne tibi collatis et a natura ingentis, in universum catholicum orbem, in suum quoque Regnum, Principatus, et dominia redundantibus et redundaturis, singularissimo zelo, velut devotissimus filius affectus et per ornatorum suo-

rum ex bonis et necessariis respectibus hactenus missorum, Sanctitati tuae publicam obedientiam verbis non praestitit, rebus tamen ipsis, et operibus te coluit et recognovit te Vicarium unicum et indubitatum Summi Dei tenuit, in terris reputavit et credidit, justissimis tuis tam exhortationibus, quam mandatis obedienter paruit. Requisitus siquidem tuae Sanctitatis literis, et deinde Reverendissimi in Christo Patris Domini Rudolphi Episcopi Laventini, tuae Sanctitatis, ad Germaniam Legati et Oratoris sermonibus et literis, quatenus bellum atrox et diuturnum cum Magistro et Ordine Cruciferorum Ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum, hospitalis Ierosolimitani hactenus continuatum dirimeret, et se a bellorum stridore temperaret, quamvis armis et potentia, favore insuper successuum et fortunae se sciret multo superiorem, et paene jam victorem, monitis tamen tuae Sanctitatis et Imperiis potius quam suae felicitati et successibus deferendum et auscultandum duxit, et ad dietam super plantanda pace, pro die prima Septembris apud Thorun, per dictum Dominum Rudolfum Legatum, indictam personaliter advenit, sicque adveniens, in conditiones aequas se pertrahi consensit. In cuius quidem pacis ordinatione, et tractatu Dominus Rudolfus Episcopus Laventinus, caste, sincere, integre, inter partem utramque duobus prope mensibus, versatus, fructum est amplissimum suae missionis consecutus. Tantam de se virtutem exhibens, tantam industriam, quantam in terris omnibus, qui rem hanc fuere aggressi, neque videre potuimus, neque sentire, talem insuper in pace componenda, talem in dirimendis difficultatibus, talem in dissolvendis nodosis disceptationibus, talem in admonendo, talem in persuadendo gessit, ut parti utriusque gravissima foret ejus fides, modestia et integritas, cujus modestiae et integritatis signum hoc, id, vel pro maximo documento, tua Sanctitas accipiat quod singula dona, quibus a Serenissimo Domino nostro Rege honoratus erat, recipere constantissime recusavit; et quamvis ab insignibus et gravibus viris, ad idem a Rege ad illum destinatis, ut ex donis ipsis, aliqua saltem grata accipere in animum induceret, iterum atque iterum, ne quidquam vexaretur aspernatus, tamen omnia expetitionis frequentem instantiam repulit, et petentium dignitatem; itaque Pater Beatissime, nomine praedicti Illustrissimi Regis nostri, Praelatorum, Principum, et omnium subditorum suorum, quos ambitus Regis Polonici continet maximas tuae Sanctitati, quemadmodum justum et condignum est, gratias agimus, majores habemus, quamvis illas satis et ornate agere nullatenus possumus, agit et Venerabilis Magnificusque Vir Dominus Ludovicus de Erlichhausen Magister Generalis Ordinis praedicti, cum Serenissimo Rege, Domino nostro et Regno perpetuo foederatus et unitus, agunt et Praeceptores subditique sui, tuo favore, tuo beneficio in dudum exulantem pacem reducti, sed

CASIMIRUS

JURA ET PRIVILEGIA OMNIA

CONFIRMAT ANNO 1470.

neque solum Illustrissimus ipse Rex Poloniae, suique Optimates, subditi et Proceres praedictusque Magister Generalis et Ordo, verum universae vicinae nationes et populi tuae Sanctitati, gratias immortales ferre gestiunt, nec est ex tot lingvis et populis, qui non probet, qui non laudet, qui miris laudibus non efferat, qui te beato aevo et gloria immarcescibili perfrui non optet, qui populum catholicum maxima laetitia affecisse, et in singulos pacem diffudisse non dicant, non sentiant quae illam generalem studiorum, illam bellorum perniciem sustulit, extinxit et pacem cunctis desiderabilem aequis conditionibus perfecit, quam perficere sine te, nemo alius potuit. Cum autem virum eum Pontificem et Legatum, qui jucundissimam pacis amaenitatem, tua auctoritate et nomine confecit, hic disjunctissimos populos, odijs prope majoribus certantes, quam viribus ad pulcherrimam et uniformem idemnitatem reduxit, quorum solidum glutinum Magistri et Ordinis Oratorum Nos concomitantium, nostrisque precationibus faventium, coram testatur conspectus, eum inquam hominem, vel ut verius dicamus, terrestrem pacis Angelum, summa fide, summa probitate continentiae, innocentia, puritate, nobilissimis quoque moribus partis utriusque benevolentiam et existimationem consecutum, tua Sanctitas carum habeat et sublimem, quemadmodum dignum et meritis est precamur, decoret et continuet, pacemque confectam, pro solidiori illius subsistentia, sua auctoritate, suique Apostolici interpositione decreti et approbet, et in singulis suis conditionibus et articulis, idem pars utraque deposcit, precatur et desiderat, suis literis confirmet. Rex autem clarissimus noster, dudumque tibi et Sedi Apostolicae deditissimus praestitam tibi alias obedientiam iterum atque iterum praestat et innovat. Teque unicum summum Pontificem, universalisque Ecclesiae Vicarium indubitatum Iesu Christi, per nos humiles Oratores suos profitetur et recognoscit. Rogans humiliter et deprecans Sanctitatem tuam, ut ad defensionem catholicorum, exterminium barbarorum, atque inter acceptitudinem religionis quo coepit zelo et studio intendat, ipsum Regem Regnum suum et Illustrissimam Conjugem suam, Natos, Praelatos, Principes et subditos, singulariter quoque praefatum Dominum Ludovicum Magistrum et Ordinem suum, Principatus et dominia ipsorum habere velis singulariter recommissos, qui se tuae Sanctitati, omniaeque sua benevolos et devotissimos exhibent, tuae quoque fidei et obedientiae se submitunt, grato et pro no animo facturos singula, quaecunque spectare videbunt, in tuae Sanctitatis et Sacrosanctae universae Ecclesiae honorem, statum, beneplacitum et augmentationem, ad laudem individuae Trinitatis, tuaeque Beatissimae Sanctitatis. Dixi.

Nos Casimirus, etc. Significamus, quod recentiores et in animo revolventes, quanta puritatis affectione, et fidei integrae constantia, Praelati, Comites, Barones, Milites, Proceres, Nobiles, Burgenses, cacterique subditi et incolae Regni nostri Poloniae, spirituales et saeculares, personam nostram venerati sunt, atque dilexerunt, ut tandem decedente felicitis memoriae Genitore, et Fratre, nostris charissimis Regni Poloniae Regibus, Nos, tanquam verum haercedem et legitimum Successorem ipsi in Regem et Dominum, voluntatibus concordibus assumpserint, sacro quoque Regni diademate insignierint, cum igitur Altissimo dirigente, votis eorundem incolarum Regni nostri, in nostram Majestatem deliberate concurrentibus, paternum huius sacri Regni Poloniae nacti sumus solium, dignum eapropter duximus, in ipsos incolas oculos pietatis nostrae aperire, et eis hanc, quam actu et opere velut athletae fideles in Nobis exhibuerunt, sinceritatis constantiam, (ut decet) compensare, etc. Ex certa nostra scientia, praehabita sufficientissima deliberatione, animo et voluntate, nostra ultronea, ipsis Praelatis, Comitibus, Baronibus, Militibus, Proceribus, Nobilibus, Burgensibus, cacterisque subditis et incolis Regni nostri, cujuscunque status existunt, spiritualis vel saecularis, quaeque ipsorum jura, libertates ac immunitates, literas, privilegia ecclesiastica et saecularia, quae a divae memoriae praelibato Genitore, ac illis Regibus, Principibus, Ducibus et Dominis Praedecessoribus nostris Regni Poloniae, veris et legitimis haeredibus super quibuscunque bonis et libertatibus habere dinoscuntur, et habent, sub quibuscunque datis, in vita sua juste et rito emanata libertates et immunitates, spirituales et saeculares in se continentes, et quas hic volumus habere pro insertis in omnibus earum punctis, positionibus, conditionibus, articulis et clausulis eorum universis ratificamus, innovamus, approbamus et praesentis scripti patrocinio confirmamus decernentes, illa robur obtinere perpetuae firmitatis. Promittimus insuper in verbo nostro Regio praesentibus et spondemus, eadem ipsorum jura, libertates, immunitatesque literas et privilegia, per omnia rata atque grata habere, et jugiter et inviolabiliter, perpetuo observare, ac eis satisfacere cum effectu, etc.

CASIMIRUS TERTIUS

VLADISLAI JAGELLONIS FILIUS

IN OPATOWIEC SANXIT STATUTA DE RAPTORIBUS ET
INVASORIBUS BONORUM ECCLESIAE, QVAE EDIDIT IN
NOVA CIVITATE SUB DATA INFRASCRIPTA.

CASIMIRUS.

*Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae,
Russiae, Prussiaeque Dominus et haeres etc.*

Universis et singulis Capitaneis signanter tamen Cracovien: Sandomirien: Novae-Civitatis, Radomien: Lublinen: et aliis ubilibet consistentibus praesentibus requirentibus, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram cum favore. Magnifici et Generosi sincere, et fideles nostri dilecti. Non sine gravi animi molestia, ac Divinae ultionis metu quotidianas spiritualium Regni nostri querelas, lachrymis etiam pernixtas audimus, quomodo ipsi per terrigenas belligeros, qui ad expeditionem generalem proxime praeteritam procedebant in bonis ecclesiasticis praeter morem terrestrem, damnificati sunt, volentes itaque ultionem Divinam intercipere, nostraque animadversione praevenire cum omnibus Consiliariis nostris in Opatowiec exercitualmente congregatis talem modum invenimus statuimusque per quem ipsi spirituales damna sua per viam juris repent breviorum. Quod quilibet pro damnis suis, possit coram Capitaneo loci, cui damnificator ipse subjacet eum convenire, quem ipse Capitaneus pro damnis illatis non secus, quam pro articulo Castrensi, uno ex quatuor in jure descripto judicare debebit, et admittere probationem actori, sicut violentia domestica, aut si actor id egerit, quod arbitrio ejus deferimus purgatione juramenti more castri reus judicetur. Si vero Capitaneus in longa distantia fuerit, coram quo reus deberet trahi in causam, poterit actor Spiritualis opportunitate capta, dum ipsi in partibus Cracoviensis et non Majoris Poloniae essemus constituti, ad nostri praesentiam reum citare, quem nulla districtus evocatione volumus excipi, sed more bellico actori justitiam ministrare, quae omnia descripta de spiritualibus bene possessionatis terrestri dominio sive haereditario intelligere volumus. De aliis vero spiritualibus inferioris conditionis, qui propter eorum egestatem in judiciis terrestribus, maxime sic remotis non sufficient impendere, extunc poterint in jure eorum ecclesiastico damnificatores suos convenire, in quo quocumque juste convicti fuerint, et censuras ultra annum sustinuerint, volumus quod rigidissime constitutio de talibus edita observetur, et quod turri mancipentur, hanc volumus a Judicibus spiritualibus, et actoribus severitatem moderari, ut nec illi in petendo sive existimando damna sua, nec isti in decernendo modum excedant rationabilis aequitatis. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Datum in

Nova Civitate Korczynen: feria sexta proxima ante Dominicam Oculi. Anno Domini 1474, ad mandatum Domini Regis.

CASIMIRUS

OMNES ORDINES TAM SPIRITUALES,

QUAM SAECULARES AD JUVANDAM ARMIS PATRIAM OBLIGAT.

Imprimis edicimus, ut juxta consuetudinem, omnes domini saeculares juxta facultatem bonorum suorum, expeditionem bellicam servire teneantur.

Item spirituales pro hac expeditione debent servire ad bellum juxta facultatem et exigentiam bonorum suorum, ne sine provisione bona itidem eorum, prout et nobilium, annihilentur per belligeros et damnificentur. Sed si quae victualia necessaria ab illis recipientur, solvi debent juxta statutum ea de re diu factum; et nihilominus Capitanei locorum, qui debent se prius quam caeteri movere, vi et potentia in hoc dissolutos, et rebelles compescant, tam ad solutionem, quam ad progressum celeriore eos cogentes, alias ij omnes in campo, sive belli respondeant, vel in domo coram Capitaneo, ubi ex his duobus damnum passi elegerint, et damnificator poena 14 marcarum soluto damno, irremissibiliter pro Regia Majestate puniatur.

Item ecclesiae Cathedrales et Collegiatae, Abbates sive Praepositi Coenobiorum, debent expedire armigeros in eo numero, juxta quod in Synodo, super unumquemque laudabitur.

Item Episcopi debent habere intelligentiam cum Plebanis parochialibus, ut illi etiam faciant subsidium suo Episcopo, ita tamen, quod omnes superius descripti talibus serviro non debeant, qui per se ad servitium bellicum obligentur, nisi tales essent continui commensales et servitores illorum.

Sed fratres indivisos, qui bello non obligentur recipere debebunt, vel saltem obligatos ad bellum adeo egenos et insufficientes, qui neque arma decentia, neque equos valentes, ex patrimonio suo habere possent. Quod quidem arbitrio Capitanei et Castellani committimus, quibus tres de communitate adjungi debent, valorem eorum una cum Capitaneo visuri et aestimaturi.

Item omnes civitates Regales et spirituales ecclesiarum, debent cum dominis pedites expedire, in tanto numero, ad quem taxati fuerint, et quod quilibet peditum habeat balistam, vel bombardam ac gladium, item galeam, chirotecas alias *rekawice*, scutum et pectorale, alias *blachownice*.

Item quilibet in bello circa unumquemque suorum currum, demptis aurigis, unum peditem habeat similiter armatum cum gladio, balista, vel pixide manuali.

Item quilibet Capitaneus cum Castellano, ad-

huc in Terra conspiciere terrigenas pauperes, et illis injungere debent, ut quilibet decenter serviat singulosque quam decenter serviant conscribere in registro tenebuntur. Conspectio vero dominorum et inter nobilitatem majorum, Regiae Majestati reservetur, et Capitaneus cum alijs ad hoc deputatis arbitrentur, qui non sufficient ad bellum, ut scilicet duo aut tres, unum satis idoneum et sufficienter ab omnibus rebus et armis instructum expediant.

Item hoc quoque diligenter provideatur, ut nullus alter alteri arma, aut equos eo tempore commodet, quando ad ordinem acies debet ostendere. In fraudem enim servitij publici, id cessurum existimabimus.

Item Regia Majestas, bonum in hoc respectum et moderamen habeat, quod tales ex nobilibus in castris suis et dominorum non relinquat, qui multa bona haberent, ne per hoc notabiliter servitium periret.

Item Majestas Regia hoc etiam in consideratione habeat, ne homines possessionati et obligati ad servitium in stipendium reciperentur, nisi forte sufficienter servitium terrestre impleant, illudque in alio banderio, quam sit stipendiariorum collocarent. Item sit speciale banderium et specialis acies eorum, qui in proprijs personis non vadunt ad bellum, sicut sunt, viduae, Presbyteri et infirmi, ne per hoc fraus aliqua committatur.

Item filij nobilium in servitio dominorum existentes non intercedant ad bellum pro parentibus ad hoc idoneis, sed si placet patri in domo manere, recipiat eum, ac pro eo, ac debet mereri, seu servire, de domo expediat. Ipsi vero domini ex ijs clientelam suam integrent, qui a servitio bellico sint liberi et exempti.

Item quilibet compareat in loco die constituto, sub amissione bonorum et colli, omnemque militarem disciplinam observet, etc.

CASIMIRUS

JUS CULMENSE PRUSSIS CONFIRMAT, ALIA

JURA PRUTHENICA ETC. ABROGANDO

ANNO 1476.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter ea, quae unitatem Domini attestantur, juris uniformitas praecipuum habeatur indicium, proinde Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, ac Culmensis, Elbingensis et Pomeraniae Dominus et Haeres etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis praesentibus et futuris, harum notitiam habituris, quod dum post bellorum discrimina Terras nostras Prussiae ad unitatem domini

nostri, a quo alias exciderant, favore Divino recuperassemus, reperimus Magnificos, strenuos, Generosos, ac Nobiles Terrarum praefatarum incolae multiplicibus ac diversis gaudere juribus, quorum quaedam et legitimas negligebant successiones, ac justitias hominum perturbabant et involvebant, saepiusque quod norma debebat esse justitiae, litigiorum et seditionum erat occasio. Cui malo occurrere volentes, pulsati etiam precibus Magnificorum et Nobilium Palatinorum, Castellanorum, Dignitariorum, totiusque Communitatis et Baroniae Terrarum nostrarum Prussiae, et signanter de districtibus Pomeraniae, Mariaeburgensis et Stumensis, alias Pomezanensis, omnia jura, Pruthenicalia, Maydemburgensia Pomeraniae, ac feudalia, in quibus alias tempore Magistri et Ordinis consistebant, et ipsis regulabantur, ab ipsis removens, abrogantes et perpetuo abolentes loco omnium jurium praedictorum unum jus Culmense, quo districtus Culmensis gaudet et fruitur, ipsis et eorum posteris, juxta ejus veram naturam, substantiam, qualitatem et conditionem de consensu omnium Praelatorum et Baronum nostrorum conferimus et largimur perpetuo et in aevum. Quo jure judicari inter se debebunt et expediri, omnesque causas et controversias eorum, juxta tenorem juris Culmensis praedicti, secundum quod in suis capitulis, punctis et consuetudinibus scriptum et declaratum existit, decident et determinabunt. Ab omnibus etiam oneribus ac daciis inconsvetis, quibuscunque appellentur nominibus, quas Magistro et Ordini de bonis eorum dare cogebantur, ipsos libertamus. Abrenunciantes insuper devolutionem bonorum haereditariorum, quae Nobis et dominio nostro jure feudi cedebant et debebantur, ac ab eadem recedentes, successionem posteris eorum in perpetuum donantes: hoc duntaxat pro Nobis et Successoribus nostris excipiendo et reservando, quod quilibet dignitarius et terrigena Terrarum Prussiae ad bellicam expeditionem, quotiescunque necessitas exoptaverit illam per Nos et Successores nostros iudici, in armis et equis decentibus, quilibet juxta continentiam privilegij sui et tenorem, alias qui careret privilegio, secundum facultatem bonorum suorum servire erit et obligatus et obstrictus, prout et alii incolae Regni nostri ad ipsum obligantur servitium. Praeterea volumus, ut omnes et singuli praefati subditi nostri in recognitionem domini, prout etiam prius solitum erat, pro quolibet festo Sancti Martini denarium Culmensem, vel loco ejus quinque allenses Pruthenicales, cum uno talento cerae albae Nobis et Successoribus nostris ac officialibus ad exigendum per Nos deputatis, dent, solvant et consignent. Insuper volumus, quod nullus dignitariorum aut terrigenarum in lacubus habeat, praeter quod antiquitus habuit tempore Magistri et Ordinis, neque etiam de illis lacubus se intromittat, quorum piscatura ad Magistrum et Ordinem pertinebat, esto quod lacus praedicti haereditates aliquorum contin-

gant, vel eis contineantur. Harum, quibus sigillum nostrum praesentibus est subappensum, testimonio literarum. Actum in castro nostro Marieburgensi feria sexta proxima post festum Sancti Jacobi Apostoli, anno Domini millesimo, quadringentesimo septuagesimo sexto, Praesentibus Reverendissimo ac Reverendis in Christo Patribus Dominis Jacobo Sanctae Gnesnensis Ecclesiae Archi-Episcopo et Primate, Sbigneo Vladislaviensi et Regni Poloniae Vice-Cancellario, Vincencio Culmensi, Episcopis: necnon Magnificis, Strenuis et Generosis Nicolao de Cuchno Lanciensi, Andrea de Greczkow Ino-vladislaviensi, Sciborio de Baysen Marieburgensi, Ocha de Machwitz Pomeraniae, Ludovico de Mortang Culmensi, Palatinis: Ioanne de Rytwiany Sandomiriensi, et Regni Poloniae Mareschalco, Ioanne a Mor de Tarnow Woynicensi, Ioanne de Oporow Brestensi, Nicolao de ibidem Brzezinensi, Mathia de Służew Cru-świciensi, Nicolao Dąmbrowski Culmensi, Nicolao Felstdorff Pomeraniae, Fabiano de Legendsdorff Elbingensi, Castellanis, et aliis quam plurimis ad praemissa testibus fide dignis. Datum per manus Reverendi in Christo Patris Domini Sbignei Episcopi Vladislaviensis et Vice-Cancellarii, necnon Venerabilis Urielis de Gorka Gnesnensis et Posnaniensis Ecclesiarum Praepositi, Cancellarii Regni Poloniae, sincere Nobis dilectorum.

Sbigneus de Oleśnica E. etc. manu pp.

CASIMIRUS

CONFIRMAT PRIVILEGIA ET OMNES LIBERTATES PRUSSIAE.

CASIMIRUS

Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque Dominus et Haeres, etc.

Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis. Quod quemadmodum anteactis annis certa privilegia et libertates subditis nostris, et Terrarum nostrarum Prussiae incolis, tam spiritualibus, quam saecularibus dederamus et concesseramus, quae quidem privilegia, et alia, diu et ab antiquo per eos tenta et habita, ipsis subditis nostris in omnibus punctis, conditionibus, articulis et clausulis tenere et observare promittimus praesentibus et pollicemur. Harum quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio literarum. Datum in Nova-Civitate Korczyń, in feria sexta proxima post festum Sancti Barnabae Apostoli, anno Domini millesimo, quadringentesimo, septuagesimo septimo.

Relatio Venerabilis Stanislai de Kurozwanki, R. P. Vice-Cancellarij.

Stanislaus Vice-Cancellarius. sst.

LITERA OBLIGATORIA

IN QUA D. REX POLONIAE PROMITTIT TERRAM SANDOMIRIAE SE NUNQUAM CUIPIAM OBLIGATURUM.

CASIMIRUS

Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque Dominus et Haeres etc.

Significamus tenore praesentium quibus expedit universis tam praesentibus quam futuris, quomodo attendentes fidei constantiam, et eximiae affectionis in Nos et Rempublicam Regni nostri devotionem, per Magnificum Ioannem de Rythvany Palatinum Cracovien. Militem et Consiliarium nostrum sincere dilectum rara et singulari liberalitate monstratam, per quam Ioannes ipse Palatinus, et voluntatem Germani sui olim Derslai Castell. Crac. et Capitanei Sandomirien. impleturus et benevolentiam propriam, erga nostram personam primum, deinde erga Rempublicam Regni nostri, et zelum singularem ostensurus Terram Sandomirien. cum castro civitate, caeterisque oppidis, et villis, theloneis, pontalibus et universis censibus, praeventibus, et introitibus ad illam quodquod pertinent relaxando, et dimittendo simpliciter et nude notabiles pecuniarum summas, quas a Nobis et Germano nostro Domino Vladislao Hungariae et Poloniae Rege in dicta Terra Sandomirien. castro, civitate, oppidis et villis uterque eorum habebat obligatas et inscriptas literas quoque diversas nostras, et praefati Germani nostri Domini Vladislai Regis in quibus inscriptio, et obligatio, praefatarum summarum cum causis et respectibus denotata et expressa ad liquidum continebatur in potestatem nostram per manus Venerabilis Stanislai de Kuroświanki Regni nostri Vice-Cancellarij restituit, de Terra quoque praedicta Sandomirien. castro, civitate, oppidis et villis effectualiter, et ad integrum nihil sibi, aut successoribus suis juris, proprietatis et dominij, in eisdem relinquens excesserit, spontanea, ultronea, et mera sua voluntate, pro Regni sui augmento et profectu. Ne itaque casu aliquo sinistro quod Deus auferat vel eventu voluntatem suam optimam in augmentum Regni nostri et Reipublicae ordinatam contingat quoquomodo infringi vel deformari, tenore praesentium in verbo nostro Regio, promittimus, pollicemur, et Nos fide bona adstringimus, inscribimus et obligamus, quod praefatam Terram Sandomirien. castrum, civitatem, oppida et villas in toto, vel in parte, per ipsum Ioannem Palatinum Nobis resignatam et donatam nulli hominum cujuscunque conditionis, status vel eminentiae, in quacunque nostra, et Regni nostri necessitate, eventu, vel successu casu infeudabimus, inscribemus, vendemus, donabimus, obligabimus, locabimus ad tempus et ad vitam in perpetuum; vel alias quoquomodo: nec aliquam summam

CASIMIRO III.

EPISCOPUS VARMIENSIS.

PRAESTAT OBEDIENTIAM.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Nicolaus Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Varmiensis. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis praesentibus et futuris harum notitiam habituris. Quomodo destructioni bonorum subditorumque Ecclesiae nostrae Varmiensis, quae per armorum gentes facta est, sitque usque eo, condolentes ac ipsos subditos nostros paci reddere optatae cupientes. Recensentes Episcopatum nostrum et ecclesiam vigore perpetuae pacis medio Reverendissimi in Christo Patris Domini Rudolphi Dei gratia nunc Vratislaviensis tunc vero Laventini Episcopi Sacrosanctae sedis Apostolicae Legati, inter Serenissimum principem et Dominum Dominum Casimirum Dei gratia Poloniae Regem, Illustrissimum Magnum Ducem Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque Dominum et haeredem, etc. Dominum nostrum gratiosissimum ex una, necnon Magnificum et Venerabilem Dominum Magistrum generalem, Ordinis Beatae Mariae Virginis domus Theutonicorum Jerosolimitan: in Prussia partibus ex altera initae, ordinatae, factae, dispositae et celebratae, literisque ac sigillis atque juramentis corporalibus hinc inde per partem utramque munitae et obfirmatae, de corpore incliti Regni Poloniae existere, cui lucusque restitimus. Propositum nostrum revocantes, praefatum Serenissimum Dominum Regem Poloniae ac suae Serenitatis Successores Reges Poloniae, futuros pro nobis et successoribus nostris cum Venerabili Capitulo ecclesiae nostrae praedictae, (vigore mandati in certas personas ad hoc plenarie per ipsum Capitulum dati et concessi quod in manibus praememorati serenissimi Dni Regis et suae Serenitatis Consiliariorum reliquimus) recognovimus, recognoscimusque praesentibus, esse Dnum et protectorem ecclesiae nostrae cum castris civitatibus ac vasallis nostris, gratiaque a sua Serenitate conquisita, innitendo praefatae pacis perpetuae dispositioni et ordinationi et ab ipsa in nullo descendendo, nos ecclesiam, Capitulum, subditosque nostros tam spirituales quam saeculares ad corpus et unionem praementionati incliti Poloniae Regni, revocamus et reducimus, sub articulis infra scriptis. Ad quorum observationem firmiorem, nos ecclesiam Capitulum et subditos nostros ac etiam successores obligamus eosdem articulos perpetuo servaturos, quorum quidem articulorum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis. Inprimis quod quilibet Episcopus Varmiensis successor noster futurus, seu alij omnes pro tempore existentes, in perpetuum intra tres menses, a die receptionis literarum Apostolicarum provisionis ecclesiae Varmiens. tenebitur seu tenebuntur per-

pecuniarum, parvam aut magnam, etiam ad extenuationem, arendationem vel locationem, aut sub nomine extenuationis arendae, vel locationis in eadem Terra, et castro, civitate oppidis et villis, ac aliquorum praemissorum in parte, vel in toto inscribemus vel inscribi consentiemus, scienter vel ignoranter, directe vel indirecte, vel quavis exquisita causa, occasione, vel colore, omnes tamen occasiones, colores, artes, causas, calliditates, fraudes, ingenia, quacunque subtilitate excogitatus, scriptas vel interpositas, nulli hominum cujuscunque conditionis, status, sexus, vel praeeminentiae existat, qui contra praesentem nostram ordinationem, in toto vel in parte excesserit, aut illi contravenerit, aut illam violaverit, nolumus in aliquo ullatenus suffragari, aut in excusationem, et purgationem sui scelestis suaeque praevericationis poenae, et reatus trahi. Si autem praesenti nostrae promissioni, pollicitationi, adstrictioni, inscriptioni, vel obligationi, contravenerimus, et eam violaverimus in toto, vel in parte, et aliquam infeudationem, inscriptionem, donationem, venditionem et obligationem: de dicta Terra Sandomirien. ejusque castro civitate oppidis, et villis, censibus, teloneis et quibuscunque ejus redditibus fecerimus, extunc talem infeudationem volumus et decernimus esse cassam et irritam, nec ullum unquam posse et obtinere robur, velut eam, quae in damnum Reipublicae Regni nostri procederet, laesionem et offensam Sed et personam cujuscunque status, et conditionis existeret, quae inscriptionem, et infeudationem super dicta Terra Sandomirien. castro, civitate, oppidis, et villis, a Nobis vel Successoribus nostris susciperet, laesae Majestatis, laesaeque Reipublicae ream esse decernimus, nostrumque ac Regni nostri Poloniae publicum hostem et fraudatorem declaramus, habebimusque facultatem Nos et Successores nostri, habebunt quoque Consiliarij Regni nostri, hominem tam impium et ambitiosum a praefata Terra Sandomir. castro, civitate, oppidis, et villis aut parte earum quamcunque occupaverit, absque omni jure et strepitu judicij amovendi, et expellendi tanquam communis boni hostem et perturbatorem. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Actum in Conventionione Generali Petricoviensi feria quinta ante Dominicam Esto mihi. Anno Domini 1478. Praesentibus Reverendissimo et Reverendis in Christo Patribus Dominis Iacobo S. Gnesn. Eccl. Archiep. et Primate, Sbigneo Vladislaviensi et Andrea Varmien. Episcopis. Necnon Magnificis et Generosis Mathia de Bnin Posnaniem. Iacobo de Dąmbno Sandomirien. Nicolao de Leuthno Lanciensem. Palatinis, Ioanne de Ostrorog, Posnaniem. Bartholomaeo de Iwanowice Calisien. Petro Dunin de Prawkowice Siradiem. Castellanis, caeterisque Dignitariis, Officialibus Regni nostri et Curien. quam pluribus. Datum per manus Venerabilis Stanislai de Kurozwanki Regni Poloniae Vicecancellarij.

233

232

231

234

sonaliter venire ad praesentiam Regiae Majestatis et suorum successorum dummodo in Terris Prussiae essent constituti, aut in illorum absentia in castrum Mariaeburg, et ibidem in manibus Episcopi et non alterius, quem ad hoc sua celsitudo designaverit in Ecclesia Majori ad altare summum sub praesentia Palatini Mariaeburgensis et Capitanei, ac etiam Magistrorum civium de Thoruñ, Elbing et Gedano praesentium, et in futurum existentium, teneantur juramentum facere, quod et nos Nicolaus fecimus sub ea quae sequitur forma, et in castrum praefatum descendere sub tempore descripto avisati. Casu vero quo unus vel plures descriptorum interesse impediretur, nihilominus in manibus dicti Episcopi coram praesentibus qui convenirent Episcopis, Episcopi in futurum existentes Varmien. jurare tenebuntur in haec verba. Ego N Episcopus Varmiensis promitto et juro quod exnunc et in antea fidelis ero Serenissimo Domino meo Casimiro Poloniae ejusque Successoribus Regibus et Regno Poloniae tanquam Dno et protectori ecclesiae meae ac etiam Capituli, suae Serenitati et Regno assistam nec non ejus Successoribus uti suae Serenitatis Consiliarius contra quemlibet inimicum, cum quo nullos tractatus, foedera aut inducias faciam sine suae Majestatis consensu, inscriptionemque pacis perpetuae in omnibus capitulis et punctis ac etiam inscriptionem per meum antecessorem Dominum Nicolaum Episcopum Varmiensem cum consensu Capituli factam inviolabiliter tenebo, consilium mihi creditum ad suae Serenitatis damnum non revelabo, omnemque machinationem quam practicari subodoravero, in praedictum et commodum Regiae Majestatis Successorum, aut Regni Terrarumque et civitatum Prussiae de corpore incliti Regni Poloniae existentium, pro quibus fideliter consulam, praecustodiam tempestive et avisabo, sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia. Casu autem quo aliquis Episcopus Varmiensis pro tempore existens, juramentum fidelitatis juxta formam et tempus post scriptum praestare non curaret, extunc vasallis et subditis praedictae ecclesiae Varmien. licebit cum honore et impune ab obedientia dicti Episcopi vi juramenti firmata resilire et Regiae Majest: usquequo juraverit adhaerere. Item quod hinc et in perpetuum vasalli et subditi ecclesiae Varmiensis cujuscunque status et conditionis existant, de terris et civitatibus, tam nostri Episcopales quam Capitulares, de decennio in decennium juramentum fidelitatis Regiae Majestati Successoribusque et Regno Poloniae ac etiam de observanda pace perpetua atque articulis in praesenti inscriptione contentis renovare tenebuntur in manibus Consiliariorum Regiae Majestatis ad hoc deputandorum temporibus perpetuis et aeventernis, cujus quidem decennij initium incipiet et transibit, a die praestitionis juramenti per praefatos vasallos et caeteros subditos ecclesiae praescriptae in proximo fiendi. Praeterea submittimus et praesentibus obligamus, nos et successo-

res nostros cum Capitulo ecclesiae nostrae Varmiensis: quod in futuris electionibus pro tempore existentibus sive postulationibus Episcoporum dictae ecclesiae Varmiensis, Capitulares eidem Regiae Majestati et suis Successoribus personam gratam eligere tenebuntur. Item quod quilibet Praelatus et Canonicus dictae ecclesiae Varmiensis intra unum mensem a die receptionis suae, sive repraesentationis in ecclesia, alias dummodo possessionem fuerit consecutus, jurare similiter tenebuntur fidelitatem suae Serenitati, et observantiam perpetuae pacis juxta tenorem inferius descriptum in manibus Episcopi et Capituli Varmiensis qui per suas patentes literas de cujuslibet Canonici seu Praelati juramento, supremo Dignitario Regiae Majestatis in Prussia plenam fidem facere tenebuntur, cujusquidem juramenti tenor sequitur in haec verba. Ego N Praelatus vel Canonicus ecclesiae Varmien. juro et promitto quod exnunc et in antea fidelis ero Serenissimo Domino meo Domino Casimiro Poloniae Regi Illustrissimo ejusque Successoribus Regibus et Regno, tanquam Domino et protectori ecclesiae Varmiensis, inscriptionemque pacis perpetuae ac Capitulum per Dominum Nicolaum Episcopum Varmiensem de consensu Capituli descriptorum inviolabiliter tenebo, sic me Deus adjuvet etc. Item quod tam Dominus Episcopus quam Capitulum pro tempore existentes, advocatum quoties perficere aut immutare Dominus Episcopus velit, sive Capitulum aut administrator sede vacante, non alium deputent nisi pro parte subditorum R. Majestatis, eorum etiam qui sub ditione ecclesiae Varmien. consistunt, qui sic deputatus jurare similiter tenebitur Regiae M. modo superius expresso dum talis hoc ipsum prius non jurasset. Item casu quo Magister generalis nullo pacto juraret sive cum Regia Serenitate hic dissideret, et ad arma contra eum et Ordinem iam exnunc vel in futuris temporibus veniretur, aut cum alijs quibuscunque hostibus; extunc nos Nicolaus Episcopus tenebimur et nostri successores tenebuntur esse auxilio et consilio suae Serenitati toties quoties opus erit, sicut Consiliarius suae Serenitatis cum castro civitatibus et vasallis, tam nostris Episcopalibus quam Capituli, ita videlicet quod sine omni contradictione castra et civitates ecclesiae praedictae gentibus Regijs pateant et aperiantur et singulis nos submittemus periculis, nostrisque successores se submittent cum sua Serenitate. Nec tractatus foedera vel ligas aut ulla inducias cum hostibus faciemus ac nostri successores facient absque scitu et consensu R. Majestatis et Successorum ejus. Item quoties beneficia cum cura vel sine cura in Dioecesi nostra Varmiensi vacare contigerit, extunc circa institutionem beneficiati nos Nicolaus Episcopus et nostri successores, aut noster et ipsorum successorum nostrorum Vicarius tenebimur seu tenebuntur sive tenebitur recipere juramentum a quolibet eorum de observanda pace perpetua et tenenda fidelitate Regiae Majestati et Regno Po-

236

237

loniae. Postremo et finaliter praesentibus adjicimus, nosque et successores nostros obligamus quod subditis tam nostris Episcopalibus, quam Capitularibus omnibus et singulis liceat in causis militaribus, feudalibus, civilibus et criminalibus sive quibuscunque alijs saecularibus ad Regiam Majestatem provocare in causa gravaminis et defectu justitiae querulari et appellare, ad suosque Successores Reges Poloniae temporibus perpetuis. Observato tamen prius ordine provocationis in causis civitatens: ad jus Culmense, Lubicense, Maygdeburgense et caeteris quibus gaudent, in quibus eis non praedictabitur. Hoc tamen specialiter expresso, quod quoties aliquem ad Regiam M. provocare contigerit, extunc coram nobis Episcopo et successoribus nostris cautionem faciet, quatenus casu quo appellationem non fuerit prosecutus juxta tempus per nos Nicolaum Episcopum et nostros successores, juxta causae et circumferentiarum qualitatem limitandum, aut in causa succubuerit, poenam amissionis causae et solutionis expensarum parti adversae incurrat. Quae omnia et singula supra scripta nos Nicolaus Episcopus Varmiensis praefatus cum Capitulo vasallo et omnibus subditis nostris firmiter, illaese, et inconcusse, tenere, exequi, et inviolabiliter perpetuo observare promittimus, ac nos successoresque nostros et Capitulum nostrum praedictum cum vasallis et subditis ecclesiae nostrae generaliter universis tenore praesentium obligamus. In quorum omnium fidem et evidens testimonium praemissorum praesentes literas nostro atque Capituli nostri sigillo jussimus et fecimus communiri. Datum in Conventione Petricoviensi Generali die Jovis 15 mensis Julij, alias ipso festo divisionis Apostolorum, anno Domini 1479.

CASIMIRO

STEPHANUS PALATINUS MOLDAVIAE

PRÆSTAT JURAMENTUM.

Post plures tractatus inter Ser. Poten. D. D. Casimirum III. Regem Poloniae et Barones Poloniae, suae Serenit. et Regni nomine ex una: et inter Magnificum Ioannem Stephanum Palatinum Moldaviae armigerosque ipsius, suo et Terrae Moldaviae similiter nomine parte ex altera, partim personaliter, partim etiam per Regiae M. Nuntios diebus aliquot ab adventu ipsius in praesentem diem habitos Dominus Palatinus Moldaviae qui supra, propter defensionem a Poloniae Regno habendum feria secunda proxima post festum Nativitatis Virginis Gloriosae Mariae ad homagium Serenissimo Principi Domino Casimiro Poloniae Regi etc. inclitaeque suae Poloniae Coronae praestandum, se, posteros, et Terram suam iuramento ad fidelitatem, subjectionem, et obedientiam perpetuo servandam, habendam, et obstringendam, consensit, hora tertiarum, eademque die; hora meridiei, vel paulo serius, homagium et corporale juramentum praestitit, juxta informationem per M. R. da-

tam. Primum itaque Majestate R. cum adhuc ille abesset, solium suum in corona qua coronatus est ascendente, ubique in apparatu integro, quem circa coronationem induit sedente, Majestatis sede septa spiritualibus et saecularibus Praelatis, et Summatibus infrascriptis, Stephanus Palatinus a M. R. per Magnificos Nuntios ad uniendum, faciendumque ea que debet, avisatus, et conductus cum omnibus suis armigeris, Boiariis vulgari eorum dictis, eques venit, ad latus vero per unum suum fidelem habebat, cui banderium quoque magnum sericeum coloris rubri, in quo arma Terrae Moldaviae pulchre auro depicta erant, praeferebatur. Sui vero omnes terrigenae bona haereditaria in Moldavia habentes, et alij omnes Curien. notabiliores banderia parva, quilibet suum eqvum insidendo, manu tenebant. Ipsius, et Regijs clangentibus tubis: accedensque ad solium M. R. ex equo descendit, dein banderium manibus corripuit, ac mox cum banderio, versus solium processit: id etiam sui omnes post eum fecere, immediateque solium accedens, flexis suo more genibus, et capite prono, banderium usque ad terram inclinat, similiterque facientibus subditis, tenorem homagij his verbis proferebat, M. Regia immota sedente, sed stantibus Dominis, his verbis in facie M. R.

238

Clementissime mi Rex, ego Serenitati Vestrae homagium facio, et praesto cum omnibus Terris, et hominibus meis: et peto tuitionem Serenitatis Vestrae, et circa jura, in jureque meo, et dignitatibus conservari.

Hic adhuc banderium tenuit, pro genu antem flexione, de ritus sui more capite inclinato, tacto signo S. Crucis iusjurandum fecit corporale, his verbis:

Juramentum Palatini Moldaviae, feria 5 Exaltationis S. Crucis anno Domini 1485.

Gratiosissimo Rex, ego homagium praesto, et juro, ac etiam promitto fideliter sine dolo et fraude, Vestrae Serenitati, Successoribusque Serenitatis Vestrae Regibus, et Sacrae Coronae Regni Poloniae, cum omnibus Terris, Baronibus, et hominibus meis, fidelitatem, esseque fidelis et obediens Serenitati Vestrae, Successoribus, et Coronae Poloniae Regni; sic me Deus adjuvet, et Sancta Christi Crux.

Mox juramento finito, haec respondit M. R. verba, residens in sede M. suae.

Nos te, et Terras tuas, in nostram protectionem recipimus, et circa omnes dignitates et jura omnia Terrarum tuarum tanquam Palatinum nostrum relinquimus.

His dictis osculata est eum M. Regia.

Osculo facto recepit banderium M. R. manibus suis de Palatini manibus, in manusque Mareschalci Regni illud dedit. Hic primum armigeri omnes Palatini Moldaviae stantes circa solium Majestatis, sua banderia parva e manibus in terram straverunt, Mareschalcoque Regni praedicto banderium de solio Majestatis, juxta ac conclusum erat, ad thesaurum Regium deferente, et parva illa per Cubicularios M. Regiae collecta, itidem ad thesauri locum ferebantur servanda. Noluit quippe Palatinus et armigeri sui consentire, ut intra tractandum diriperentur, quin petiit ipsorum ut banderia homagia-

239

lia honeste servarentur propter majoris amicitiae auctoramentum. Quo facto, M. R. non longe a se Palatinum tanquam amicum et suum homagiale penes se locavit, et consedentibus illis armigeri ipsius omnes sub hac forma juraverunt tacta cruce.

Juramentum Dominorum Valachiae.

Nos Barones Vasalli, et tota Terra Moldaviae, praestamus homagium, nostro et totius communitatis Terrae Moldaviae nomine, Serenissimo Principi Domino Casimiro et Successoribus Regibus Poloniae, et Coronae Regni Poloniae: promittimusque et juramus omnem fidelitatem, subjectionem, et obedientiam, in perpetuum Serenitati suae, Regno, et Regibus Poloniae. Ita nos Deus adjuvet, et Sancta Christi Crux.

Quod quidem juramentum quidam eorum manibus cruci appositis, quidam vero expansis supra, fecerunt. Eo facto Regia Majestas omnes Palatini armigeros, universam denique Curiae suae juventutem, militiae symbolis insignivit.

Hujus actus Regij et Poloniae Regni, tam notabili celebritati pro ceremoniarum more Reverendus, et Reverendi in Christo Patres ac Magnifici, Venerabiles, Strenui, Generosi ac Nobiles interfuere: Ioannes Wątrobka Archiep. Leopoliensis, qui sancta tenebat ad juramenta, Mathias de Stara Łomża Episcopus Camenecensis, et Ioannes Targow-

wicki Electus Chelmen. eidem suffragantes: Iacobus de Dąbno Castellanus et Capitaneus Crac. qui cervici Regiae Sacrum imponebat dirigebatque diadema, Mathias de Bnin Posnanien. Ioannes Amor de Tarnow Cracovien. Spytko de Iaroslawa Sandomirien. qui Sceptrum Regni gerebat. Differebant quippe hi Domini Cracovien. et Posnanien. Palatini, quod utroque illud ferre nitebatur alter alteri se praefereundo, unde unanimi consensu Palatino Sandomirien. sceptrum dedere pro hac vice duntaxat. Ioannes de Pilcza Russiae Generalis, Iacobus de Buczacz Podoliae, et Dobieslaus de Buszow Belzen. Palatini. Raphael de Iaroslawa Sandomirien. qui etiam Regni Mareschalcatum gerebat. Nicolaus de Kurozwianki Siradien. Ioannes de Kościelec Dobrinen. Nicolaus de Zmgrod Praemislien. Michael de Buczacz Halicien. Castellani. Kreslaus de Kurozwianki Decanus Gnesnen. Cancell. Petrus de eadem Kurozwianki Thesaurarius qui sub hac differentia pomum tenebat, Cancellario ipso homagij et juramentorum formam atque tenorem pronuntiante, Gregorius de Lubraniec Praepositus Skarbimirien. Vice-Cancell. Regni Poloniae, Stanislaus de Brosno Mareschalcus. Ambrosius Pampowski Incisor Curiae M. R., Ioannes Podlodowski Zarnovien. Ioannes Oleski Małogosten. Castellani; Nicolaus de Tęczyn Gladifer, Ioannes de Tarnow Vexillifer Cracovien. alijque quam plures nobiles iuvenes et Regni indigenae fide digni.

Finit Casimirus Jagellonides.

JOANNES ALBERTUS.

JOANNES ALBERTUS REX

CONFIRMAT PRIVILEGIA PRUSSIAE.

ANNO 1494.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam humani generis actiones memoriae perpetuae indigentes, plerumque ab hominum notitia dilabuntur, nisi scripturarum seu testium munimine fuerint roborata; proinde Nos Ioannes Albertus, Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Supremus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque, ac Culmen: Elbingen: et Pomeraniae Dominus et haeres, etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris: quomodo revolventes in animo, qua, quantaque puritatis affectione, et integritate fidei constantia, Praelati tam spirituales quam saeculares, Comites, Barones, Milites, Proceres, Nobiles, Communitatesque civitatum et oppidorum, caeterique

subditi et incolae Terrarum Prussiae, tam spirituales, quam saeculares, personam nostram venerati sunt atque dilexerunt, ut tandem decedente felicis memoriae Serenissimo Principe Domino Casimiro etc., Genitore et Praedecessore nostro charissimo, Nos tanquam verum haeredom et legitimum Successorem, ipsis in Regem et Dominum concordibus voluntatibus una cum alijs Regni nostri Consiliarijs, Dignitarijs, Officialibus et cujuscunque status conditionisque subditis et incolis elegerunt et assumpserunt, sacroque Regni diademate insigniverunt. Cum igitur Altissimo dirigente, votis eorundem incolarum Regni nostri in nostram Majestatem deliberate concurrentibus, Paternum Sacri Regni Poloniae nacti sumus solium, dignum ea propter duximus, in ipsos subditos incolasque oculos pietatis nostrae aperire, et eis hanc, quam actu et opere, veluti athletae fideles in Nos exhibuerunt sinceritatem et constantiam, gratitudine nostra, ut decet, compensare. Unde ex certa nostra scientia, praehabitaque sufficienti deliberatione, animo benevolo et voluntate nostra ul-

tronea, ipsis Praelatis, Comitibus, Baronibus, Dignitarijs, Officialibus, Militibus, Proceribus, Nobilibus, civitatibus et earundem Communitatibus, caeterisque subditis et incolis Terrarum Prussiae cujuscunque status, conditionisque existant, quacque ipsorum jura et privilegia, tam ecclesiastica quam saecularia, quaecunque a Divae memoriae Regibus Poloniae, et ab olim Genitore, et Praedecessoribus nostris, super quibuscunque bonis et libertatibus habere dignoscuntur et habent, sub quibuscunque datis, in vita ipsorum emanatas et concessas, emanataque et concessa jura et privilegia in se continentes, in omnibus earum positionibus, conditionibus, articulis universis ratificamus, gratificamus, approbamus et praesentium literarum patrocinio confirmamus: decernentes easdem, eademque robur habere perpetuae firmitatis. Promittentes insuper in verbo nostro Regio et tenore praesentium spondentes, eadem ipsorum jura, libertates et privilegia per omnia rata, grata habere, et inconcusse, jugiter, inviolabiliter et perpetuo, justitia mediante, gratiose conservare. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum in Thorun, die Sabbatho in vigilia S. Andreae Apostoli, anno Domini, 1494. Regni vero nostri anno tertio. Praesentibus Reverendis in Christo Patribus, Dominis Creslao de Kurozwianki electo confirmato Vladislavien: et Regni nostri Cancellario, Uriele Posnanien: et Luca Varmien: Episcopis: necnon Magnificis, Generosis et Nobilibus Ambrosio Pampowski Siradien: Mathia de Służewo Bresten: Nicolao de Baysen Marienburgen: Carolo de Felden Culmen: Nicolao de Wolikow Pomeraniae, Palatinis: Nicolao de Strzewow Vislicien: Ioanne de Przytyk Radomien: Petro Miskowski Rospierien: Nicolao Gardzina de Lubranecz Spicimirien: Castellanis: Petro Kmita de Wiśnice, Regni nostri, Raphaelae de Lesno, Curiae nostrae Mareschalcis, caeterisque Dignitarijs, Consiliarijs et Curiensibus nostris fide dignis testibus. Datum per manus Venerabilis Gregorij de Lubranecz, Scarbimirien: et S. Floriani in Kleparz ecclesiarum Praepositi, Regni Nostri Vice-Cancellarij, sincere Nobis dilecti. G. Vice-Cancellarij sst. Relatio ejusdem Venerabilis Gregorij de Lubranecz R. P. Vice-Cancellarij.

LITERAE

SUPER DUCATUM ZATORIENSEM.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam humani generis actiones memoriae perpetua indigentes plerumque ab hominum notitia dilabuntur, nisi scripturarum seu testium munimine fuerint renovata: proinde Nos Ioannes Albertus Dei gratia Rex Pol: necnon Terrarum Craco-

viae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae: supremus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque ac Culmen: Elbingen: et Pomeraniae Dominus et Haeres etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris. Quomodo quamvis a multis jam retro actis annis Terra seu Ducatus una cum Duce Ducibusque Zatorien: cum omnibus eorundem juribus, inscriptionibus, et cum omnibus et singulis terrigenis, necnon civitate Zator, alijsque oppidis, et cum castro seu fortalitio eodem nomine Zator dicto, alijsque omnibus fortalitijs, necnon villis, haereditatibus, possessionibus, et omnibus eorundem censibus seu utilitatibus, fluvijs, silvis, eorumque usibus tam Ducalibus quam etiam aliorum quorumcunque terrigenarum et subditorum cujuscunque conditionis existant in toto ambitu dicti Ducatus consistentibus, cum omni jure, proprietate et dominio, Nobis ditionique nostrae seu Regibus et toti Coronae Pol: pertineant et sunt incorporati, appropriati, adscripti et perpetue irrevocabiliterque uniti, Nobisque et Coronae nostrae praefatae subjecti, cum omnibus ejusdem Ducatus subditis tam spiritualibus quam saecularibus. Quam incorporationem, unionem, confoederationem et subjectionem vetustam, semper ratam firmamque et inviolabilem perpetuoque duraturam habuimus, habemus, perpetuoque habere volumus: nihilominus praeclearus Dux Janussius ejusdem Ducatus Zatorien: modernus Dominus, haeres, et possessor ex successione suorum parentum Ducum Zatorien: procedens, una cum Illustri Ducissa Domina Barbara consorto sua legitima, easdem veteres inscriptiones, incorporationes, uniones et subjectiones, contestantes et recognoscentes novis se inscriptionibus, foederibus, ligis, venditionibus, atque subjectionibus pariter cum praefato pleno et integro Ducatu Zatorien: Nobis et omnibus Successoribus nostris Regibus et toti Coronae Pol: cum plena potestate et auctoritate perpetuoque duraturis matura deliberatione et consilij eius intererat praehabitis voluerunt inscribi, tantoque firmiter incorporari et subijci, prout iam nunc se inscribunt et prout proprijs inscriptionibus praefati Ducis Janussij, consortisque suae praefatae necnon omnium terrigenarum pariter et civitatisium praefato Duci Janussio subjectorum sufficienter est firmatum et expressum. Proinde ut haec unio, incorporatio, inscriptioque praefati Ducis Janussij et consortis suae, necnon totius Terrae et Ducatus ejusdem venditio, realisque satisfactio per Nos sibi facta ad effectum deducatur, sitque solidior et firmiter perpetuo et in aevum, recognoscimus Nos apud praefatum Ducem Janussium tanquam apud verum et indubitatum haeredom praefati Ducatus Zatorien: et apud Illustrum Barbaram consortem suam praefatam emisse praefatum Ducatum Zatorien: una cum castro seu fortalitio et civitate tota Zatorien: et cum omnibus bonis possessionibus, villis tam Ducalibus quam etiam terrigenarum

et subditorum quorumcunque, quicumque, seu quaecunque, in praefato Ducatu consistunt, emptione venditioneque perpetua et irrevocabili, perpetuo et in aevum, pro octoginta millibus florenorum Hungaricalium auri veri puri et justi ponderis. Pro quibus sibi jam plene et ex toto satisfacimus realiter et cum effectu: prout ipse Dux Janussius una cum praefata sua consorte eandem satisfactionem et solutionem proprijs literis et sigillis consortisque ejusdem una cum terrigenis et subditis suis fatetur et recognoscit: Nosque et futuros Successores nostros Reges et Coronam Poloniae de accepta satisfactione et solutione quietaverunt, et liberos dimiserunt. Et tamen praeter hoc, tenore praesentium promittimus, quod Nos et Successores nostri Reges et tota Corona Pol: pro finali satisfactione praefati Ducis Janussij et consortis suae praefatae pro dicto Ducatu Zatorien: et bonis ad ipsum pertinentibus, debemus, tenemur, tenoreque praesentium pollicemur, et tenebimur Nosque obligamus praefato Duci Janussio et dictae consorti suae, pro quolibet anno dare et solvere de zuppis nostris Vielicensibus et Bochnensibus ducentas marcas pecuniae communis monetae et numeri Polonicae et sedecem bancos salis donativi, usque ad extrema tempora vitae eorum, seu utriusque seu ad mortem praefatorum Ducis Janussij et consortis praefatae ejusdem. Ita tamen, quod pro quolibet quatuor temporibus singulorum annorum per quinquaginta marcas et per quatuor bancos salis, dare eisdem, seu utrique eorundem, vel alteri eorundem qui supervixerit, praefatas ducentas marcas dare et extradere tenemur et debemus tenebimurque et debemus. Et similiter nostri Successores Reges, et tota Corona Poloniae, dare eisdem, vel alteri eorum modo suprascripto solvere et complere tenebuntur. Si vero quod absit pro aliquibus quatuor temporibus usque per unum integrum annum praefatum censum ducentarum marcarum, et sedecem bancos salis, prout praemissum est, solvere neglexerimus vel non curaverimus, vel Successores nostri neglexerint vel non curaverint: extunc post cujuslibet anni integri decursum post hujusmodi negligentiam sequentem in alijs ducentis marcis praefato Duci Janussio et suae consorti succumbemus, et Successores nostri succumbent. Post praefatorum vero Ducis Janussij et Barbarae consortis suae legitima obitum, extunc praefatus Ducatus Zatorien. cum castro et civitate et cum omnibus terrigenis omnibusque bonis et subditis tam spiritualibus quam saecularibus cujuscunque conditionis existant cum omni jure haereditario proprietate et dominio cum titulo et re jureque venditionis et emptionis in manus nostras vel Successorum nostrorum Regum et totius Coronae Poloniae perpetua et irrevocabili successione jureque haereditario perveniet et devolvetur. Quem jam exnunc, prout extunc, et extunc prout exnunc, ipse Dux Janussius una cum consorte sua praefata Nobis Regibusque et toti

Coronae Poloniae condescendit, et resignat, et ita sicut praemissum est condescendunt, et resignant. Et praeter hoc, praefatus Dux Janussius una cum consorte sua proprio juramento corporali, hanc venditionem emptionemque, necnon inscriptionem et subjectionem conservacionemque irrevocabilem atque perpetuam jam approbare, confirmare et roborare effectualiter defacto debet et tenetur debentque et tenentur. Et similiter Burgravius castri seu fortalitij et omnes terrigenae civesque Zatorien. jurare debent Nobis Regibusque et toti Coronae Poloniae nunc jam et in posterum, quoties opus fuerit, ad tenendam Nobis Regibusque et toti Coronae Poloniae fidem seu fidelitatem: et tam praefatus Dux Janussius una cum consorte sua specialibus literis suis, necnon omnes et singulis terrigenae ejusdem Ducatus Zatorien. etiam proprijs literis inscribere se debent, et propria sigilla ad literam pargameneam appendere, promittendo obedientiam fidelitatemque Nobis Regibus, et toti Coronae Poloniae praestandam, et post mortem praefatorum Ducis Janussij et consortis suae praefatae nulli alteri possessionem dicti castri civitatisque Zatorien. et totius terrae seu Ducatus Zatorien. dare, facere, et resignare, nullique fidem et fidelitatem ac obedientiam praestare et facere, quam Nobis Regibus et toti Coronae Poloniae debent, et tenentur, quilibetque eorum debet, et tenetur; qui etiam terrigenae omnes et quilibet eorum debet et tenetur, debentque et tenebuntur, specialiterque pro Burgrabio dicti fortalitij seu castri et civitatis Zatorien. et pro semetipsis, jam nunc, et quoties opus fuerit, seu quoties praefatus Burgravius mutari et institui debebit etiam vivente praefato Duce Janussio, cavere et fidejuberere atque corporaliter jurare; quod praefatum castrum fideliter tenebit, et nulli alteri in praefato casu mortis praefatorum Ducis Janussij et consortis suae quam Nobis Regibus et toti Coronae Poloniae condescendere et resignare debebit et tenebitur. Debet etiam et tenetur praefatus Dux Janussius una cum praefata consorte sua in vita sua, quamdiu Omnipotens Deus eam eis concesserit, Nobis necnon Regibus et toti Coronae Poloniae in omnibus adversis assistere, et Nos contra omnem inimicum juvare, una cum praefatis terrigenis et subditis suis seu cum toto suo Ducatu et ejusdem incolis, quando, et quoties opus fuerit. Nos vero etiam praefatum Ducem Janussium suosque terrigenas et subditos totumque Ducatum tenere et conservare debemus et tenemur sub nostra terrestri, et totius Regni Poloniae tutela: et cum ab omnibus inimicis suis opprimere cum volentibus sibi assistere et cum pariter et consortem praefatam ejusdem defendere et tueri pollicemur, et tenemur. Volumus etiam ut in necessitate alicujus disturbij terrestris vel cujuscunque gverrae aut intranquillitatis, ipse Dux Janussius in castrum seu fortalitium civitatemque Zator gentes nostras immittere debeat libere ad requisitionem nostram, vel nostri Ca-

pitanci Cracov:, ut tanto securius ab hostium incursu ipsum castrum et fines Regni nostri tutius et in meliori pace conservare valeant, ad quod etiam faciendum se sua inscriptione una cum praefata sua consorte subdiderunt. Ex quo autem praefatae Illustri Dominae Barbarae consorti dicti Domini Ducis Janussij pro dote et dotalitio suis, quae habebat in praefato Ducatu Zatorien: sibi inscripta et reformata, per Nos et per Coronam Nostram seu Regnum Poloniae completis praemissis, est sibi satisfactum. Extunc praefata Ducissa Barbara tenebitur teneturque literis sui mariti Domini Ducis Janussij, necnon etiam suis proprijs praefatam satisfactionem recognoscere, Nobisque literas suae reformationis restituere, et easdem inscriptiones dotis et dotalitij praefatis literis extinguere et mortificare. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Actum Cracov: feria tertia ante festum S. Petri ad Vincula, anno D. 1494. Regni vero nostri anno 2. Praesentibus magnificis et Generosis Ioanne de Pilcza Russiac, Dobeslao de Kurozwanki Lublinen: Palatinis. Petro de Kurozwanki Theaurario Regni Pol: et Cracovien: Capitaneo, Petro Myszkowski Vielunen: et Nicolao Strzewowski Sanocen: Castellanis. Stanislae de Chodecz Capitan: exercituum nostrorum in Terris Podoliae, Andrea Kosciielecki Bidgostien: et Ioanne Dunin de Uiazd Capitaneis, caeterisque Dignitarijs, Consiliarijs et Cubicularijs nostris fide dignis testibus. Datum vero per manus Venerabilis Gregorij de Ludbranz Skarbimirien: et S. Floriani in Kleparz Praepositi, Regni nostri Vice-Cancel: sincere Nobis dilecti.

Iuramentum Ducis Zatoriensis.

Ego N Dux Zatorien: iuro, quia fidelis et obediens ero cum omnibus subditis Ducatus mei, et cum Ducatu meo Sereniss: Principi Domino A. etc. Regi Pol: etc. gratiosissimo et ipsius Successoribus Regibus et Regno, ac Coronae Poloniae, pro bono statu M. Regiae et Reipub: Regni Poloniae, et pro utilitate M. Regiae et Regni consulam, et quae sentio M. Regiae successoribus et Regno Pol. nocitura praecustodiam, et pro posse meo avertam, ac omnia fideliter ad partem M. B. et Regni Poloniae agam, fideliter et obedienter mandatis M. Regiae et Successorum suorum parebo et ea implebo, literas meas juxta contractum per olim Sereniss: Dominum Ioannem Albertum inter me et Regnum factum sub meo et subditorum meorum sigillis dabo M. R. ad thesaurum Regni, subditosque universos meos ad jurandum juxta contractum inducam, et jurari, aliaque quae ex conductamine debeo fecere, faciam. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Christi Crux.

Iuramentum terrigenarum Ducatus Zatoriensis.

Ego P. juro quia fidelis ero Sereniss: Principi et Domino D. A. Dei gratia Regi P. etc. gratiosissimo et Regno ac Coronae Pol. et post

mortem Ducis Janussij Zatorien: Domini mei gratiosi neminem alium quam ipsum Dominum A. Regem Poloniae et successores illius pro Domino suscipiam, et me ei subijciam, ac pro posse meo procurabo omne bonum, et avertam omne malum quod scivero imminere R. M. et suo Regno Polon: omniaque faciam fideliter, obedienter, et diligenter, quae ad subditum bonum et fidelem pertinent. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Christi crux.

ALBERTUS REX

CONFIRMAT

CASIMIRI III. STATUTA

CONDITA NIESSOVIAE ET OPOKI A. 1454

SUA ITEM COMPLURA ADIJCIT.

ANNO 1496.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Thronus splendor et potentia Regalis et cujuslibet principantis Majestatis tunc dinoscitur inter fideles suos non solum tutissime roborari, verum etiam velut radijs naturalissimis prominentibus eis splendere, dum purae fidei et benevolentiae subditorum meminit, dumque acumen cunctarum lucubrationum et meditationum suarum pro eorundem fidelium suorum quiete, tranquillitate, aequitate et justitia defigit. Quod fit praecipue, dum pro fide et benevolentia in Regiam excellentiam efferendam sublimandamque collata digna remunerationis bravia suis ipsis tribuet fidelibus, non solum in libertatibus juribus et constitutionibus largiendis instituendisque novis, verum etiam alijs per alios Reges et Principes pia consideratione institutis confovendis et confirmandis, neque in hoc errat sublimis Regum et Principum meditatio, etenim observantia fidei, sui trahens originem ex augmento gratiarum jurium et libertatum rationis et naturae ipsius legibus stabilior perseverat, cum favor et benignitas Principis in suos ostensa subjectos sic commodari exhiberique conspicitur, uti eorum necessitas honestas ac eventuum communium vis creditur pro tempore et in futurum exposcere. Ipsa tandem Majestas quidquid unquam propterea decreverit, aut instituerit, id ne labentibus sacculis oblivionis confundatur erroribus, conservit literarum apicibus commendare eviterne perinde ac vivaciter memorandum et duraturum. Exinde Nos Ioannes Albertus Dei gratia Rex Poloniae, necnon terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, supremus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae ac Culmensis, Elbingensis, Pomeraniaeque Dominus et haeres etc. Memoriae commendantes tenore praesentium notificamus universis quos praesens continet aetas, continebitque futura. Quomodo superiori tempore divino munere et communi atque

concordi Praelatorum, Baronum, Consiliariorum et omnium regnicolarum Regni nostri Poloniae favore ad regnandum in hoc inclyto Regno nostro Poloniae tunc per mortem Divi olim Casimiri Genitoris nostri vacante assumpti existentes, licet per alias literas nostras tunc univcrsis terris limitatibus et subditis Regni nostri concessas universa jura, privilegia, libertates et praerogativas per Serenissimos Illustrissimosque Reges et Principes Regni Poloniae eundemque olim genitorem nostrum eis concessas atque concessa confirmaverimus, cum sacramento juramenti in felici Coronatione nostra per Nos corporaliter praestiti, ibique licet censeantur universa privilegia inclusa esse successive Regno concessa, tamen cum in praesenti Conventione produceretur in medium privilegium originaliter continens constitutiones multas Nobis et Republicae Regni nostri perutiles in Niessovia per olim Genitorem nostrum datum, illud ad vota Praelatorum et universorum Regnicolarum specialiter confirmaturi decrevimus praesentibus inserendum tenore infrascripto.

STATUTUM CASIMIRI IN NIESZOWA ET OPOKI.

In Nomine Domini, Amen.

Cum in Regum constitutionibus salus Reipublicae consistat pacisque svavitas conservetur, proinde Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, ac Culmensis, Elbingensis, Kinigsberien: et Pomeraniae Dominus et haeres etc. Attendentes constitutiones Praedecessorum nostrorum quasdam in oblivionem deductas, alias reformatione et innovatione et alias additione egere, ad instantiam omnium nobilium Regnicolarum nostrorum coram Nobis constitutorum de consilio Baronum et Consiliariorum nostrorum constitutiones Terrarum praefati Regni nostri duximus praesentibus innovandas, emendandas et reformandas in melius, caeterisque aliquid adjiciendum censuimus, ut

248

Judices Terrarum Regni nostri ipsis innixi et ex ipsis eruditione sumpta in judicando conservent stateram aequitatis.

Confirmatio iurium.

Imprimis igitur pollicemur verbo nostro Regio omnes Regni nostri incolas in iuribus quibusvis ipsis a praedecessoribus nostris datis integraliter conservare. Nullique bona recipi mandabimus, aut captivari faciemus, nisi prius fuerit jure convictus.

Ad bellum euntibus promissio facta stipendij.

Item pollicemur, quod dum et quando Nos extra fines Regni expeditionaliter proficisci contigerit, omnibus terrigenis nostris Nobiscum euntibus exolvemus jura Terrestria, videlicet super quamlibet hastam quinque marcas, pro

damnis etiam et captivitate ipsis satisfaciemus, juxta quod ipsis a nostris Praedecessoribus est concessum.

In Capitaneos non constituentur dignitarii.

Item cum singula officia suis sint actibus deputata pollicemur, quod in nullis terris Regni nostri Palatinum aut Castellatum in Capitaneum praeficiemus, praeter Capitaneum Cracovi.

Dignitates et officia quibus danda.

Item cum indigenae pro suis meritis et virtutibus forensibus sint merito praeferendi, pollicemur per praesentes, quod dignitates Castellatus et officia in Terris universis Regni nostri personis benemeritis, aetate, intellectu et prudentia bene vigentibus et indigenis distribuemus, dabimusque dignitatem illi personae, quae illius Terrae indigena fuerit, in qua dignitas ipsa vacabit, habueritque haereditaria ibidem bona ut viam murmuri, et displicentij praeccludamus.

Cancellarij, Vice-Cancellarij, Mareschalci de quibus sint Terris.

Item pollicemur, quod Cancellarium, Vice-Cancellarium, Mareschalcatum et alia officia Curiae distribuemus indistincte viris idoneis sive fuerint de Terris Majoris Poloniae sive Cracov:

De non obligandis terris et castris principalibus.

Item cum bona et possessiones mensae nostrae Regalis nedum pro persona nostra, sed et pro tuitione ac conservatione Regni totius sint principio ordinata, pollicemur, quod non ponemus in obligationem pro pecunijs, castra et terras principales, seu capitales, in quibus Capitaneatus consistunt, et si quis a nobilibus hujusmodi terras aut castra sic in obligationem receperit pecunias per eum datas eo ipso amittat.

249

De non expetendis contributionibus a subditis.

Item pollicemur, quod amodo non expetemus aliquas solutiones, aut contributiones fertonum, aut sex grossorum a terrigenis; vel eorum hominibus, sed in solutione duorum grossorum de quolibet laneo debemus esse contenti, juxta veterem consuetudinem.

Grancies bonorum Regalium qualiter faciendae.

Praeterea pollicemur, quod omnibus petentibus a Nobis limitationem, seu distinctionem limitum, inter bona mensae nostrae Regalis et bona petentium, consentiemus et dabimus duos dignitarios seu officiales et Succamerarium, qui nomine nostro potestatem habebunt limites faciendi.

De inhibitione judiciorum.

Item pollicemur, quod non dabimus literas prohibitorias justitiae, aut has per quas posset impediri aut differri judicium in praedictum aliqujus partis actoris aut rei, quod si alioquin hu-

jusmodi literas de Cancellaria nostra, per importunam alicujus instantiam, aut quovis modo emanare contigerit, sint eo ipso nullae, Judicesque per hujusmodi literas minime judicare sint adstricti.

De differentia spiritualium et saecularium.

Item promittimus, quod quam cito Deo dante de expeditione in Terras nostras Nos reverti contingat, omnes differentias inter spirituales et saeculares exortas in Conventione Generali sopiemus.

Judicia Capitanei pro tempore et loco tenentes.

Item statuimus, quod Capitanei nostri judicia non judicent in arctiori tempore nisi in sex hebdomadis, quodque ipsorum judicia hujusmodi ante unam septimanam praekoniscentur et proclamantur, locusque hujusmodi judicio, talis modi proclamatione publice designetur.

250

Quatuor articulos Capitanei judicaturi.

Item statuimus, quod Capitanei nostri non judicent indistincto praeterquam quatuor articulos, pro concussionem viae Regiae ubi mercatoribus violentia infertur, pro incendio, pro invasione domus violenta manu, et oppressione faeminarum.

De justitia per Regem in ingressu Terrae faciendae.

Item pollicemur, quod semper in adventu nostro in Terras quascunque nostras in quolibet districtu, quem feliciter ingressi fuerimus omnibus petentibus justitiam fieri cum Capitaneis nostris, ipsam expedire faciemus.

De terminis generalibus seu peremptorijs.

Item statuimus, quod judicia peremptoria seu termini generales fiant tribus vicibus in anno in Terris singulis, omnesque officiales qui judicij praesidere consueverunt personaliter eis interesse tenebuntur et sint adstricti, exceptis Palatino et Capitaneo, qui dum conventionibus aut negotijs Regijs fuerint impediti poterint vice sua surrogare terrigenas possessionatos et prudentes, seu jurisperitos. Caeteri vero praesidentes in judicij ut Judex, Subjudex, Vexillifer semper personaliter interesse debent, praeterquam si aliquis eorum infirmus esset, aut legatione Regia seu Regni fungens alicubi mitteretur, nam tunc pro uno semel poterit alium in judicio ponere vice sua, alias semper extra casus istos interesse personaliter sint adstricti.

De libro judiciorum.

Item statuimus, quod pro judicij juste expediendis, et negotijs in judicium deductis scribendis fideliter, fiat unus liber judiciorum seu actorum in quolibet districtu. Et dum in aliqua causa in judicium deducta, super aliquo articulo audita propositione et responsione fuerit in judicio sententiatum quid, illa sententia in librum

actorum inscribatur, ut postea super eodem articulo, vel ei simili, similis sententia proferatur.

Judicia secundum statuta tenenda.

Hujusmodi autem judicia judicentur ex libro statutorum Regis Casimiri divinae memoriae, et ex statutis in Warta confectis. Quodque in hujusmodi judicij non recipiantur dilationes termini, praeterquam infirmitate de qua primum per juramentum constare debet, in secundo autem termino in terminis comparere et respondere debet.

251

Notae Notariorum et lectura.

Item statuimus, ut Notarij Terrestres in judicij non exigant a notis, praeterquam in primo termino medium grossum, et in ultimo tantundem, aut a notis totius causae recipiant unum grossum, pro lectura vero quam fecerint in judicij nihil penitus exigere debebunt.

Notarius qualiter instituendus cum vacat.

Vacante autem Notariatu Terrarum, in quolibet Terra terrigenae illius Terrae ubi Notariatus vacat, in Conventione Terrestri nominabunt quatuor personas idoneas pro eodem officio, prout de Judicibus et Subjudicibus servari solitum est, ex quibus quatuor sic nominatis personis uni illorum conferemus Notariatum ad placitum nostrum.

Liber qualiter servandus sit.

Item statuimus, ut libri Terrestres actorum Judicialium serventur juxta statuta Vartensia sub tribus clavibus, quarum unam Palatinus habeat, aliam Judex et tertiam Notarius. Completo judicio remanere debet in loco, ubi factum est judicium tribus diebus pro dandis copiis actorum petentibus eas.

De controversijs et responsis.

Item statuimus, quod in Judicij Terrestribus et Capitaneorum controversiae, alias *wspory* possunt fieri ante responsionem, alias *przed odeprza* per reum factam, post responsionem vero rei super propositione actoris, Judex amputatis controversijs et altercationibus superfluis, unicuique partium faciat justitiam expeditam.

Vulnera qualiter probanda et judicanda.

Item statuimus, quod si quis citabit, seu evocabit aliquem ad judicium pro vulneribus, ministerialis ad instantiam vulnerati vulnera conspiciat debite, qui supra ministerialis recognitionem vulnerum suorum coram judicio debet edocere testibus totalibus super vulnera sua. Qui si docere non poterit, extunc idem vulneratus luet judicio Regalem poenam dictam septuaginta, alias *siedmna dziesiąta*, et parti adversae poenam dictam quinquaginta, alias *piętna dziesiąta*.

De calumnia objecta, de calumniatore, et de calumniato.

252

Item cum omnis juris regula viam praecludat

calumnijs, statuendum censuimus, quod si cuiquam obijci contigerit calumnia, calumniatorque ab antiquo nuncupetur, quia videlicet procuravit, aut procurat causam calumniosam, luet calumniato se purganti poenam trium marcarum, et iudicio trium. Talis autem purgatio ipsis calumniatoribus duntaxat tribus vicibus est indicenda; Si vero quarta vice quis inculpatus fuerit, de opere calumniae amplius ad purgationem admitti non debet, sed pro suo scelere nares sibi praecidi debent, ad instar equi castrati, et eo ipso sit honore privatus, nec jure nobilium per amplius, aut eodem aliquatenus se tueri potest.

De eo qui procuratore caret aut proponere nescit.

Si quis vero in iudicio constitutus, rem debite suam proponere nesciverit, aut in lingua impeditus fuerit, nec amicum pro eo loqui volentem poterit habere, iudicium ibi sedens ex suo officio sibi petenti procuratorem idoneum deputare debebit.

De pignorationibus.

Item statuimus, quod quotiescunque per Capitaneos nostros, aut eorum Vicesgerentes, impignorationes fieri contingat ex decreto juris Terrestris, aut pro exactionibus Regalibus, ut non exigant ipsi Capitanei plusquam illud quod pro pignore recipitur, quod pro suis pignoratibus, aut ministeriali consveverunt, ipsi pignoratibus facere, quod omnino fieri prohibemus.

Si Tenentarij bonorum Regalium cuiquam injuriantur.

Item statuimus, ut Tenentarij bonorum mensae nostrae Regiae si vicinis aut alijs hominibus injuriati fuerint, teneantur stare iudicio Terrestris, postquam fuerint per injuriam passos evocati. Etsi pellant pecora aut pecudes ad domos aut Curias Regales occasione differentiae granicierum, aut ratione destructionis seminorum teneantur dare ad cautionem fidejussoriam super decretum dominorum iuxta consuetudinem Terrae diutius observatam, quodsi secus fecerint luent poenas sicut alij nobiles, quae poenae poterint peti et exigi ab eis etiam in pecunijs si quas habuerint in bonis Regalibus inscriptas.

253

Spisne abrogatur.

Item statuimus, quod Burgrabij aut Exactores Regales seu Capitanei nostri non exigant *spisne* de hominibus tam nobilium quam spiritualium, quodsi secus fecerint nec possessionati fuerint, in hospitij eorum per Burgrabium loci, aut Praeconsulem arrestentur, donec acceptum restituant, poenam trium marcarum luent ei, a quo hujusmodi *spisne* exegerint.

In foro publico non sint prohibitiones.

Item quoniam in exemptionibus et venditionibus rerum est aequalitas servanda, statuimus, ut civitates nostrae et omnes aliae non faciant prohibitiones in foris pro utilitate sua et incommodo aliorum, aliqua signa in foro prohi-

bitionem designantia extendendo, sed unicuique venienti ad forum, liberum sit vendere et emere rem suam ad placitum suum. Quod si ipsi cives contrarium fecerint, habeat Capitaneus noster ipsos puniendi in poena trium marcarum facultatem.

De profugis restituendis.

Item statuimus, ut tenentarij bonorum nostrorum, cives civitatum nostrarum, et terrigenae ac etiam spirituales homines profugos illis, a quibus fugerint requisiti restituant, et ad eorum restitutionem teneantur secundum juris Terrestris consuetudinem, quod si requisiti non fecerint, nec profugos restituere curaverint, extunc luent poenam marcarum trium profugos petenti, et iudicio trium, et nihilominus soluta poena hujusmodi profugos restituere sint adstricti.

Vulneratorum et occisorum villanorum in civitatibus.

Item statuimus quod cives civitatum nostrarum nobilium et spiritualium pro vulneribus et homicidio jus Polonicum hominibus villarum nostrarum spiritualium et nobilium ministrare tenebuntur.

De filijs pro patre aut fratribus indivisis ad bellum ituris.

Item statuimus, quod si quis ex terrigenis nostris habuerit filium adultum indivisum, aut frater fratrem potentem ferre arma, poterit ipsum (etiam absque licentia Regia) ad expeditionem vice sua mittere, qui supplebit locum ejus tanquam solus personaliter interesset, sic tamen quod ipsum eo modo expediat, sicut ipsemet iturus esset.

De rebus venalibus per Palatinos taxandis.

Item volumus, ut quilibet Palatinus in suo Palatinatu habeat potestatem singulis civitatibus, artificibus quibuscunque etiam pincernis, certam mensuram et modum vendendi res suorum artificiorum constituere, ne terrigenae nostri et eorum homines, eorum venditionibus aggraventur, quodque praefatus Palatinus annis singulis tenebitur facere sub poena magna Regali in Terris singulis consveta contra non facientes per Nos statuen-

De bello et constitutionibus decernendis.

Item pollicemur, quod nullas novas constitutiones faciemus neque terrigenis ad bellum moveri mandabimus absque Conventione communi in singulis Terris instituenda.

De judaeis et eorundem juribus praescriptionibus et obligationibus.

Item cum infideles non debeant ampliori praerogativa gaudere quam Christi Dei cultores, nec servi debent esse melioris conditionis quam filij, statuimus quod Judaei potiantur juribus iuxta constitutiones Vartien. prout alij nobiles Terrarum nostrarum quantum ad praescriptiones,

ut videlicet utantur praescriptione trium annorum in obligationibus et inscriptionibus ipsorum. Nec poterint dare aliquam summam pecuniae super obligationem aliquorum bonorum aut super litera inscriptionum, quod si dederint contra hujusmodi prohibitionem statuti, eo ipso sint nullae, literas etiam quascunque super libertate ipsis judaeis in Regno nostro degentibus, per Nos post diem coronationis nostrae concessas, et juri Divino ac constitutionibus Terrestribus contrarias penitus revocamus, abolemus, easque nolumus fieri alicuius roboris vel momenti, quam revocationem et obligationem eorum in Regno nostro per proclamationem publicam omnibus innotescere faciemus, haec omnia rata grataque habere promittimus, et inviolabiliter observare, ac ab alijs observari faciemus, praesentium nostrarum quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Actum in Nieszawa die Sabbatho proximo post festum S. Elisabeth. Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto. Praesentibus Magnificis Ioanne de Ciszow Castellano et Capitaneo, Ioanne de Tęczyn Palatino Cracovien. Ioanne de Oleśnica Sandomirien. Stanislao de Ostrog Calisien. Palatinis. Hincza de Rogow Castellano Sandomirien. Regni Poloniae Vice-The-saurario, Caeterisque quam plurimis ad praemissa, Datum per manus Magnifici Ioannis de Koniecpole Cancelarij, et Thomae de Strzampino Magistri in Theologia Decretorum Doctoris, Vice-Cancellarii Regni nostri Poloniae, sin-cere Nobis dilectorum.

255

CASIMIRI STATUTA NIESZAVIEN. ET IN OPOKI, JOANNES ALBERTUS REX CONFIRMAT.

Quodquidem privilegium in omnibus punctis, conditionibus, passibus, et articulis, de certa scientia, benignitate, et virtute nostra innata, praeclarorumque Baronum ac Nuntiorum de singulis Terris hic congressorum universorum consilio et voluntate confirmandum duximus, et confirmamus perpetuo tenendum observandumque. Et insuper quanquam tam ipse olim Genitor noster, quam caeteri ex ordine Praedecessores nostri consideratis moribus et consuetudinibus adolescentum et hominum universorum praesertim huic inclito Regno subjectorum, quadam effrenata sensualitate ductorum, et ad malum declinantium, per quod morum et justitiae subversio in populo frequenter obrepit, tam eas in praesertim privilegio descriptas, quam multas alias in suffragium bonorum morum, et in ministerium aequitatis communis constitutiones fecerint, tamen quia jurium quantaecunque sanctiones, etiam propensiori congestae consilio ad humanae naturae varietatem, machinationes inopinabiles saepenumero non sufficiunt, simul quoque ad decisionem lucidam nodosae ambiguitatis, plerumque contingentis non attingunt, quandoquidem ut constat e Sacrorum Canonum decretis, et vetustissimarum legum praeceptis,

quorum, quarumque additiones et declarationes fiunt novae, vix aliquid adeo certum clarumque constituitur, quin ex causis, passionibus ac casibus emergentibus novis, quos jura antea posita mederi non possunt in dubium revocetur.

Idecirco Nos Ioannes Albertus Dei gratia Rex Poloniae, communi et diuturna consultatione praemissa, cum Praelatis, Baronibus, Nobilibus Terrarumque Nuntijs, ac subditis universis nostris spiritualibus et saecularibus, in hac Conventione Generali Petricovien. existentibus corpus ejusdem Regni cum plena facultate absentium repraesentantibus, nonnihil commendantes a statutis praesertis et alijs diutius sancitis, nonnihil vero denuo pro casuum emergentium novitate decernentes, statuta et constitutiones nostras infrascriptas decrevimus per Nos edendas et constituendas, dedimusque et constituimus, perpetuis temporibus duraturas et observandas.

STATUTA JOANNIS ALBERTI ANNO 1496.

256

Judicia quatuor in anno tenenda, et qui illis debeant interesse.

Imprimis quoniam crebriusculum contingit Judicia non teneri Terrestria propter absentias eorum, e quorum auctoritatibus generalis dependet administratio justitiae; idecirco statuendum putavimus et statuimus, ut in singulis Terris Regni nostri Judicia Terrestria quater in anno celebrentur, quibus Judiciorum terminis intersint et eis praesideant illi, qui ad Judicia celebranda ratione dignitatis aut officij pertinent. Si vero non interessent neque alium a se substituerent, nihilominus Judex cum Subjudice terminos et judicia judicabunt non obstante absentia illius et illorum, qui interesse debuit et debuerant, et similiter Camerarij sui Camerariorum eorundem.

Tamen adminus judicij et terminis eisdem Judex cum Subjudice et Notario interesse teneantur, pro quibus si aliquis eorundem trium Officialium Terrestrium non venerit, aut omnes non venient; extunc puniendus puniendique erunt quatuordecim marcarum poena fisco Regio irremissibiliter applicanda, vera infirmitate et Reipublicae negotijs exceptis, si eis impediti ad judicia venire non possent vel eisdem non interessent.

De evocatis ad alienum districtum.

Ad quae judicia seu terminos si aliquis de proprio districtu in alium se evocatum quaeretur, extunc evocans decernatur puniendus sex marcarum poena per medium et iudicio et parti evocatae solvenda, et insuper evocatus cum adjudicatione poenae ad proprium remittatur Districtum.

De Notarij et Camerariorum in absentia Judicis auctoritate.

Terminos vero ad eorum judicia statuimus

in Terris et Districtibus singulis sic ut consueverunt teneri celebrarique. At ubi pro aliqua vice celebrari non possent, pro qua celebranda erant, nihilominus pro eisdem die et loco, prout in quibus iudicia esse consueverint, volumus et decernimus; ut toties quoties iudicia celebranda erant, adminus Notarius Terrestris personaliter sub eadem poena per eum si secus fecerit solvenda, quam ad Judicem et Subjudicem absentes constituimus, una cum Camerarijs, si caeteri officiales venire non possent, constituatur cum libris Iudiciorum, coram quibus Notario et Camerarijs homines ad librum venientes inscriptiones faciant in libro, aut describant prout cuilibet inscribendi vel describendi necessitas incumbet.

257 De locis Iudiciorum Capitaneorum et quatuor articulis iudicandis.

Item ad tollendum nonnullorum Capitaneorum abusus: dum videlicet relictis Capitaneatum locis consuetis in quibus iudicia exercere consueverunt: nonnunquam Tribunalia Iudiciorum suorum in locis officio ipsorum alienis constituunt, decrevimus et statuimus, ut ipsi Capitanei Terrarum ac Districtuum non in alijs iudicent locis, quam Capitaneatum proprijs, alias in quibus iudicia esse consueverunt, articulos tamen quatuor duntaxat in privilegio praescripto descriptos.

De iudicijs Capitaneorum quot vicibus celebrabuntur.

Haec autem Iudicia celebrabunt in sex septimanis quibus personaliter intersint, et quoties non interessent constituent Judicem nobilem possessionatum in eodem Capitaneatu domicilium habentem, causasque et iudicia discernere scientem, quod faciant sub privatione Capitaneatus, cui poenae subijcientur quotiescunque causa quacunque privata impediti iudicijs non interessent, excepto quod propter necessitates aut actiones Reipublicae vel nostras interesse non valerent.

De nullitate Iudicij Capitaneorum.

Et nihilominus si quid ultra articulos quatuor aut in alijs temporibus et locis inconsuetis iudicarent; id irritum, et inane esse volumus et decernimus.

De inscriptionibus Castronsibus ad Terrestrem librum transferendis.

In quorum libris et iudicijs si quae inscribentur inscriptiones aut ex causa aut necessitate, hujusmodi illae ad librum Terrestrem transferantur ante anni decursum unius, quo decursu nullius roboris censeantur esse, in libro Castrensi sine translatione relictas.

De liberis navigationibus et fluminibus ex nomine liberis.

Item approbantes constitutionem paternam super navigatione fluviorum sancitam, decrevimus ejus statutum praesenti nostro super fluitationi-

bus innovandum, sic videlicet quod et si flumina Regni nostri, videlicet Wisla, Dniepr, Styr, Narew, Warta, Dunaiec, Wisloka, Bug, Wieprz, Tyśmienica, Say, Drwańca, Orda, Nida, Prośnia, Notesz, et alia in Regno nostro existentia, cum alveis eorum nostra fuerint non possitque quispian illa jure privato vendicare, tamen cum ut a Nuncijs Terrarum accepimus per nonnullos, multo pluris aestimantes capturam piscium quam usum publicum et abundantiam rerum necessariorum, subditos nostros quorum bona supra ripas fluviorum situantur praedictorum adeo fuerint clausa obstaculis multis et sepibus, ut mercatores navigantes illa fluitare non possent; idcirco ad tollendum errorem et impedimenta circa fluitationes fluviorum praedictorum liberas committi solitum atque solita supplicibus subditorum omnium petitis satisfaciendes, statuto praesenti decrevimus et decernimus fluitationes et navigationes in fluvijs praescriptis, et in caeteris alijs Regni nostri, alveisque eorum sursum et infra, cum rebus quibuscunque venalibus cujuscunque generis, speciei, differentiae et materiei fuerint, quomodocunque nominatis vel nominandis navigantibus navigaturisque, ipsa quoque flumina et alveos debere esse libera, atque liberos omnes et singulos homines cujuscunque conditionis existentes eisdem fluminibus ascensum aut descensum facientes cum rebus eorum universis praedictis. Prohibentes praesenti decreto nostro occasione quavis, et praesertim ruptionis obstaculorum, ad solutiones aut theloneorum, aut damni cogendas, praesertim cum non sepibus, sed rebus piscandum sit ut tenet usus, ubi autem quempiam habendi obstaculi delectat utilitas, in et de illo latiora ostia solito constituat, per quae pateat tutius et liberius navigium navigare volentibus. Cujus nostrae constitutionis, si quispiam temerarius violator fuerit, aut de navigantibus solutiones aliquas colore, arte, aut ingenio quocunque exegerit, eas jubemus et decernimus integre restitui, transgressoremque quemlibet excusatione et dilatione cessante coram Capiteano conventum poena *siedmnađziesta*, per eum ipsum Capitaneum puniri. Quam constitutionem etiam in nostra obstacula volumus extendi, et ab illis primum executionem ejus inchoari, ut exinde validior, videatur esse jussioque constringat et Principem.

De fluvijs ad navigandum aperiendis praesertim circa Thorunium.

Et quia frustra esset jura condere quae non essent executioni demandata, idcirco promittimus statutum praesens nostrum exnunc promovere, ad effectum celerius consequendum, et efficere auctoritate nostra; ut fluvij purgentur, et illis regniculae nostri libere fluitabunt.

De Thorunen. Impedimento in navigatione.

Quodque Thorun. non impediunt, neque arrestent, aut retineant navigantes, illisque, violentias nullas facere non praesumant a quibus eos

258

259

259

tueri pollicemur, sic ut Gedanum quisque libere atque secure fluitet; per Thorunenses minime prohibitus aut prohibendus.

De kmethonum missione.

Item de missione kmethonum, pro qua diversi diversimode et quisque pro suae Terrae consuetudine optabat per Nos diffiniri, volumus et decernimus consuetudines super mittendis eis observatas non esse immutandas, sed observandas ubique.

De fugitivis kmethonibus.

Pro fugitivis tamen tametsi videatur satis superque diffinitum in statuto Magni Casimiri quod teneri decernimus, tamen quia non videtur quidquam descriptum esse qualiter in citando procedendum esset, idcirco statuimus ut pro kmethonibus fugientibus a die datae praesentium in futurum citentur, qui citandi sunt ad Iudicia Terrarum; in quibus Iudicijs Terrestribus in primo termino, tanquam peremptorio comparere et respondere citati tenebuntur; et si termini non celebrarentur, tunc cum terminus ipse penderet partibus nihilominus non obstante absentia Iudicis, Subjudicis, et aliorum dignitariorum, officialiumque iudicij praesidere solitorum, Notarius et Camerarij qui interessent positioni libri, fugitivi iudicium iudicabunt sententiabuntque.

De autoritate Notarii et Camerariolorum absente Iudice.

Eandem auctoritatem in absentia Iudicis et Subjudicis habituri in causis, citationumque terminis, pro bonorum exemptionibus praefixis, sic ut reempturus bona pecunias coram Notario et Camerarijs reponat, quas Notarius ipse cum Camerarijs decernat recipiendas, et exemptionem faciendam, quorum decreto si fortasse renitetur eximendus, et de obligatione cedere nollet; nihilominus ipsi cum libro Iudicio Praesidentes, pecunijs juxta tenorem obligationis receptis ad Cancellariamque Terrestrem repositis, decernant exemptionem factam, ita quoque exempti possessionem assignandam, eamque juxta formam juris assignabunt parti pecunias reponenti.

De filiis kmethonum.

Item providentes licentiositati tam adolescentum plebojorum quam desertationi bonorum, cum adolescentibus de villis a proprijs parentibus exeuntibus villae desertantur propter defectum laboratorum in agris locandorum, et insuper aliqui sub colore artificiorum discendorum a patribus euntes, ad stipendia et societates malas se conferunt, sic quoque furantur, praedantur, et in moribus depravantur. Statuimus quod tantummodo unus filius de villa a patre recedere possit ad servitia, et praesertim ad studia, aut literarum, aut artificiorum, reliqui maneat in haereditate cum patribus. Cum vero recessurus est, licentiam et literas testimoniales a dominis locorum accipiat, cum quibus tanquam eman-

260

cipatus eat ad artificia vel servitia. Istud quoque statutum decernimus ad bona mensae nostrae Regalis ac spiritualium et saecularium personarum nullis exceptis, sic quod Capitanei tenentarijque bonorum nostrorum licentiam et literas testimoniales, dent recedenti, in alijs vero bonis domini locorum istud faciant. Et si unus fuerit, ille in haereditate maneat et laboret in domo cum parentibus, vel in eadem haereditate quam parentes incolunt, aut domicilium, aut servitium, aut victum acquirat. Quod si aliquis adolescens villanus, praeter istud decretum, fugiens repertus fuerit, sive in civitatibus et oppidis sive alibi ubicunque, ille domino loci illius a quo fugit, sine juris strepitu restituatur, sub poena quatuordecim marcarum, et nihilominus illi qui eum retinuerint, poena toties quoties secus fecerint soluta, ad restitutionem sint astricti.

De laicis dietim, horatim, aut septimanatim, non annuatim servientibus in civitatibus.

Item quoniam propter laicos propria domicilia, non habentes, qui septimanatim servire, et salaria septimanalia habere consueverunt, fit defectus servitorum in villis et praedijs bonorum tam Majestatis Regiae quam spiritualium et saecularium personarum, quique in civitatibus et oppidis foventur inconsiderate non advertendo quibus officijs victum quaerant, qui exinde certis temporibus praedatum, certis vero temporibus servitum exeunt, in villis messis tempore salaria exigentes gravia. Statuimus ut sub poenis quatuordecim marcarum toties quoties secus factum esset solvendis, cives et oppidani nostri et quorumlibet subditorum nostrorum cujuscunque status et conditionis existentium, non foventur in civitatibus et oppidis homines tales, qui ad annum integrum servitium non haberent, aut officium aliquot non gererent, de quo victum colligerent, et similiter illos qui absque literis testimonialibus a dominis locorum recipiendis, illuc se conferant. Et licet officia quaedam sint inter illos quae ipsi cives pro eorum victu habere gerereque consueverunt per labores et suffragia septimanalium servitorum, pro illis septimanalibus servitijs inquilini domorum assumantur, per quos suppleatur defectus apud illos, qui non diutius quam pro certis diebus servitores conveniunt.

261

De kmethonum debitis apud cives contractis.

Item propter deordinationem kmethonum, dum videlicet tanquam nulla lege adstricti quidam eorum in superbias efferuntur, pretiosis vestiuntur, expensasque sumptuosas et alia faciunt, quae illorum conditioni minime conveniunt, sicque debita inter cives contrahunt excedentia bona kmethonalia, pro quibus tandem debitis cives consueverunt kmethones in civitatibus et oppidis arrestare, detinere aut citare iure illo omisso, ad quod kmetho pertinet domicilij ratione, statuimus ad pracludendam debitorum kmethonaliu viam; ut cives pro debitis quibuslibet

quacunq[ue] ratione contractis, etiam in libro civili inscriptis, vel non inscriptis kmethones citare, arrestare, detinereque non debeant neque possint in civitatibus et oppidis praedictis, sed pro eisdem decernimus kmethonem in jure haereditatis, quam incolit conveniendum juxta formam juris. Et si dominus loci justitiam ministrare differret, essetque occasio civi contra dominum pro justitia conquerendi; tunc civis dominum loci conveniat pro iustitia jure, ad quod dominus loci illius haereditatis ratione videbitur pertinere. Sub poena sex marcarum in cive secus faciente exigenda, pro qua cives ad loci Capitaneos citabuntur, per medium et parti et iudicio solvenda atque jure Terrestri repetenda et nihilominus civis ad damnorum solutionem et rerum cum kmethone receptorum restitutionem villae illius domino, unde kmetho fuerit sit jure praesentis constitutionis obligatus, quo in casu locorum Capitanei habeant facultatem iudicandi, non obstante, quod in praeserto privilegio quatuor duntaxat articulos sunt cognituri.

De libertate nobilium in thelonis.

Item licet nobiles per alios Praedecessores nostros Reges Poloniae et eorum privilegia atque statuta liberati fuerint, ut thelonea vel de sale, vel de rebus omnibus in domos aut de domibus eorum ductis non essent soluturi, sub poenis certis contra teloneatores statutis atque in privilegijs descriptis, quia tamen inolevit praesudicialis consuetudo, ut teloneatores praemissis non attentis, telonea de nobilibus exigere non verentur, contra quos pro poenis non definitum erat, qualiter nobilis teloneis gravatus, injuriatusque acturus esset. Idcirco extendentes libertates in hac parte nobilium statuimus, ut tam de sale, quam rebus alijs cujuscunq[ue] generis fuerint, aut in domos nobilium ductis ubique in Regno nostro telonea minime exigantur. Alioquin teloneatores secus facientes, tam pro poena in privilegijs prioribus descripta, quam pro damnis nobili in hac parte illatis jure Terrestri ad quod pertinent ratione possessionum, quas videbuntur obtinere possidereque, quoties necessitas exposcet conveniantur. Ipsi vero si possessionati fuerint personaliter citabuntur et citati in jure eodem Terrestri comparere respondereque tenebuntur, contra quos sic agendum procedendumque erit, ut fieri consuevit iudicium cum impositio, obtentis tandem perlucris illa Capitanei locorum exequantur juxta juris formam et antiquam consuetudinem, libertatibus et exemptionibus teloneatoribus dari consuetis minime eos aut excipientibus, aut tutantibus, in praemissis.

Do salvo conductu his, qui de Regno fugiunt dando.

Item quoniam contingit saepius regnicolis casu contingenti, alias propter insecuritatem vitae, extra regnum necessario egredi, idcirco ne dignitas Regia per injustitiae culpam profanetur, volumus, statuimus et decernimus ut regnicolis

nobilibus, vel plebeis cujuscunq[ue] status et conditionis existentibus, sexus utriusque, in securitate personae, casu quocunq[ue] eis contingente et istud exigente, extra Regnum se conferentibus salvus conductus, et affidatio per Nos et Successores nostros dari debeat petentibus, ut sub libertate publica, vel se expurgent, vel justitiam petent, eamque ex se reddent accusati.

De plebeis ad majores ecclesias non recipiendis; de non reservandis beneficiis: et de pensionibus prohibitis.

Item quamvis per divos olim Reges Poloniae Praedecessores nostros, ex antiquo fuerit constitutum et aliquanto tempore inviolabiliter observatum, ut propter defensionem ecclesiarum, ac honorum ecclesiasticorum in principalibus, videlicet Gnesnen: Cracovien: Vladislavien: Ponsnien: et Plocen: ecclesijs non susciperentur, prout non suscipiebantur, ad dignitates personatus et officia ac Canonicatus et praebendas ignobiles plebeaque personae, quae ad defensionem ecclesiarum in Regno nostro pernecessarias, praesertim propter homines licentiosos, et crebras expeditiones bellicas, parum aut nihil prodesse possunt ecclesijs, sed duntaxat recipiendi erant Barones generosi et nobiles, e quibus prompta et facilis ecclesiarum defensio esset. Tamen cum per dissimulationem quandam, in observando statuto et privilegio veteri habitam quam plures ignobiles ad ecclesias praedictas, his temporibus sumerentur, ita quoque ecclesiarum bona cernerentur omni defensione destituta, exindeque magna in parte vastata et destructa esse, et in nonnullis locis, adeo annihilata, ut non extant domus in possessionibus ecclesiae, habitatoribus commodae, ignobilibus illa minime defendentibus. Simul etiam animadvertentes gravissima nedum cleri, verum etiam Regni nostri ac Reipublicae incommoda, quae ex reservatione beneficiorum vivente possessore nuper adinventae, ac etiam ex pensionibus personis extra Regnum nostrum Poloniae genitis et habitantibus, ut quotidianis experimur effectibus evenire consueverunt, per quas cultus divinus minuitur, defensio ecclesiasticae libertatis adimitur et abstrahitur, facultas personis idoneis Reipublicae christianae Regnoque nostro prodesse volentibus, scandalaque exinde a clero in plebem Nobis subjectam oriuntur. Pro tanto Nos indemnitati non minus Reipublicae quam ecclesiarum Regni nostri in hac parte providerem (uti tenemur) cupientes, statuimus, ut in singulis Capitulis ecclesiarum suprascriptarum ad dignitates, personatus et officia, ac Canonicatus et praebendas recipiantur personae tantummodo Regni Poloniae indigenae Nobiles ex utroque parente, quorum nobilitatem sic constaret probabilem esse, uti in jure Regni nostri communi, nobilitas irreprehensibilis probari consuevit.

De numero plebeorum ad ecclesias recipiendorum

Verum ne quid in ea re actum videretur esse

in odium plebeorum; quorum conditio perinde ac ut consuevit praerogativis gaudet specialibus in Regno nostro; idcirco tametsi nobilium nati videantur aeque docti et plerumque doctiores plebeorum natis, non fueritque Capitulum quod doctos ac doctissimos Praelatos et Canonicos nobiles haud contineret, non minus necessitati quam etiam honori et decori ecclesiarum sufficientes, consulereque scientes atque solitos; tamen ultra eosdem doctores natorum nobilium in Capitulis existentium, decernimus admittendos plebei generis doctores numero et ordine infrascriptis: videlicet quod in ecclesijs praedictis in quibus habentur doctores, aut lectores juris ac theologiae ex antiquo sive etiam noviter fundati, aut ubi habendi sunt per novam foundationem fiendam, ad eos datos, unus in theologiae, unus in juris canonici et unus in medicinae facultatibus sint promoti. In eisdem vero ecclesijs, ubi non habentur fundati doctores praedicti, decernimus non plures quam duos in theologiae, duos in juris canonici, et quintum in medicinae facultatibus promotos. Qui tamen non aliter suscipiantur per Capitula quam quos loci-ordinarij idoneos et in facultatibus ipsis doctoratu dignos approbaverint, ac ut tales censuerint sub eodem numero recipiendos. Quodque nullus subditorum nostrorum aut alius undecunq[ue] fuerit, cujuscunq[ue] status, gradus, ordinis, conditionis et praecminentiae existat, ac quacunq[ue] praefulgeat dignitate, beneficium ecclesiasticum quodcunq[ue] Regni nostri Poloniae, vel per impetratam in vita possessoris reservationem nuperrime adinventam, vel sub aliqua pensione annua, etiam si tale beneficium sibi motu proprio et ex certa scientia daretur aut provideretur, acceptare seu sibi de eodem sub ipsa pensione, vel alias ex cessione juris, aut resignatione cujuscunq[ue] extraneae personae, quae fortasse possessionem beneficij ipsius non habeat, ut sub eo pallio pensiones ipsae caelarentur provideri facere, vel procurare audeat aut praesumat. Sin autem aliquis aut aliqui plebeorum in contrarium praesentis et antiqui privilegij et consuetudinis Regni Poloniae, beneficia in ecclesijs et Capitulis praedictis acceptare, aut a se recipi procurare, petereque praesumpserint. Demum etiam si aliquis subditorum nostrorum aut undecunq[ue] fuerit, cujuscunq[ue] status, gradus, ordinis, conditionis et praecminentiae existens beneficium vel beneficia ecclesiastica in Regno nostro: vel per viam reservationis praedictae in vita, vel sub pensione ut horum meminimus acceptaverit, et similiter si quispiam beneficia juris-patronatus nostri Regij, aut subditorum nostrorum in praesudicium et derogatum juris-patronatus nostri et subditorum eorundem nostrorum ex causa quacunq[ue] impetraverit; statuimus, decernimus et mandamus, omnium bonorum suorum communium et privatorum, mobilium et immobilium, saecularium aerario seu fisco vel mensae nostrae applicandorum privatione, ecclesiasticorum vero arresto, confisca-

tionem et extra Regnum nostrum bannitione immediate puniendos. Verum ne quispiam constitutionibus et ordinationibus praesentibus nostris per media aliarum personarum contravenire tentaret, statuimus et decernimus simili mulctae subiacere et esse puniendos omnes et singulos Praelatos spirituales et saeculares, ac Capitula, Canonicos, Plebanos, Vicarios, beneficiatos quoscunq[ue] et presbyteros omnium ecclesiarum, necnon tabelliones et Notarios Regni nostri Poloniae et alios undecunq[ue] existentes, qui literas quascunq[ue] suprascriptis ordinationibus nostris contrarias personis extraneis, sive indigenis et alijs quibusvis, cujuscunq[ue] status, gradus, conditionis et praecminentiae existant et quacunq[ue] praefulgeant dignitate ignobilium provisiones, praedictas quoque in vita reservationes cum pensionibus, provisiones et processus desuper fortasse obtentos, portarent, afferrent et publicarent palam aut privatim, vel qui pensiones hujusmodi caelando illas summarie pecunijs redimerent et praedictas cessiones, seu resignationes susciperent, vel acceptarent seu qui monitoria, censuras, privationes et sequestra ob non solutionem pensionum etiam motu proprio impositarum in se continentes, quarumque auctoritate datis vel concessis, admitterent aut exquererentur vel ea et eas admitti, exequi, prosequi, toveri vel promoveri, procurare praesumerent vel auderent, seu aliquis eorum praesumeret vel auderet, mandantes praesentium per tenorem atque decreti praesentis publicitus promulgati vigore, constitutiones, ordinationes et decreta praesentia ab omnibus Praelatis, Capitulis et universo Clero Regni nostri Poloniae inconcusse teneri, observari, easque in ecclesijs publicari suprascriptis, tandem eorum et eorum vel originalia vel transumpta in Capitulis haberi, ne de praemissis quispiam ignorantiam allegaret in futurum.

De sale forensi et advectitio statutum innovatum.

Item licet Genitor noster statuerit certi tenore privilegij super sal forense scripti, quod Terris inferitur quibus non esset inferendum, qualiter videlicet arrestandum, qualiterque in arrestatione agendum esset, tamen cum modernis temporibus officiales excedere viderentur limites sui officij, ac constitutionis et privilegij illius, non nihil comittentes temere et injuriose etiam contra tenorem privilegij, idcirco statutum illud tanquam officiosum, et rationabile his nostris, de verbo ad verbum decernimus necessario inserendum, sic videlicet.

Quia considerantes thesaurum Regni nostri communem in zuppis Cracoviensibus, continuo decrescere et minui, propter salis foramen, et advecticij in Regnum nostrum, et praesertim in partes Majoris Poloniae licentiosam introductionem, quod incolis illarum partium passim et libere praeter veterem ordinationem ad usum eorum communem propinabatur, in detrimentum Reipublicae et zupparum Wielicensis et Boch-

nensis destructionem. Igitur cum consilio communi Consiliariorum omnium nostrorum ad infrascriptam devenimus sententiam et ordinationem, ut sal Wiclicen. et Bochnea. zupparum, per omnes Regni nostri incolas, cujuscunque status existant, edatur et propinetur. Ne quispiam extraneum sal in domo vel haereditate sua audeat habere, comedere, vel conservare sub poena quatuordecim marcarum, toties quoties repertum fuerit irremissibiliter persolvenda, Terras duntaxat Russiae (ubi sal proprium est) ab hac obligatione et statuto volumus esse exceptas. Quae quidem poenae per Capitaneos locorum pignoratione mediante exigantur more consveto usque ad intromissionem in ea bona, in quibus sal forense repertum esset, quae intromissio teneri debet usque ad integram satisfactionem poenarum et damnorum. Quod si apud quemcunque nobilem spiritualem vel saecularem, cujuscunque status et conditionis fuerit, quotiescunque praefatum sal prohibitum in domo vel in curia repertum fuerit, ille toties irremissibiliter dicta poena Regali quatuordecim marcarum puniatur, et ad solutionem ejus modo quo supra compellatur. Si vero apud kmethonem inventum fuerit, toties quoties id fecerit, idem kmetho pari poena puniatur, ubi vero mediante pignoratione poenam solvere non curaverit, extunc haereditis contradictione non obstante (qui taliter subditos suos tenere debent, ut non sint poenales) bona dicti kmethonis per Capitaneum poterint et debent confiscari ad poenae valorem existimanda, residuum vero quod superesset, in bonis relinquatur pro kmethone, ubi vero bona kmethonis non sufficerent pro poena solvenda, extunc idem kmetho debet mancipari, et vinculis detineri, usque ad debitam poenae exolutionem. Casu vero quo in civitatibus, vel oppidis, apud quascunque personas sal tale compertum fuerit habitum comestum vel propinatum et conservatum, Consules dictarum civitatum in simili quatuordecim marcarum poena puniantur, quae civitates et oppida cum eorum incolis eum inter se ordinem servent, ut extraneum sal in detrimentum Reipublicae Regni nostri apud eos non habeatur, propinetur, vel conservetur clam vel aperte.

Quapropter Nos Ioannes Albertus Rex decernimus, ut eo ipso ordine decreti paterni statutum de sale observetur aeviterne, et si illi qui ad recipiendum, alias arrestandum sal pro tempore deputantur, aliter in repetendo arstandoque sale, et transgressores puniendo processerint, extunc decernimus secus facientes poena quatuordecim marcarum puniendos; pro qua coram Palatino Terrae locique illius comparere respondereque, et juxta decretum ejus, illam Palatino solvere debeant, more Terrestris juris exigendum: et si impossessionati forent, habeat, et habeat Palatinus ipse facultatem eos captivandi, detinendique tanquam juris, aequitatisque communis violatores, non mittendo eosdem,

donec aut poenam illam solverint, aut cautionem per se dederint ad solvendum.

De floreni valore.

Item cum cerneremus varietates committi multas in valore auri florenorum, cum quilibet pro ut unicuique libet illos pro privato existimat iudicio, interdum minorem, interdum majorem existimando, quod fit non absque Reipublicae incommodo; itaque ordinare cupientes ne in futurum pro et super valore ipso florenorum errores committantur, statuimus et decernimus, ut in Regno nostro ubique valor floreni certus, videlicet mediae sexagenae habeatur, observeturque aeviterne, poenam constituendo triginta florenorum Hungaricalium ab illis, qui per alium valorem aut vendere, aut emere florenos viderentur, per locorum Capitaneos irremissibiliter sub privatione Capitaneatum exigendam, nostro inferendam aerario, pro auro argentoque ad monetariam nostram comparandis.

De laicis messis tempore exte de Regno prohibitis.

Quoniam quam plures laici et mulieres de Terris Masoviae, et alijs Terris Regni Poloniae, Silesiam et Prussiam messis tempore se transferre consveverint, quo fit ut in Terris Poloniae laboratores et servitores haberi non possint faciliter, itaque statuimus; ut omnes tales de Terris Poloniae et Masoviae extra Regnum laboratum euntes per Capitaneos tenentarios atque nobiles, et locorum dominos officialesque impune retineantur, retentique laboribus regnicolarum applicentur.

Kmethones quot annuatim de villa mittendi.

Item innitendo constitutioni Magni Casimiri Regis Praedecessoris nostri statuimus, ut quemadmodum ex consvetudine fieri consvevit, sic etiam perpetuo observetur, quod non plures, quam unus kmetho annis singulis se de una villa in aliam transferre poterit jure atque licite, ubi vero quispiam kmethonem unum praedictum mittere nollet, in poena succumbet consveta, quae antiquitus in Terris singulis in hac parte contra secus facientes decerni consvevit.

De laicis seu mendicis mendicatum euntibus.

Item cum viderentur in hoc inlyto Regno nostro mendicantes laici et faeminae in tanta multitudine esse, ut dari non possit Regnum (iudicio eorum qui multas orbis partes peragrarunt) frequentiam continens mendicantium tantam, inter quos plures constat laicos et faeminas bonarum virium esse, posseque competenter manuum labore victum quaerere, dummodo illos et illas lex super id stringeret, non voluntas; (per quam seu ut verius loquamur per desidiam, ut primum in eis barbae a mento dependerent et cani viderentur pili, postpositis domicilijs in elemosynarum suffragijs ac impetrationibus residuum vitae ponunt, scandala nonnunquam committentes, nonnunquam vero

268

ubi prece non impetrant dolis obtinent) quapropter instar legum optimarum municipalium in plerisque christianis dominijs sancitarum statuimus, ut in civitatibus oppidis et villis Regni nostri non plures mendici habeantur, quam quot communitates et domini locorum decernant habendos, quibus in locis civitatibus et oppidis Consulatus pro tempore existens, in villis vero Plebani sub quorum parochijs villae consistunt et locorum domini signa imponant sub illis, ad designandum numerum eorum, quos habendos duxerint mendicatos. Qui vero absque signis reperientur, decernimus ad servitia capiendos, aut in manus Capitaneorum nostrorum tradendos, a quibus illos pro laboribus castrorum nostrorum Turcis et Tartaris commetaneorum fossarumque successive recepturi sumus. Poterint tamen et valeant domini locorum his, quos emeritos, ac ad nulla juris officia valentes cognoverint, suas ad peregrinandum illis testimoniales literas concedere, sub quarum immunitate etiam signa non habentes, admitti debeant ubique elemosinas petitori.

De Succamerariorum salarijs.

Item de salarijs Camerariorum Terrestrium unam atque communem Terris omnibus constitutionem faciendam decrevimus et statuimus, ut in omnibus Terris Regni nostri Succamerarij Terrarum una cum Camerarijs ipsorum non plus quam trium marcarum arram seu notam pro graniciebus limitatis accipiant ubique.

De salis libera ductura, venditione, item de cistis salis abolitis.

Item crebris moti querelis subditorum nostrorum super caristia salis in Terris Majoris Poloniae et Cujaviae saepius contingentibus, tametsi certi vectores ad certa loca cum sale minuto ire, illudque in cistis oppidorum deponere consveverunt, tamen abolentes cistarum earundem depositoria, statuimus, ut vectores salis ubique sine arrestis et prohibitionibus sale deducto eant, illudque vel in cistis deponendo, vel non deponendo; aut in curribus ipsis tenendo, ubi eis videbitur faciendum diebus et horis consvetis justo pretio in civitatibus, oppidis atque villis vendant ementibus ubique, adeo libere, ut in nullis locis ad ponendum cogi possint, salvis tamen foralium solutionibus, poenam certam quatuordecim marcarum constituentibus ab illis, qui aut vecturam, aut venditionem ipsam prohibere niterentur, per Nos nostrosque Capitaneos exigendam.

De exactione Regali seu duorum grossorum, qualiter solvenda sit.

Item statuimus, ut moneta in Regno communis currens, videlicet mediorum grossorum in exactionibus duorum grossorum, quae a nonnullis Regalia ac *poradlne*, a nonnullis vero *podymne* dici consveverunt, recipiatur ubique, quorum licet quidditas ipsa nominis significet,

atque indicet solutionis consvetudinem, tamen cum intellexissemus in aliquibus locis introduci quasdam privatas consvetudines in exactionibus hujusmodi quod fortasse in aliquibus locis de laneo per fertonem in aliquibus vero praesertim in Halicien: Terra non absque praepudicio et gravamine subditorum nostrorum de qualibet agri parte tantum, quantum exactoribus placuit recipiebatur et solvebatur, idcirco tametsi certis Praedecessorum nostrorum privilegijs ac eorum et Regni statutis et consvetudinibus constitutum approbatumque fuerit, quod per duos grossos debeant solvi, tamen Nos specialiter propter succrescentes eos errores perimendos statuimus, quod exactiones ipsae duorum grossorum non confuse vel de domibus vel de agri partibus, sed de quolibet agri laneo seu manso integro per duos grossos moneta nostra Regia in Regno communiter recipi solita, sicque et non aliter solvi debeant in aevum in omnibus terris districtibus et locis terrarum nostrarum.

De libertatibus per exactores tenendis.

Item in exigendis caeteris exactionibus antiqvis, aut pro tempore laudatis, volumus et statuimus exactores, adeo rationabiles atque discretos esse, ut de hominibus causa quacunque praecedente a censibus annuis liberatis, interim donec libertas non videbitur expirata esse, actiones ipsas laudatas, laudandasque exigere non praesumant neque possint.

De libertate nobilibus et spiritualibus a teloneis et foralibus concessa. Item de indulto liquorum quorumlibet in villis propinandorum.

Item fit fortasse saepius quod Capitanei locorum, aut quia advenae aut quia novitij vel impossessionati existentes tanquam jurium et consvetudinum localium ignari novas introducant consvetudines, introitus statuentes et exigentes inconsvetos, et in nonnullis Capitaneatibus stringentes subditos nostros spirituales, saecularesque ad recipiendas in domos et tabernas cerevisias oppidorum nostrorum in Capitaneatibus consistentium, quo plurimum arcuari videtur libertas communis, unde necessario statuimus quod ubilibet locorum nova et inconsveta telonea foraliaque per Capitaneos aliosque dignitarios et officiales nostros a subditis nostris cujuscunque status et conditionis existentibus, praesertim vero a nobilibus ad fora non propter mercaturam, sed in privatis actionibus venientibus, ac etiam kmethonibus pecora et pecudes res quoque alias privatas cujuslibet generis domestica cura comparatas, ducentibus, videntibusque aut pro usu domestico ementibus exigi non debeant, prout praesenti statuto exigenda prohibemus. Et abusum illum quo ad recipiendas in villas de civitatibus et oppidis nostris cerevisias, quarum spirituales et saeculares subditi nostri, specialiter in Brestensi, Junivladislaviensi, et Radziejovien: Terris alijs quoque Terris et Districtibus compellantur,

269

266

270

tollimus et abolemus perpetuo decernentes, stantesque illos et alios ubique locorum in Regno nostro constitutos subditos nostros villarum dominos eorumque subditos in hac libertate conservandos, ut liceat cuique cerevisias et liquores alios undecunque recipere, sumere in villisque, et locis alijs ditionis eorum braxare et braxari facere ac undecunque maluerint, aut voluerint sumere, habere, propinare et uti, frui libere absque omni nostrae et Capitaneorum nostrorum prohibitionis arresti ac poenae formidine.

De locis Conventionum ante expeditionem bellicam praemittendarum.

Item quoniam convenimus simul cum universis subditis nostris, ut quamlibet expeditionem bellicam generalem, conventiones particulares in locis consuetis secundum consuetudines ex antiquo servatas praecederent, itaque statuimus, quod Nos Successoresque nostri quotiescunque expeditionem bellicam vellemus indicare seu velent necessitate quacunque exposcente, toties Conventiones particulares instituere debebimus et debent. Videlicet terrigenis Cracovien: Terrae in Proswowice, Sandecen: et Biecen: in Czychow, Sandomirien: in Nowemiasio, Majoris Poloniae et Wschoven: in Srzoda, Siradien: et Wielunen: Siradiae Lanciciae, Cujavien: et Bresten: in Brzeście, Dobrinen: in Ripin, Gostinen: et Sochacovien: in Ripin, Raven: in Rava, Lublinen: et Lucovien: in Urzandow, Chelmen: in Rubieszow, Belzen: in Busko, Premislien: in Moszczyska, Podoliae in Kamieniec, Sanocen: in Sanok, Leopoliem: in Wisnia, Halicien: in Trebowla ad consulendum necessitati tunc fortasse Nobis et Reipubl: Regni nostri imminenti.

De Iudice Terrestri in Terra mansuro.

Item cum nonnulli subditi nostri, aut domicilia propria, aut servitorum suorum officia Terris in alijs obtinentes, Judicatus Terrarum in quibus non resident occupare et officij ministeria negligere saepenumero viderentur, Nos super hoc consultationem habentes generalem cum Praelatis et Baronibus universis, decrevimus statuendum ut in singulis Terris Iudices Terrarum residere et justitiam petentibus ministrare per se et personaliter teneantur, alioquin si interim iudicij non praesentent, nec in Terra residerent extunc anno decurso Iudex novus per nobilitatem Terrae illius eligatur juxta consuetudinem antiquitus institutam.

271

De Palatinis pretia et mensuras rebus venalibus imposituris, item de fraternitatibus.

Item quemadmodum Rex Vladislaus Praecessor noster in Conventione Wartensi recensendo artis mechanicae homines, venditione rerum non ex aequo utentes legem desuper instituit singularem. Sic Nos scientes rationabiliter atque consulto, factam constitutionem illam decrevimus approbandam et ratificandam, ap-

probamusque et ratificamus. Statuentes, quod Palatini Terrarum in singulis Palatinatum suorum Terris adscitis sibi Capitaneis locorum et dignitarijs, quos commode habere poterint, singulis annis et certis diebus, tam frumentorum, quam pannorum, et aliarum rerum terrestrium, quae ad fora per kmethones ducuntur, et quae in Regno nostro inveniuntur, pretia atque mensuras indicere, instituere, moderari, et erigere debeant suam consuetudinem antiquam providendo ne circa easdem mensuras et pretia fraudes committantur. Quodque juxta illud mechanicorum Casimiri statutum fraternitates destruantur. Si tandem Palatinus ipse aut aliqui Palatinorum nostrorum illius antiqui atque praesentis statuti nostri executionem facere postpauerint et in videndis instituendisque eisdem pretijs negligentes, aut incurabiles fuerint, seu aliquis eorum fuerit; extunc talis negligens Palatinus, pro poena suae hujusmodi negligentiae, equum ambulatorem Nobis dare debeat et tenebitur toties quoties negligentiam in praemissis commiserit, eadem poena per Nos Successoresque nostros puniendus.

De civibus et plebeis oppida, et bona alla in iure Terrestri non possessuris.

Item statuimus, quod civibus et plebeis undecunque existentibus, oppida, villas, praedia, et bona alia juri Terrestri supposita emere, tenere possidereque perpetuo vel obligatorio modo liceat minime ex eo, quod in protectionibus bellicis et aciebus ordinatis, locum inter nobiles competentem non haberent, quodque illi bonis talibus habitis, occasiones quaerere consueverunt a bellicis expeditionibus se liberandi, et insuper cum ipsi domos et bona in jure civili sita nobilibus non admittant resignari, eadem vicissitudine, et illis bonorum in jure Terrestri sitorum exemptio videtur esse non ab re prohibenda, quodque Iudices Terrestres et Castrenses inscriptiones hujusmodi, in favorem et personas civium fiendas non admittant admittenturque non praesumant, etsi secus fecerint, extunc quidquid in scriptum fuerit contra constitutionem huiusmodi, id irritum nullum et inane decernatur esse, statuto praesenti mediante. Et quod illi qui jam in effectu bona terrestria usurparunt illa hinc ad decursum temporis, quo commode istud facere possent vendere teneantur, sub poenis quas ex illis secus facientibus, juxta arbitrium nostrum, et Palatini Terrae, in quo illa consistunt, exacturi sumus irremissibiliter.

272

De armis ad domum iudicij non inferendis.

Post praemissa instituta nostra cum revolvissimus puncta statutorum in Conventione proxime praeterita, in qua primum post felicem Coronationem nostram, has cum subditis nostris consultationes habuimus publicitus per Nos sancitorum, quam tunc temporaliter facta ad praesentem dietam reservata erant interpretanda, id-

circo de consensu et consultatione communi amputatis alijs quae videbantur aut onerosa multum, aut superstitiosa, aut aequitati non quadrantia de illis infrascriptas duntaxat constitutiones approbavimus et approbamus perpetuo duraturas. Imprimis cum Judiciorum Tribunalia ad dicendam et discernendam justitiam, dexterae excelsi propriissime divinitus fuerint reservata, Nobis tandem mortalibus qui vices gerimus solitudinum mundanarum commodata, Nos cum in nomine justitiae veritatem, in veritate Deum implicite credamus, statuimus ut ob reverentiam justitiae et tribunalis, quod ex parte Dei judicantibus conceditur nobis, nullus in domum ubi Iudicia Terrestria celebrantur, cum armis quibuscunque vel communibus, vel excogitatis intrare audeat, secus faciens poena quatuordecem marcarum per iudicium puniatur, cujus arma Capitaneus vel Burgrabius Terrestris, si iudicio praesidet, aut officiales iudicio praesidentes pro se tollent. Et si quis ausu temerario in iudicio gladium vel cultrum vel lanceam exerere vibrareque praesumeret, sexaginta marcas pecuniarum in terra currentium iudicio exolvat. Quodsi aliquem vulneraverit, collo privetur. Talesque violatores per loci Capitaneum vel Burgrabium detineantur in carcerandi, usque ad satisfactionem et solutionem poenarum supra scriptarum.

De termino citationum ad Conventionem Generalem praefigendo.

Item quoniam nonnunquam terminus citationum confuse scribebatur, ad Conventionem Generalem, aut certa diei specificatione non limitatus, aut prolixius assignatus, unde contingebat pauperes nonnullos non expectato termino defectu expensarum, de Conventione recedere, sicque in justitia negligi, hac igitur ratione moti statuimus, quod citatio ex parte actoris super reum, qui debet fore ad Conventionem Generalem contineat semper terminum seu diem sextam, post ingressum nostrum ad locum Conventionis, sub poena trium marcarum, et hoc propterea, ut lapsa una septimana post ingressum nostrum in locum Conventionis, condemnationes et iudicia exercentur, ne expensis et impensis magnis homines graventur.

273

De domus violatione et in ea violenta vulneratione ac homicidio et complicitibus eius.

Item cum frequentius violatores domorum suas defensiones iudicarias deponerent in multitudine cautelarum, per quas nonnunquam rei absolventur ab instantijs actorum, unde statuimus, quod si quis intrans domum alicujus manu violenta hospitem aut uxorem vel filium aut familiarem ipsius interfecerit, aut etiam enormiter vulneraverit; talis si citatus fuerit ad iudicium Castren: non aliter convinci debeat, nisi testibus octodecem nominatis, e quibus electis sex nobilibus bonae famae, et possessionatis illius districtus, aut Palatinatus, ubi tale crimen fuerit

patratum, actor cum eisdem praestito juramento actionem obtinebit, et reus uti violator securitatis domesticae vita privabitur. Complices vero antiquam retineant constitutionis jurisdictionem animadversionemque. Cum tamen quispiam personam justam et innocentem pro tali aut alio crimine calumniose inculpaverit, exindeque cum inculpatus deputaretur turri recludendus, in tali casu Nos et Successores nostri, priusquam ad deputandum turrim festinaverimus, scrutabimur et scrutabuntur scireque debebimus et debent veram positionem rei culpae et calumniatoris, quo in calumnia comperto, Nos ut talem ex debito auctoritatis nostrae infamem pronunciamus et insuper in facie cauterisari demandabimus. Sed si violator ipse patrato crimine de Regno fugierit, ipso facto infamis pronuncietur et habeatur, in collo, si ejus copia esset puniendus.

De eo qui inculpatur quod familiaris suus domum violaverit.

Cum vero aliquis homo cujuscunque status existens inculpatus fuerit, quod ipsius familiaris, violentiam domesticam fecerit ut superius descriptum est, hospitem, uxorem, filios, aut familiarem ejus invadens manu violenta, in domo eadem interfecerit, in eo casu illum violatorem, apud suum dominum per nobiles et ministerialem arrestari decernimus, cum quo taliter inculpato dominus suus jus ministrare tenebitur, etsi personaliter requisitus, jus ministrare denegaverit, extunc pro eo respondebit dominus secundum juris ordinem.

De servitore violatore domus fugiente, quid cum domino faciendum.

274

Talis autem familiaris si aufugerit, per nobilesque arrestatus non fuerit, dominus suus pro ipso citatus, non aliter se innoxium de crimine tali expurgabit, nisi juramento per eum cum duobus testibus similiter praestito quod videlicet nec suo scitu, nec consensu, neque mandato, aut voluntate crimen id est commissum, neque dedit aufugiendi occasionem servitori.

De homicidio et capite nobilium solvendis.

Item de homicidio nobilium casuali, quod a diversis diversimode refertur casualiter perpetratum statuimus, quod homicidae hujusmodi pro capite solvant centum viginti marcas, et per unum annum et sex septimanas convicti jure in turrim deputentur, nec turris correctionem ullo modo evadant, etiamsi cum amicis occisi concordiam inierint. Si vero talis homicida timens turris correctionem de Regno fugierit, sive possessionatus sive non, infamis ipso facto perpetuo pronuncietur per ministeriales proclamationibus mediantibus publicandus.

De homicidio in sui defensione casu praesertim in via commisso.

Verum quia contingit saepenumero casualem

homicidam minime esse reum homicidij, quod vim vi repellendo evenit, idcirco specialiter declaramus statuentes ad eos ipsos nobiles et nobilium homicidas, ut cum quispiam aut viam, aut transitum alterius obsidens occideretur, per illum cujus transitum aut voluit praepedire, aut euntem molestare, in tali homicidio citato homicidae sex testes sufficiant se expurganti et convicti non plus quam sexaginta marcas, communes pro capite solvet sine turri.

De homicidio in via publica facto.

Sed idem aut viae, aut transitus publici praepeditor alium sub tutela communis securitatis viae euntem temere interficiens centum et viginti marcas communiter currentes exolvat punitionemque turris sustinebit ordine practacto.

De homicidio in defensione bonorum, aut subditorum commissio.

Practerea tametsi de casuali homicida in itinere se tuenti, sic ut superius definivimus, tamen insuper statuimus, ut alius homicida casualis aut bona, aut suos defendens, si committet homicidium licet non voluntarium, nihilominus victus jure, poena carceris non perpassa, centum et viginti marcas communes pro occiso exolvere teneatur.

De raptu virginum ac faeminarum.

Item de raptoribus virginum et faeminarum ita volumus esse observandum, ut talis raptor virginis, si jure convictus fuerit secundum antiquiora statuta honore, et faemina rapti se consentiens bonis omnibus haereditarijs et quibuscunque alijs ipsam concernentibus rebus, doteque perpetua priventur perpetuis temporibus.

De granicierum limitatione inter bona Regalia, et terrigenarum et numero Commissariorum, ac modo judicandi.

Item cum inter bona nostra inscripta, vel non inscripta, et subditorum nostrorum, nostris concinantium, nonnunquam injuriae et oppressiones nonnunquam etiam caedes committerentur, et fierent difficultates plurimae, pro limitatione granicierum, nostris aut Capitaneis, aut tenentarijs sub umbra Regij nominis nostri, bonorumque nostrorum, subditosque nostros vicinos, aut opprimentibus, aut limitationem granicierum difficultantibus, idcirco ex innata Nobis virtute et benignitate Regia, propter omnem subditorum nostrorum justitiam et pacem ex hac parte habendam promittimus, quod quibuslibet subditis nostris, cujuslibet status et conditionis existentibus, granicies ex parte bonorum nostrorum petentibus, Nos et Successores nostri, secundum statuta antiqua ad discernendum aequitatem, Commissarios illius Terrae et Districtus, in quibus bona limitanda consistunt, videlicet duos dignitarios, et duos officiales, cum suo Camerario deputabimus, et deputare debeant Capitaneoque seu tenentario bonorum nostrorum mandabimus,

ut pariter cum Commissarijs eidem ad limitandum bona eadem exeat, descendat et Commissarios expensis provideat, in his praesertim bonis quae habemus libera, et sine obligatione, qui quidem Commissarij, postquam exiverint, debent ex utraque parte senes advocare, quorum recepto juramento juxta eorum recognitionem et testimonium ad limitationem procedent. Si vero ipsi senes discordes fuerint, extunc Commissarij juxta suas conscientias concordando discordias senum, secundum eorum privatum judicium, limitationem ipsam prosequantur, et terminabunt, ubi autem et ipsi Commissarij discordarent, volumus quod ex ipsorum sententia, qui plures in voce concordes fuerint, auctoritas atque potestas dependeat diffinita terminandi nostrorum officialium, videlicet Capitanei, aut tenentarij contradictione non obstante.

De kmethone fugitivo repetendo tam de Regalibus, quam non Regalibus bonis.

Item licet jam de judicij kmethonum missis vel non missis non nihil definivimus, tamen quod restat definiendum de fugitivis, idcirco decernimus et statuimus, quod si kmetho cujuspiam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium fugae medio se transtulerit in bona alterius, sive etiam nostra, Nos per eum, aut ejus nomine, cujus kmetho erat requisiti existentes, demandaturi sumus Capitaneo, Burgrabio, aut tenentario nostro ad quemcunque kmetho profugit kmethonem restitui jure mediante, quod quidem ministrari volumus Polonicum secundum statuta antiquiora et sub poenis in eis ad id descriptis, eo quoque modo ac secundum idem statutum sub poenisque illis statuti antiqui quilibet Regni indigena, cujuscunque status et conditionis existat profugum kmethonem restituere teneatur, videlicet jure Polonico locato, et secundum illud eum ipsum kmethonem repetenti justitiam ministrando sine dilatione. Etsi pro eodem profugo kmethone citari contingat quempiam nobilem, aut alium subditum nostrum cujuscunque praeeminentiae, dignitatis, conditionisque existentem, citatus in primo termino tanquam peremptorio responsurus est, cui dilationis induciae aliter concedi non debeant, nisi quis ejus nomine vera infirmitate exposcente eas concedi flagitaret. Cui etiam legi aut juri Capitanei nostri subjacebunt, sic quod jure convicti uti terrigenae poenis in antiquis statutis contentis pro kmethone profugo puniantur, non mittendi a loco judicij, nisi prius pro poenis cautionem praestiterint seu statuerint sufficientem, si vero a judicio recesserint poenis non fidejussis decernimus poena majori nostra quatuordecim marcarum puniendo, ad cujus solutionem Nos illum compellemus impendendam similiter cum kmethonis restitutione realiter facienda.

De non transponendis graniciebus per Succamerarios.

Item plerumque cum Succamerarij, aut eorum Camerarij transponerent limitationes granicierum,

aut favore quodam, aut partis unius necessitate accedente, altera nolente, exindeque cum negligentia per dilationes favorabiles in limitatione granicierum committeretur, Nos huic errori providentes decrevimus et decernimus perpetuo observantes, quod amodo Succamerarij omnium Terrarum totius Regni, terminos graniciales, per semetipsos pro suo velle, contra jurisdictionem transponere non debeant, sub poenis quatuordecim marcarum, in eo qui aliter fecerit per Nos exigendis, excepto quod esset consensus partium aut causa interveniret legitima.

De dotibus non inscriptis.

Item praecidere cupientes consuetudinem non quidem communem sed in certis Terris servatam pro dotibus faeminarum non inscriptis, quas dotes nonnullae personae post faeminas steriles jure expetebant per testium tantummodo probationem, nulla inscriptione alias reformatione in actis habita, statuimus, quod a modo dos quae non fuerit coram Nobis aut in libris seu actis inscripta, alias juxta juris ordinem transponi non debeat et antiqua consuetudo reformata nullius debet esse valoris et momenti.

De inhibitionibus ecclesiasticis ad iudicia.

Item viam discordiarum inter statum spiritualem et saecularem, occasione inhibitionum quas Praelati spirituales in jure saeculari ipsorum literis et interdictis facere consueverunt, ferventius exortarum exoriendarumque praeccludere volentes. Statuimus quod deinceps Praelati spirituales a talibus inhibitionibus faciendis penitus cessent, praesertim pro causis ad jus saeculare pertinentibus, exceptis causis juri spirituali subjectis de quibus se nullatenus Judicium Terrestre debeat ingerere.

De stipendiarijs damna aut injurias committentibus.

Item considerantes damna plurima, oppressiones, rapinas et violentias in bonis et hominibus spiritualium subditorum nostrorum per stipendiarios committi solita atque solitas nulla satisfactione aut mulcta compensari; statuimus, ut in futurum stipendiarij undecunque et quacunque necessitate in Regno nostro pro tempore existentes pro singulis damnis, oppressionibus et rapinis, violentijs et injurijs satisfactionem debeant omnimodam: per Capitaneos aut locorum aut gentium cum ea quae decet severitate ad impendendam eam compellendi, et insuper magistri comitivarum de quibus tales reperientur oppressores tanquam criminum conscij ac illorum duces improvidi in turrim dejiciantur usque ad plenariam satisfactionem detinendi.

De solutione ab intromissionibus bonorum abrogata.

Item quoniam subditis nostris vel ex re judiciali sive alias praelucris uti judicialiter dici consuevit, sive per emptionem aut resignationem, donationem, devolutionem, aut alia ratione bonorum intromissiones petentibus, officiales no-

stri videlicet locorum Capitanei, Vice-Capitanei et Burgrabij eorundem consueverant a qualibet intromissione solutiones-extorsisse insolitas, cum videlicet pro parte Capitanei decem marcae et pro parte Burgrabij una sexagena Polonicae per eos qui intromittebantur jussis Capitaneorum dari consueverant, Nos cernen: istud introductum esse sine jure, quinimo cum gravamine subditorum nostrorum, decrevimus et statuimus, ut cum Capitanei nostri salarijs et introitibus specialibus ac in certis locis de mensa nostra provenitibus Regalibus fuerint prout sunt dotati ubique, quorum ratione sicut ad exercenda debita eis annexa officia, sic ad omne justitiae ministerium eis incumbens et dandas eas intromissiones obligantur, propter quod a modo in perpetuum praedicti Capitanei et Burgrabij eorundem in universis Regni nostri Terris pro tempore existentes, aut praedicta, aut alia forsitan exquisita vel exquirenda salaria vel munera pro intromissionibus a subditis nostris exigere, extorquereque non debeant, a quorum solutione eosdem subditos nostros in hac parte, de speciali nostrae benignitatis gratia absolvimus eviterne, tamen volumus ut circa easdem intromissiones debita ministerialium salaria solvantur juxta solitum.

De praescriptione librorum Terrestrialium et Castrensiarum.

Item dubia declarantes super librorum Terrestrialium et Castrensiarum praescriptionibus, statuimus quod libri Terrestres praescriptiones habeant sicut statuta antiquiora Casimiri Magni et aliorum successorum ejus continent, de Castri vero praescriptione meminimus satis supra dictum circa tribunalia Capitaneorum loca, sic ut ibidem specialiter colligitur, quamdiu inscriptiones in eis contentae sunt valiturae.

De servandis libris Capitaneorum.

Verum quia in nonnullis Capitaneorum nostrorum locis et praesertim Capitaneatu Majoris Poloniae consueverunt inferri libris Castrensiarum inscriptiones indifferentes universae, hi quoque eorum libri per successores Capitaneorum in privata loca deferri, quibus subditi nostri inscriptiones et literas non nisi cum difficultatibus et nonnunquam grandi pretio coguntur extrahere, nonnunquam vero propter nimiam depactionem non obtinere, quod fit contra omnem juris, justitiae et aequitatis communis rationem. Quapropter statuimus perpetuo observandum, ut in omnibus Terris Regni nostri vacationibus Capitaneatum generalium et particularium per cessum aut decessum contingentibus libri Castrensiarum eorundem cedentium et decedentium Capitaneorum de locis Capitaneatum vacantium quocunque minime deferantur; sed sub testimonio reponantur in praetorijs in cistis ad hoc specialiter deputandis, quae clavibus Palatini et Judicis Terrae illius in qua Capitaneatus consistit et Capitanei pro tempore existentis claudi et aperiri debeant.

De antiquis Capitanei libris.

Quoniam autem ad hanc ipsam constitutionem movebatur jacturis et injurijs subditis nostris ob carentiam librorum eorundem annis superioribus contingentibus, idcirco licet omnis constitutio communiter ad futura referatur, tamen quia libri Capitaneorum praeteritorum continent ut verisimile est non privatam successorum Capitaneorum illorum praeteritorum sed communem necessitatem, idcirco promittimus, volumus et debemus omnes et singulos libros etiam vetustiores quoscunque ubicunque apud quoslibet subditos nostros spirituales et saeculares cujuscunque status et conditionis existentes intellexerimus esse, auctoritate Regia nostra rehabere mandareque et efficere eosdem praeteritorum Capitaneorum tam cedentium et decedentium, quam aliorum viventium reponi in cista vel cistis specialibus, quae cum eisdem libris in praetorijs civitatum observantur fideliter, sub tribus clavibus praedictis videlicet Palatini et Judicis Terrae illius ac Capitanei pro tempore existentis. Quae tandem cistae et libri aperiantur in terminis Judiciorum Terrestrium et literae ex eisdem sub titulo et sigillo ejusdem pro tempore existentis Capitanei quibuslibet petentibus extradantur. Pro quibus praeteritorum Capitaneorum literis ipsi pro tempore existentes non aliter salaria praesumant exigere, quam exigere consueverunt pro actibus coram eis gestis atque scriptis, id autem et quidquid praesentibus et alijs his insertis et non insertis Regni statutis sancitum est, ad futuros volumus eventus referri.

ALBERTUS REX CONFIRMATIONEM SUAM SCRIPSIT ET PRIVILEGIUM DEDIT SUPER OMNIBUS INSTITUTIS REGNI.

Postremo vero ut praesentium institutorum confirmationisque et successionis nostrorum series robur obtineat perpetuae firmitatis, nec ullo unquam tempore per Nos et Successores nostros in aliqua sui parte quomodolibet valeat in irritum revocari, tam praesentia instituta nostra confirmationem antiquorum continentia, quam alia antiquiora universa per divos olim Praedecessores nostros Reges Poloniae successive edita praesentibus etiam non inserta in omnibus passibus, capitulis, articulis, punctis et clausulis approbamus nostra praesentia decernere: perpetuo valitura, illa vero universa antiquiora confirmantes, roborantes et ratificantes quatenus perennis firmitatis vim obtineant. Super quibus tam novis praesentibus nostris, quam antiquioribus confirmatis, nostras privilegiales praesentes literas pendentes retrorsum a dorso sigilli nostri munimine roboratas, de certa scientia nostra dedimus et concessimus per manus Reverendi in Christo Patris Domini Creslai de Kurozwanki Episcopi Vladislaviensis et Cancellarij Regni nostri Nobis sincere dilecti Petricoviae in Conventione Generali, anno Domini millesimo quadringen-

tesimo nonagesimo sexto, feria quarta proxima post festum Sancti Urbani per Nos et universos Praelatos, Barones, regnicolas et Terrarum Nuntios celebrata, Illustrissimo Principe Reverendissimisque et Reverendis in Christo patribus Dominis:

Friderico miseratione Divina Sacrosanctae Romanae Ecclesiae tituli Sanctae Luciae in septem folijs Presbytero Cardinali, Archiepiscopo Gnesnensi et Primate, ac Episcopo Cracoviensi; Andrea Roza Archiepiscopo Leopoliensi, Praefato Creslao Vladislaviensi et Regni nostri Cancellario, Uricle Posnaniensi, Petro Plocensi et Nicolao Premisliensi, Ecclesiarum Episcopis, ac Magnificis Generosis strenuis spectabilibus, nobilibus et venerabilibus Spitkone de Jaroslaw Cracovien: Joanne Swidwa Posnaniensi: Sandivogio Czarnkowski Calissiensis, Ambrosio Pampowski Siradien: Mathia de Sluzow Bresten: Joanne de Pilcza Russiae Generali, Nicolao de Ostrow Lublnensi, Nicolao de Tęczyn Belzen: Palatinis Joanne de Ostrog Posnaniensi: Petro de Kurozwanki Sandomirien: et Thesaurario Regni nostri, Raphaelo de Lesno Gnesnen: et Mareschalco Curiae nostrae, Andrea de Tęczyn Voynicien: Nicolao de Strzezow Vislicien: Petro Miskowski Rospieren: Dobrogostio de Ostrog Miedzzyrecen: Stanislawo de Chodecz Leopoliensi: et Capitaneo Camerario Nicolao Bardzina de Ludbranz Landen: Stanislawo Kmita de Visnice Premisliensi: Andrea de Lubien Bresten: Andrea de Kuthno Gostinen: Joanne de Olesko Malogostien: Jacobo de Drzewica Zarnovien: Narcisso de Wroczykowice Polanecen: Joanne Jarand de Brudow Spicimirien: Nicolao de Kościelec Crusvicien: Nicolao de Kretkow Ripinen: Nicolao de Crosnia Plocen: Niwogniewo de Krisko Visnen: Jamissio de Czunradecz Raciąszyen. Castellanis. Petro Kmita de Visnice Mareschalco Regni nostri ac Scepusion: et Sandecen: Capitaneo, Joanne de Tarnow Cracovien: Petro Spoth Sandomirien: Vexilliferis. Joanne de Lassotki Posnaniensi: Gaspare de Lesno Calissien: Vincentio de Charchlupia Siradien: Janussio Roza de Boryschowice Chelmen: et Curiae nostrae, Joanne Woźnicki Lancicien: Jacobo de Laszewo Plocen: Succamerarijs. Joanne de creterum Doctore Praeposito Posnaniensi: Bernardo Canonico Crac: de Ludbranz, Mathia de Drzewica Cantore Sandomirien: Secretarijs. Petro de Opalenica Posnaniensi: Joanne de Zakrzow Cracovien: Martino de Skotniki Sandomirien: Petro de Bachezyce Siradien: Judicibus. Petro de Pacanow Subdapifero Cracovien: Mathia de Glowacowice Zuppario Cracovien: et Capitaneo, Jaroslao de Lasko Tribuno Siradien: Alexandro de Tarnow, Joanne Zaręba de Kalinowa, Joanne de Chodecz Capitaneo Halicien: Jacobo et Christophoro de Szydłowic, Dunin de Ujazd, Jacobo de Bothurzyn,

Militibus et Curien: nostris, tunc praefatis, Praelatis spiritualibus et saecularibus ac Baronibus ratione dignitatum officiorumque quae obtinent consilij praeeptis atque decretis Regni nostri Nobis illud feliciter regentibus praesidentibus, reliquis vero suprascriptis et alijs fide dignis regnicolis subditis nostris publicitus in Conventione praesenti pro communi Reipublicae bono aequitateque decernere: agentibus interessentibusque praemissis omnibus.

PROCERES LITHVANIAE

CONFIRMANT

VETEREM SOCIETATEM MAGNI DUCATUS ADJUNCTI
REGNO POLONIAE.

In Nomine Domini, Amen.

Ne gesta aetatis nostrae tempus et vetustas aboleret, inventum est ut ad memoriam posteritatis literarum apicibus, et testium annotatione deducantur. Proinde Nos Praelati, Barones, et universitas terrigenarum Magni Ducatus Lithvaniae, videlicet Albertus Vilnen: Joannes Luceorien: Martinus Mednicen: Ecclesiarum Dei gratia Episcopi, Nicolaus Radziwilowicz Palatinus Vilnen: et Magni Ducatus Cancellarius, Dux Alexander Juřgiewicz de Holschani Castellanus Vilnen: et Capitaneus Grodnen: Joannes Jurgiewicz de Zabrzeże Palatinus Trocen: ac Supremus Magni Ducatus Mareschalculus, Stanislaus Janowicz Castellanus Trocensis et Capitaneus Terrae Samogitarum, Gregorius Paczowicz Polocen: Gregorius Oscikowicz Curiae Mareschalculus, et in Merecz, Nicolaus Nicolai Radziwilowicz Pincerna Ducalis et in Bielsko, Jacobus Dowoynowicz, Drohien: Stanislaus Potraskowicz Liden: Joannes Lithaor Nowogrodin: Stanislaus Michael Potkowicz: Bresten: Albertus Janowicz Vexillifer et Cavnen, Nekrasch Wołkowicz in Belzica, Petrus Radziwilowicz Succamerarius et in Eixiski Niemira Grzymalicz Melnicen: Nicolaus Jundylowicz in Dubicza, Georgius Montontowicz, Alexander Motigordowicz Capitanei Mareschalci et Tenutarij. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis, quomodo licet uniones et foedera inter haec Dominia videlicet Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lithvaniae Terrasque eisdem subjectas a temporibus longe retroactis sub Rege Poloniae Vladislao alias Jagello, et sub Magno Duce Lithvaniae Alexandro alias Vitowdo inita et constituta hucusque inviolate servantur. Postquam vero Serenissimi Principes Domini nostri gratiosissimi super ipsa dominia, in Regem Poloniae Serenissimus Dominus Joannes Albertus, in Magnum vero Ducem Lithvaniae Serenissimus Dominus Alexander, Domini nostri gratiosissimi Divina dispositione assumpti sunt, placuit Praelatis, Baronibus, et Nobilibus Regni Poloniae Fratribus nostris, similiter ipsi Nobiles jam defacto fecerunt, et per nostras novas literas inscriptiones antecessorum nostrorum super hujusmodi foederibus confirmarem, quarum quidem literarum verbum de verbo tenor sequitur et est talis.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Sator rerum omnium, cujus oculus penetrat universa et scientia nunquam extingvitur in rebus humanis, quas oblivionis caducis momenti constat subjacere, ut memoria earum remaneat, apices literarum,

alti consilij providentia ordinavit, quarum praesidio rerum ordinationes pacta et tractatus conservantur. Proinde Nos Monivitus Palatinus Vilnen: Javinis Palatinus Trocen: Mingal Vilnen: Sungal Trocen: Castellani, Nienir, Ostyk, Butrim, Golognith, Nicolaus Bielim: Corejowa, Wisygyert, Petrus Montigerd, Nicolaus Tawtigerd, Joannes Gastowdi Wolezko Culva Bussowdus Jadath Ralo, Joannes Rimowidowicz Ginenth, Konczewicz Doxa, Nicolaus Bieinar Volsko Kochutowicz, Jacobus Mingel Voyssnar Virkolowicz, Gregorius Sangaw Saka Naczko, Verbunt, Monstywild, Stanislaus Wyszygin, Voyszyn Damenkowicz, Monstold, Andreas de Uknetowicz, Munimunt de Sesnikowic, Rodwil, Koczanus, Mieczuch, Gerdud, Cuppa, Woydzilo Koszyłowic, Koczanus Sukowic, Joannes Eywild, Stanislaus Buthowthowic, Surgutes de Reszynki etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris, quia Serenissimorum Principum, Dominorum Vladislai Regis Poloniae etc. et Alexandri alias Vitowdi Magni Ducis Lithvaniae Dominorum nostrorum gratiosissimorum concessione et indulto, arma quibus tui insolitum fuit nobis, contraria consuetudine obsistentes, ad insigniendum nominis nobilitatis nostrae titulum a Baronibus Nobilibus et Proceribus suis ordine geniturae contraxerunt recipimus, et ad gratias, libertates et immunitates privilegia, exemptiones et multa alia beneficia et praerogativas quae nobis per dictos Dominos gratiosos Vladislau Regem Poloniae, et Alexandrum Magnum Ducem Lithvaniae munifica sunt concessa largitione, et literarum patrocinio munita, interventu ipsorum et studio promoti extitimus et proveci, promiseruntque suis patentibus literis adhuc qua poterint diligentia bonum commodum et profectum status nostri et honoris ubilibet promovere, et nunquam in adversitatibus nostris et necessitatibus nos deserere, sed semper contra omnium inimicorum nostrorum insidias et insultus auxiliis, consiliis et favoribus suis prosequi et juvare, horum intuitu volentes tot beneficiorum merita compensare et ipsis dignas vices pro eis impendere, ne disparitatis in nobis aut ingratitude contagia et inaequalitas literarum cernerentur vindicare, sed ut semper unanimis identitas inter nos remaneat et voluntas animorum, sicut idem cultus et religio fidei observatur, universaliter universi et singulariter singuli nostris nominibus ac vice omnium nobilium Bojarorum, Procerum et incolarum Terrarum Lithvaniae bona fide in verbo nostro constanti et fideli omni dolo, fraude, et colore amputatis et remotis promittimus, pollicemur, vovemus, spondemus et juramenti nostri ministerio strictius nos obligamus, nunquam Praefatos Praelatos, Barones, Nobiles et Proceres Regni, et ipsum Regnum Poloniae praedictum in omnibus eorum necessitatibus et adversitatibus deserere, sed semper ipsis contra omnium inimicorum horum insidias et insultus consilia, auxi-

lia et favores fideliter ministrare, et nulli lites, bella aut guerras praeter scitum et voluntatem et consensum, consilium et requisitionem ipsorum et eorum successorum, indicere, facere vel movere, praefatosque Dominos Vladislaum Regem Poloniae, et Alexandrum, alias Witowdum Magnum Ducem Lithvaniae, et eorum Successores Reges Poloniae et Duces Magnos Lithvaniae nullis temporibus deserere quoquo modo, sed semper ipsis sine dolo et fraude fideliter adhaerere omni consilio, auxilio et favore. Praeterea promittimus, prout supra, quod defuncto praefato Domino Witowdo Magno Duce Lithvaniae nunquam eligemus, assumemus et recipiemus in Magnum Ducem Lithvaniae vel Dominum, nisi quem praefatus Dominus Vladislaus Rex si vita potietur longiore vel ejus successores et Praelati, Barones, Nobiles et Proceres Regni Poloniae duxerint eligendum, statuendum vel locandum, et vice versa Praelati, Barones et Nobiles Regni Poloniae Rege praefato, quod absit sine liberis et successoribus legitimis decedente, sine scitu et consilio Illustris Domini Alexandri alias Witowdi Magni Ducis Lithvaniae si superstes remanserit, et nostro eligere non debent. Ut autem corroborationis et cautelae uberius omnia praemissa accipiant firmitatem, fecimus sigillorum nostrorum munimine roborari. Actum in oppido Hrodlo circa flumen Bug in Parlamento seu Congregatione Generali die secunda mensis octobris, anno D. 1413.

Proinde Nos Praelati, Barones, Proceres et Nobiles Magni Ducatus Lithvaniae praefati, praevidentes quia vetustate temporum multa in ambiguitatem veniunt, per quam ne quid incommodi eveniat, dignum censuimus providere, volentes igitur ne articulus de Electione Serenissimorum Dominorum nostrorum tam Regis Poloniae, quam Magni Ducis Lithvaniae in praesentis literis brevitate verborum contextus aliquid ambiguitatis imposterum inducat, cupientesque praefatos, Praelatos, Barones, et Proceres Regni Poloniae in ipso articulo Electionis, pares Nobis ut dictum est efficere, adijcetes

declaramus, quod defuncto Magno duce Lithvaniae sine scitu et consilio Praelatorum et Baronum Procerum et Nobilium Regni Poloniae fratrum nostrorum ad electionem Magni Ducis novi non procedemus, sed cum ipsis pariter si vocati tempore congruo venire voluerint Magnum Ducem et Dominum eligemus. Pariformiter defuncto Rege Poloniae, praefati Praelati et Barones Regni Poloniae sine scitu et consilio Praelatorum et Baronum Magni Ducatus Lithvaniae ad Electionem novi Regis non procedant, sed pariter cum Praelatis et Baronibus Magni Ducatus Lithvaniae si vocati tempore congruo voluerint Regem et Dominum eligent, quibus ita ut praemittitur stantibus et in posterum observandis de certa scientia omnium aliorum Praelatorum, Baronum, Procerum et Nobilium Magni Ducatus Lithvaniae Fratrum nostrorum inscriptionem praesertim praedecessorum nostrorum suscipimus, ratificamus, et confirmamus per praesentes, obligantes se nostris nominibus ac vice omnium Praelatorum, Baronum, Procerum et Nobilium Magni Ducatus Lithvaniae bona fide in verbo nostro constanti et fideli, omni dolo fraude et colore remotis, promittimusque, pollicemur ac vovemus, et nostri juramenti praestiti onere et ministerio strictius nos obligamus, ipsam praesertim inscriptionem cum reformatione et declaratione articuli de Electione Serenissimorum Dominorum nostrorum ut praemittitur in omnibus suis articulis, clausulis, punctis et sententijs firmatum tenere perpetuoque et inviolabiliter observare, et si quae aliae singulares inscriptiones inter nos, Praelatos et Barones Magni Ducatus Lithvaniae, ac Praelatos et Barones Regni Poloniae forent, quae communem utrinque honestatem laederent, quas antecessores nostri non tenuerint, tales nos quoque non recipiemus neque tenebimus, ut autem omnia praemissa perpetuae firmitatis robur obtineant praesentibus literis sigilla nostra subappendi jussimus. Datum Vilnae in Conventione Generali, quarta et 20 mensis Julij, in vigilia S. Iacobi Apostoli anno D. 1499.

Finit Ioannes Albertus.

ALEXANDER.

285

ALEXANDER REX

UNIT LITHUANIAM REGNO.

In Nomine Domini, Amen.

Optimorum Regum et Principum praecipuum munus esse solet, fulcire titubantia, recreare afflicta, sedare tumultuosa, et cuncta redigere ad unionem quandam et tranquillitatem: concordia enim parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. Inter humana etenim mala, noxius aversiusque discordia mortalibus est nullum. Tanto tamen hominum nostrorum ac divinorum discussu segregatio pejor execratorque est, quanto magis caeteras feras illas et sangvinarias nationes, orthodoxae fidei immanissimos hostes, tot contentionibus, tot proelijs, tanto labore, tanto etiam periculo, a nostris jugulis, a nostris cervicibus, a templis et altaribus propulsare sagimus. Ideoque exploratum compertumque habentes unionem inclyti Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lithvaniae, non solum Nobis utilem, verum etiam summopere necessariam; unionis autem ipsius, quae maxime in Regnis Dominijque quaeritur, congruentior causa est unus quam multi. Quocirca ille etiam rerum naturae sagacissimus interpres, ubi diutissimam, optimam, praestantissimamque regendae ac gubernandae universitatis rationem quaesierat, sic Homericis tandem verbis exclamat: Rex unus sit, egregie insinuans, cuncta alia facile uniri posse, si diversarum gentium duntaxat Rex unus fuerit. Hoc enim pacto diversae nationes, diversa dominia, diversae conditionis status, invicem mutuo bene sentire, ad communemque juri congruentionem, in unum quoddam et individuum corpus, facillime reduci posse. Proinde Nos Alexander, Magnus Dux Lithvaniae, Samogitiae, Russiae, Kijoviae, etc. Dominus et Haeres, Divina fovente gratia, matura consideratione praeterita tempora metientes, quando sub divo felicis recordationis Casimiro Genitore nostro, inclytum Poloniae Regnum cum Magno Ducatu Lithvaniae fuisset adunatum, clare experientia vidimus utrumque Dominium, sub felici hujusmodi unione, et tranquilla pace floruisse, et secunda prosperitate administrata fuisse, nomenque suum usque ad externas mundi nationes circumtulisse, adeo quidem, ut non mo-

do vicinis Christianae Reipublicae inimicis, sed longissimo quoque intervallo avulsis formidabilis terrorique fuerit. Ideoque matura deliberatione cum Praelatis, Ducibus, Baronibus nostris super hoc praehabita, cognovimus adunationem praefati Regni Poloniae, cum Magno Ducatu Lithvaniae, non solum utilem, sed et necessariam quoque pro felici utriusque Statu fore, eamque per Consiliarios et Oratores nostros Reverendum in Christo Patrem Dominum Albertum Episcopum Vilnen: ac Magnificos ac Generosos, Alexandrum Juriowicz, Castellatum Vilnensem, et Capitaneum Grodnensem, Joannem de Zabrzie Palatinum Trocensem, et Marschalcum Magni Ducatus Lithvaniae, Nicolaum Mikolaiowicz Subpincernam Magni Ducatus nostri Lithvaniae Capitaneum Bielscensem, Petrum Olechnowicz Coquinae nostrae Magistrum, de nostro expresso et nostrorum Praelatorum, Ducum, Baronum et Procerum Magni Ducatus nostri Lithvaniae assensu, cum praeclearis Ducibus, Baronibus, Consiliariis, et Proceribus Regni Poloniae universis iniri fieri concludentes, atque mutuis inscriptionibus jurejurando firmari volumus, atque mandavimus per articulos infrascriptos, quorum tenor sequitur in haec verba:

Quod licet veteres fuerint inscriptiones amicitiae et foedera, augmentum et conditionem meliorem promoventia Reipublicae, tam Regni Poloniae quam Magni Ducatus Lithvaniae, tamen cum aliquid in eis videretur contineri ab optima et sincera fraternitatis fiducia discrepans; idcirco ob solidiorem communis ac mutuae charitatis fraternae connexionem, perpetuam dominorum defensionem communem, aeviternam, indubitam fraternitatis fidem, inprimis vero ad Dei et salvatoris nostri gloriam, et Dominorum nostrorum Serenissimae Regalis familiae Poloniae Dominorumque utrorumque eorundem, ac nobilissimarum, Poloniae et Lithvaniae nationum, immensi perpetuique honoris diffusionem, decus, ornamentum, corroborationem, honorificentiam, et claritudinem, ac Majestatis mutuae amplitudinem sempiternam, veteres ipsas confoederationes innovare et moderari decrevimus sub articulis infrascriptis. Primum quidem Regnum Poloniae et Magnus Duc. Lithvaniae uniantur et conglutinentur in unum et indivisum ac indifferens corpus; ut sit una gens, unus populus, una fraternitas, et communia consilia, ei-

286

demque corpori unum caput, unus Rex, unusque Dominus in loco et tempore assignatis per praesentes, et ad electionem Conventionis votis communibus eligatur, atque absentium obstancia electio non impediatur, et decretum electionis in Regno semper sit juxta consuetudines circa illud ex antiquo servatas.

Item, quilibet Episcopali, Palatinali, Castellanique dignitate in ipso Ducatu insignitus, juxta locum suum assignatum in eligendo Rege perpetuis temporibus votabit et consulat modo et ordine, quo consulat Consiliarij Regni.

Item, quia corpus quodlibet salubribus remediis conservatur, et contrarijs rebus prosternitur, sic tam in adversis quam in prosperis rebus utrobique communi consilio ordinanda sunt, et communi similiter auxilio exercenda relevandaque omnia circa corpus et in corpore ipso contingentia.

287 Item, in omnibus adversitatibus auxiliis invicem nos utriusque Domini Praelati, et Barones juvare debemus, totis viribus et facultatibus, prout communi consilio expedire videbitur, prospera et adversa tanquam communia reputantes.

Item moneta uniformis et aequalis ponderis utrobique, sicut caetera omnia, communi consilio et assensu utriusque Domini debeat institui.

Item quaecunque foedera etiam juramentis firmata, antea cum quibusdam inita tamdiu observanda sunt per partem utramque quamdiu contra jura et commoditates Regni, et Magni Ducatus Lithvaniae nil excedere videbuntur.

Item quilibet denuo in Consiliarium vel Dignitarium tam spiritualem quam saecularem promotus, teneatur jurare Regi coronato Poloniae fidem, ac mutuam inscriptionum observationem.

Item quicumque Capitaneatum vel Castrum in administrationem a Domino receperit, ille teneatur recipiendo jurare Regi, scilicet quod de illo nemini cedet, nisi Regi electo et coronato.

Item ut omnia quaecunque nunc pacta fuerint et conclusa, perpetuis temporibus et firmiter et inviolabiliter observentur, juramentis et inscriptionibus firmetur, per singulos Consiliarios illius Ducatus atque Barones, et ex Nobilitate praecipuos, illudque juramentum ab illis requisitis fiat quoties expedierit.

Item qui aetatem discretionis attigerint, si nomine Consiliariorum Regni pro juramento admoniti fuerint, illud praestare teneantur.

Item Domini Serenissimi, Domini Magni Ducis Lithvaniae Oratores et Consiliarij hic praesentes jurabunt, et promittent, seque obligent omnia pacta servare sub fide et honore, et dabunt inscriptiones sub appensis sigillis ad praesentia pacta, quae sub tempore per universos Praelatos, Barones, Nobiles, et Boiaros Lithvaniae firmabuntur literis, sigillis, et juramentis, cavendo: quia Illustrissimus Princeps et Dominus, D. Alexander Dei gratia Magnus Dux Li-

thuaniae etc. rata et grata habebit omnia hic ordinata, jurata, inscripta, promissa.

Item ut una pars alteri sit consilio et auxilio, quod Regia Majestas, jura, et libertates, et dignitates, et officia utriusque Domini illaesa conservaret, omnia jura, judicia, consuetudines, praerogativas, et libertates singulas constitutionesque judicarias ab olim in hactenus servatas, utriusque domini, salva et salvas conservando.

Item quoties contigerit in Coronatione novi Regis jura Regni per Regem electum confirmare, tunc una etiam omnia jura Ducatus Lithvaniae sub uno contextu debebunt confirmari.

Item ut circa omnia juramenta fienda tam Consiliariorum modernorum quam futurorum, etiam Capitaneorum, atque horum qui ex nobilitate ad praestanda juramenta venient, praemissorum observatio firmetur fide et honore.

Item sic expressum inscriptum, et juramento firmatum, quod non quaeratur per aliquam partem ullo tempore occasio adversandi ac contraveniendi praesentibus pactis neque dismembrandi istius inclyti unius corporis praesentibus uniti, compacti, et conglutinati.

Nos itaque Alexander Magnus Dux Lithvaniae praefatus, etc. Considerantes unionem in unum et indivisum ac indifferens corpus inclyti Regni Poloniae, et Magni Ducatus nostri Lithvaniae connexionem sempiternam, et cui individuo corpori unum caput, unus Rex, unus Dominus, occurrente vacatione eorundem Dominiorum per utriusque Domini Consiliarios debeat eligi, praesidere et dominari, caeterisque multis et laudabilibus utilitatibus et commodis utriusque Dominio conducentibus in praesentis articulis descriptis, non modo ipsis pro eorum futura, verum etiam maxima Reipublicae Christianae tuitione incremento et conservatione profuturum, imitantesque ut decens et par est divorum nostrorum Progenitorum et Antecessorum vestigia saluberrima, quibus pro defensione fortiori, subsistentia Dominiorum eorundem firmiori, eam ipsam unionem et connexionem ad effectum deducere, ut ex eorum gestis et factis apparet evidenter, conabantur: eosdem articulos tanquam honestos honori ac commodo nostris et nostrorum dominiorum plurimum conducibiles, quoad omnes earum clausulas, capitula, et puncta, laudavimus, acceptavimus, approbavimus et ratificavimus, in eosdemque ex certa nostra scientia, et animo bene deliberato consilio et assensu Praelatorum, Ducum, Baronum, Nobilium nostri Magni Ducatus Lithvaniae accedente, consensimus, laudamusque, acceptamus, approbamus, ratificamus, et consentimus, decernentes ea robur perpetuae firmitatis obtinere. Promittentes in fide nostra bona christiana verbo nostro Ducali, et sub onere per Nos praestiti juramenti, Nos et nostros Successores unionem, connexionem Dominiorum praedictorum, prolis nostrae et nostrorum Successorum multiplicatione, non obstante unius Do-

291*) mini utriusque Dominio praesidentia, temporibus futuris perpetuo duraturam, omniaque et singula praemissa etiam in articulis praesentis contenta, declarata et expressa, sine omni dolo et fraude, subjicimus et obligamus. Promittimus insuper: quod omnes Praelatos, Duces, Barones, Nobiles, Proceres, et communitates notabiliores nostri Ducatus Lithvaniae conducemus; ut omnia in praesentibus nostris literis ac praesentis articulis contenta acceptent, approbent, ratificent, et confirment: eaque omnia ipsi et eorum Successores, firmiter implere et observare tenebuntur, sub fide, honore, et onere praestandi juramenti, quod singuli praestare et facere tenebuntur, et debent, literasque de super perpetuas eorum sigillis munitas, Regno Poloniae dabunt realiter et cum effectu, ac pro alijs Praelatis, Ducibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus et Communitatibus notabilibus Magni Ducatus Lithvaniae nostri, nunc absentes cavebunt et promittent, quod ipsi et eorum successores, quocumque et cum primum requisiti fuerint super praemissis, servare omnia praemissa sub fide et honore ac onere praestandi juramenti per eos, quod tunc praestare tenebuntur, literasque necessarias eo ordine, ut praefertur, eorum sigillis munitas dare et concedere tenebuntur et debebunt. Harum, quibus sigillum nostrum praesentibus est subappensum, testimonio literarum. Actum et datum in Mielnik, Sabbatho proximo ante Beatorum Simonis et Judae Apostolorum, anno Dni 1501. Praesentibus ibidem ad praemissa consentientibus Praelatis Reverendo in Christo Patre Domino Alberto Episcopo Vilnen: nono Magnificis, Strenuis et Generosis Consiliarijs nostris, Alexandro Juriowicz Castellano Vilnen: et Capitaneo Groden: Joanne de Zabrzezic Palatino Trocen: et Mareschalco Magni Ducatus Lithvaniae, Michaele Duce Hlinen: Mareschalco Curiae nostrae, Nicolao Mikołajowicz Subpincerna Magni Ducatus Lithvaniae et Capitaneo Bielscen: Joanne Mikołajowicz Mareschalco nostro et Tenentario Vilken: Stanislawo Zabrzezinski Mareschalco nostro, Alberto Gastolowicz Curien: nostro, Barthosio Taborowicz Mareschalco nostro, Stanislawo Piętkowicz Capitaneo Brestensi, Georgio Halmnicz Mareschalco et Tenentario nostro Lidensi, Jacobo Dowoynowicz, Joanne Stecko Drochicensi, Niemira Mielnicensi, Capitaneis. Georgio Dowoynowicz Tenentario Bydgosciensi Dignitarijs et Officialibus nostris, ad praemissa similiter personaliter existentibus et consentientibus.

ALEXANDER REX

PRIVILEGIA SANDOMIRIENSIVM CONFIRMAT.

Nos Alexander, etc. significamus, quia licet in Sacris Majestatis nostrae primitiis (dum videlicet Principes spirituales et saeculares, caete-

*) In editione Schol. Piarum desunt numeri fol. 289 et 290. (Anot. editoris.)

rique Praelati, Barones et regnicolae nostri, felici aderant Coronationi nostrae) universa privilegia, per duos olim Antecessores nostros, videlicet Ludovicum alias Loysz, Casimirum antiquum, Vladislaum Avum et Vladislaum Patrum, Casimirum Patrem, et Joannem Albertum germanum, aliosque Reges, Reginas, Principes, Praedecessores nostros, ejus regnicolis concessa, promiserimus tenenda, tamen insuper, ut ipsi pro eorum in Nos fide et benevolentia pendant se proinde gratiarum nostrarum affectus et in praesenti consecutos, et omni tempore consecuturos proculdubio, (qua quidem sua benevolentia Nos post mortem ejusdem Domini Regis Joannis Alberti, ad hoc inclytum Regnum Poloniae, jure electionis eorum liberae, Deique optimi favente clementia, unanimiter elegerunt regnaturum) decernimus ex speciali virtute et munificentia nostra, per literas nostras perennes, promissionem illam nostram efficere firmiorem. Unde sicut quibuslibet petentibus confirmationem privilegiorum, ab eisdem olim Antecessoribus nostris haborum, hactenus dare consuevimus, sic totius nobilitatis Terrae nostrae Sandomiriensis privilegia, inscriptiones, libertates, concessionem, exemptiones, praerogativas, indulta, et alia munimenta, per quoscunque Reges, Reginas, et Principes, Praedecessores nostros, ejusdem simul aut divisim, praedictaque nobilitati Terrae Sandomiriensis, data et concessa, datasque et concessas, justa et legitima, justasque et legitimas, quorum (quarumque tenores, perinde esse et valere volumus, ac si idem nostris de verbo ad verbum, inserta insertaque essent) in omnibus eorum earumque tenoribus, passibus, capitulis, conditionibus, clausulis, et articulis, duximus ex gratia speciali, virtute et munificentia nostra Regia, confirmanda, approbanda, et roboranda, confirmandasque et roborandas, et approbandas, prout confirmamus, approbamus et roboramus, decernentes ea et eas, perpetui roboris vim habituras, tenore praesentium mediante in aevum.

STATUTA

PROCERUM REGNI POLONIAE ABSENTE ALEXANDRO REGE.

Nos Alexander Rex post felicem Coronationem nostram, Republica Lithvana tunc exposcente cum ad Magnum Ducatum Lithvaniae contuleramus Nos, his vero Regni Terris Nobis in Ducatu ipso agentibus, dum Conventionem indixeramus Generalem, fuit per universos Regni nostri Praelatos spirituales et saeculares, ac Terrarum Nuntios universum corpus Regni etiam absentium nomine, per literas nostras et per proclamationes publicas vocatorum, venientium et non venientium repraesentantes, celebrata Conventio Generalis, in loco Regni nostri ad id consveto Petricoviae die Dominica Reminiscere et prorogationem habuit usque post Dominicam Judica me Deus, etc.

anno D. 1503, cui Illustrissimo et Reverendissimo olim Domino Friderico Cardinali etc. germano nostro ad gubernandum Regnum in nostri absentia per Nos olim, constituto in lecto ultimae aegritudinis decumbente, praesidebant Reverendissimus et Reverendi in Xsto Patres Domini ac Magnifici Andreas Roza Archiepiscopus Leopoliensis: et Episcopus Premisliensis: de Borzyscenice, ac Episcopi Ecclesiarum, Creslaus Vladislavien: et Regni nostri Cancellarius de Kurozwanki, Joannes Posnaniensis: de Ludbrancz, Vincentius Plocen: de Przeramb, necnon Magnifici Spitzko de Jaroslaw Castellanus et Petrus Kmita de Wisnice Palatinus Cracoviensis cum reliquis ex ordine Reipublicae Praelatis utriusque status Consiliariis nostris per quos et universos alios Consiliarios, ac Terrarum Nuntios statuta edita sunt per Nos ad vota eorum approbata infra scripta.

De dignitatibus et officijs per Majestatem Regiam conferendis.

Unanimi dominorum spiritualium et saecularium ac Nuntiorum Terrestrialium hac Conventione Petricovien: congregatorum decreto communi constitutum est antiquo statuto innitendo, quod dignitates et officia Terrestria per Majestatem Regiam incolis tantummodo Terrarum possessionis idoneis conferantur, secus factum non servetur, nec ille cui dignitas vel officium contra praemissa collata fuerit, eadem dignitate seu officio uti permittatur, neque ei ulla praestetur obedientia, Regia autem Majestas tanquam contra juramentum praestitum secus faciens rei et privilegio communi injuriam intulisse censeatur.

De officio Palatinorum ad pretia rebus imponenda.

Dignitarij et officiales sua noscant officia, si vero quibus incognita sunt a Regia Majestate et dominis doceantur, eademque tam domi quam in bello debite exerceantur, ne per quempiam conmodo suo fraudantur, regnicolaeque defectu ordinis gravaminibus mechanicorum, monopolij mercatorum graventur, et quidquid Palatini ex officio constituerint, praesertim in civitatibus, id Capitanei exequantur, sub poena amissionis officij, si autem obligatorius esset, centum marcas de inscriptis summis amittat, toties quoties negligens convictus esset.

De filiis kmethonum.

Item quod kmethonum filij similiter non poterint de haereditate in qua patres eorum morantur sine scitu et consensu domini sui recedere nisi qui studendi gratia literarum anno quocunque ante duodecesimum suae aetatis annum vel anno quocunque aetatis, causa artificiorum exire voluerint, qui etiam dominis suis requisitis id facere debent, et qui exiverint dominis nescientibus vel invitis perdant sortem patrimonij sui, et denique restitui debent.

De rusticis extra Regnum laboratum non mittendis.

Item ne rustici extra Regnum exire possent pro juvandis aliarum Provinciarum laboribus per

Capitaneos ubique prohibeantur, et alijs quibuscunque erit licitum eos impune retinere, et ad usus suos etiam sine mercede ad unum mensem redigere, ita tamen quod mense exacto ad propria revertantur.

294

STATUTA

ALEXANDRI REGIS

PETRICOVIAE SANCITA A. 1504.

Nos item Alexander Rex postea quam de Magno Ducatu Lithvaniae redijmus feliciter indicta Conventione Generali quam Petricoviae pro festo S. Agnetis anno D. 1504 celebravimus et continuavimus usque ad feriam quartam ante Dominicam Laetare anni ejusdem 1504 constitutiones certas decrevimus cum consilio et assensu communium Praelatorum, et Consiliariorum infra scriptorum, ac Nuntiorum Terrestrialium juxta Regni consuetudinem vocatorum nomine absentium post vocationem literalem nostram atque edicta publica ad eandem Conventionem venientium in eaque constitutorum et aliorum non constitutorum, corpus Regni repraesentantium, praesertim vero de unanimi voluntate et laudo communi Reverendissimi et Reverendorum in Xsto Patrum Dominorum, ac Magnificorum Generosorum, Venerabilium et Nobilium personaliter Conventioni interessentium, Andreae Roza Archiepiscopi Gnesnen: Joannis Cracoviensis: Vincentij Vladislavien: Joannis Posnaniensis: Erasmi Plocen: Mathiae Chelmen: Ecclesiarum Episcoporum. Spitzkonis de Jaroslaw Castellani Cracoviensis: Petri Kmita de Wisnice Palatini Cracoviensis: et Mareschalci Regni nostri ac Scepusien: et Sandeczen: Capitanei, Joannis de Tarnow Sandomirien: Nicolai Gardzina de Ludbrancz Calissien: Ambrosij Pampowski Siradien: et Capitanei Majoris Poloniae generalis, Petri Myszkowski de Mirow Lancien: Nicolai de Koscielce Bresten: Nicolai de Kretkow Junivladislavien: Joannis de Tarnow Russiae Generalis, Nicolai de Kurozwanki Lublinien: Pauli Kola de Galienow Podoliae et Stanislai Kmita de Wisnice Belzen: Palatinorum, ac Dobrogosti de Ostrorog Posnaniensis: Joannis Jarant de Brudzow Calissien: Joannis de Przeramb Siradien: Janussij Latalski Gnesnen: Joannis de Slupca Sandeczen: et Martini Skotnicki de Boguria Zawichosten: Castellanos. Joannis de Lasko Gnesnen: et Regni nostri Cancellarij, Mathiae de Drewnica Praepositi Skarmirien: Vice-Cancellarij ejusdem Regni nostri, Alberti Gorski Scholastici Vladislav: Secretarij nostri. Et item in praesentia universorum Nuntiorum de singulis Terris missorum et consentientium, aliorumque quam plurimorum subditorum nostrorum in eadem Conventione existentium et publicitus consultatum, quibus cum omnibus ibidem Petricoviae eas ipsas ut praefertur constitutiones nostras scripsimus et condidimus infra scriptas.

295 De officijs Regni et Curiae et praesertim Mareschalcorum.

Officia Regni et Curiae et praesertim Mareschalcorum haec tentata erant cum de consuetudine quadam, licet etenim quilibet eorum suum singulare sciat onus ac debitum, tamen quia vel propter concurrentes in uno duos officiales, vel quod descriptum non fuerat, quid eorum quilibet attentare debuit, committebantur errores et negligentiae in his, quae officialibus illis videntur, agendaque incumbunt, ac inter eos ipsos dissensiones mutuae. Quapropter rationabiliter censendum est, quod officium Mareschalci Regni et Mareschalci Curiae, sive uterque sive alter eorum esset in Curia, debet esse omnium ceremoniarum et Curienarium magister, quorum et utriusque istorum hoc erit officium, ut Curienenses conscribant, solvant, registra teneant et sciant diligentes et negligentes, malos et bonos et non obsequentes non sinant in Curia foveri, sed praemoneant, ut tales a Curiae servitio alienentur, semper hospites et Consiliarios Regni excipiant, et attendant, ut debitus cuique honor ex parte Majestatis Regiae, juxta meritum personae impendatur, utque scandala et excessus aut moderentur, aut eliminent, aut emendent animadversione juxta meritum aut demeritum adhibita. Sicque omnia constituent, provideant et dirigant tam in aula, curia, domibus, cameris et mensis Regijs, quam alijs officijs et officialibus ad equestrem ordinem Majestatis Regiae pertinentibus, ad quod tribuitur ei facultas plena instituendi, destituendi et omnia cum meliori conditione, ac cum consensu et auctoritate Majestatis Regiae faciendi, et licet Mareschalcus Regni eam habere auctoritatem consveverit, ut eo praesente Mareschalcus Curiae de nulla administratione incumbentis officij se intromittat, tamen quia Mareschalcus Regni saepius abesse consuevit a Curia, ut igitur absente eo sciret Mareschalcus Curiae prosequi aut exequi id, quod bono ordine per Mareschalcum Regni rectum erat in Curia constituimus, quod ista officia aut invicem debito officij indifferentia sic videntur: quoties Mareschalcus Regni esset in Curia semper ad omne officij exercitium et actionem vocare debet Mareschalcum Curiae eo sciente omnia facturum officio Mareschalcatu incumbentia, recedens vero de Curia tradet registra et administrationem officij Mareschalco Curiae, in quo Mareschalcus Regni auctoritas summa sit ad omnia suprascripta, eo vero absente in persona minoris sit eadem nec minor auctoritas, quam eam Regni Mareschalcus in Curia personaliter existens habere consuevit. Cui quidem Mareschalco Magistratum Curiae dirigenti et in ea personaliter existenti ratione administrationis adscribitur perceptio foralium et auctoritas imponendi pretij rerum venalium ad necessitatem Curiae importatarum. Ea autem foralia percipiat moderatius quam facere consuevit, et non aliter quam communi jure et consuetudine, in civitati-

296

bus et oppidis illis ad quae ventum esset percipi consueverunt, de foro tamen campestri reservatur haec facultas ad Campiductorem generalem, ut communi consilio pretium rebus tribueretur, et tam domi quam foris domos agente Rege quidquid vel Mareschalcus, vel Campiductor ad pretia rerum aut communem ordinationem servandam constituet, debet constitutionem per publicationem intimare. Si vero Mareschalcus in pretio rerum et foralium excederet modum, habeant facultatem consiliarij in Curia praesentes illud moderandi, sibi quoque praecipendi, quibus si Mareschalcus parere noluerit, extunc tanquam inobediens ad communem auctoritatem Consilij generalis proxime futuram deferatur.

De Cancellariatus et Vice-Cancellariatus Officijs.

Cancellarij autem et Vice-Cancellarij Officia a modo officij auctoritate, executione, expeditione et consuetudine sic ordinantur, quod censeantur invicem copulata esse. Qui expectantur erunt primi Archi-Episcopatum et Episcopatum Praelaturarum et aliarum dignitatum et beneficiorum proxime ac primo vacaturorum. Ipsisque literis literas contrarias, alter contra alterum, ac contra jus Regni commune non extradant, ut literas super donationibus et inscriptionibus bonorum nemini dent, aliter quam constitutiones Regni continent. Literae autem juri contrariae intelligantur inhibitiones ad judicia quae emanant absque necessitate Reipublicae. Item commissiones inter personas nisi granicierum divisionis vel de consensu partium essent, item liberationes ab expeditione bellica.

De Officijs Cancellariae cum Episcopatibus, et pari modo de Officijs saecularibus copulative non tenendis.

Item Cancellarius et Vice-Cancellarius post pacificam assecutionem cujuscunque Gnesnen: Cracoviensis: Vladislavien: Posnaniensis: Varmien: aut Plocen: Ecclesiarum Episcopatus tenebitur officium resignare, et pari modo de saecularibus istud officialibus intelligatur, ut et ipsi Palatinatu, aut Castellatanu assecuto, officio cedant, illudque Rex de caetero conferre debeat cum consilio Consiliariorum in Conventione Generali.

De majori Secretario et praerogativis eius.

297

Propter multiplicationem Secretariorum cum quilibet Notariorum ac etiam cubiculariorum intrans Regis cameram Secretarij nomine se appellat, statutum est communi Majestatis Regiae Praelatorum et Baronum consensu, quod unus sit semper Secretarius sciens secretas expeditiones publicas, qui etiam ad ea intromittetur secreta, quae Cancellario et Vice-Cancellario Regni pandentur, qui etiam sit expectans primus Praelaturarum, dignitatum, beneficiorumque immediate Cancellario Regni et Vice-Cancellario in talibus et officijs successurus.

De Thesaurario Regni et Vice-Thesaurario Curiae.

Antiquis Regni constitutionibus introductum

est rationabiliter et necessario, ut Thesaurarius Regni et Vice-Thesaurarius Curiae semper essent, prout hac tempestate usque in praesens istud fieri consuevit, verum quia nulla fuit unquam constitutione ordinatum, quid cuilibet incumbere debeat ex officio, itaque statutum est, quod Thesaurarius Regni quemadmodum coronas et thesauros Regni quae summa sunt omnium rerum maximarum, conservat sic fungi debeat consulari auctoritate, ipse quoque Thesaurarius ex sua tanquam privilegiata auctoritate expeditiones conductamina et rationes faciet stipendiariorum curiensium et omnium, quibus ratione servitutis, aut Reipublicae aut Majestatis Regiae aliquid debebitur. Ipse etiam Thesaurarius Regni sit unus Magister monetarum pro tempore cudendarum, qui satis superque est dotatus censibus zupparum. Ipse habeat omnem monetae curam, habeat quoque probatores suos, quos ipse salarii et ipse salarietum quatuor maris septimanatim, quod salarium ex medio floreni incussione accrescenti percipiat, et ex eodem medio floreno reliquis monetariae officinae operariis, et universa alia necessaria ad monetariam pertinentia solvet, comparabit, et quidquid ex eodem medio floreno resultaverit, solitis salariis et impensis pro cudendis monetis, id totum ad utilitatem Regiae Majestatis ac Reipublicae tribuatur, in Curia vero Vice-Thesaurarius tanquam thesaurorum Curiae Secretarius, sit vir probus, modestus et discretus, qui per Majestatem Regiam pro tempore constituitur et tenebitur, a Curia nunquam removendus, qui absente Regni Thesaurario omnes pecunias reddituum Regalium et alias undecunque ad Majestatem Regiam datas, in thesaurum recipiat, et illas cum consilio officialium et Consiliariorum Curiae dispensabit mandante Majestate Regia, et omnia alia faciet cum Curiensibus et stipendiariis quae Thesaurario Regni incumbunt. Eo tamen Thesaurario Regni praesente Vice-Thesaurarius Curiae nihil eorum attentabit, quod ad Thesaurarium Regni pertinet, sed cum scientia et consilio Thesaurarii Regni dispensabit et faciet quidquid debet. Sit autem juratus et idoneus ad rationes publicas Terrestres quam privatas Regias sic, ut omnibus rationibus absente Regni Thesaurario ac etiam praesente interesset et earum registra servaret, dispensatores institueret utiles, et inutiles destrueret, faceretque cum illis rationes, ut Majestas Regia et quilibet eum intelligat diligenter attendisse, ne pecuniae Majestatis Regiae inaniter, infideliter, aut prodige dispensentur.

De teloneis in terra et aqua solvendis et non solvendis.

Cum frumentis et struibus vel alio mercaturae genere navigantes, non minus solvere debeant telonea, ut ea solvant terrestri itinere negotiantes, et tam isti quam illi juramenta praestabunt in locis teloneorum, quod res et merces non sunt emptae lucri gratia, sed per eos de

proprijs collectae, a quibus proprijs sit liber quilibet spiritualis et saecularis, sive terra sive aqua merces proprias sui laboris seu domesticas duceret. Constitutiones enim teloneorum tam novae quam antiquae ad mercatores tantummodo sive nobiles sive ignobiles, spirituales et saeculares referuntur, haec autem juramenta factores curruum seu navigiorum vel struum et scapharum praestituri erunt in absentia patronorum, seu dominorum suorum.

De modo honorum Regalium inscribendorum.

Quoniam de bonis mensae Regalis status Regis etiam specialem habere consuevit provisionem, et illis non habitis necessario status Majestatis Regiae publicis auxilijs deberet sustentari, tot vero onera in Regno contingunt ferenda, ut etiam publicis auxilijs impossibile esset satisfacere, et providendo statui Regio et necessitatibus occurrendo, ut igitur successore evinci valeant bona mensae Regiae, statutum est et per Majestatem Regiam approbatum esse debeat, quod bona Regalia dum exementur vel si quopiam modo devolventur ad Regiam Majestatem, amplius non impignorabuntur, neque donabuntur per Majestatem Regiam, nisi in Generali Conventione pro Reipublicae necessitate, Consiliarij consentirent obliganda, donanda, vel inscribenda, propter quod Regia Majestas nemini amplius ad summas priores in bonis Regalibus adscribet quidquam et si inscriptionem fieri contingat, etiam in Generali Conventione Dominis Consiliarijs consentientibus, nihilominus perpetuo observandum decretum sit, quod nemini aliqua bona mensae Regalis Majestas Regia deberet inscribere absque conditione extenuationis, qui vero contra praesens statutum pecuniam super bona Regalia dederit, ille perdet et honorem et pecuniam quam habet inscriptam.

De literis super bona Regalia amissis innovandis.

Qui literas ad bona Regalia amissas diceret, ac de amissis infra annum a perditione literarum computandum, evidens ac legitimum testimonium seu protestationem non fecerit, quam protestationem coram Capitaneo et Palatino suae Terrae faciat, ille anno post amissas literas decurso non obtinebit renovationem, neque probationis viam habiturus erit perpetuo, probationem vero amissarum literarum faciet coram Regia Majestate.

ALEXANDRI REGIS

DECRETA IN COMITIJS RADOMIENSIS. A. 1505.

Radomiensem autem Conventionem, Nos Alexander Rex, anno 1505 habuimus et celebravimus quae eo ipso anno pro Dominica Conductus Paschae per Nos indicta, propter Consiliarios Lithuaniae ac Prussiae Terrarum expectatos in testimonio praesentium scriptos, aliosque

magnae importantiae eventus, usque ad diem Sabbathi post octavam Sacratissimi Corporis Christi continuata fuit, in eaque Reverendissimis et Reverendis in Christo Patribus, ac Magnificis Venerabilibus Generosis et Nobilibus, Praelatis et Baronibus Consiliarijs nostris ac Terrarum Nuntijs in fine privilegij istius communis scriptis moderantibus et consentientibus, nostras scripsimus constitutiones infra scriptas.

De non faciendis constitutionibus sine consensu Consiliariorum et Nuntiorum Terrestrialium.

Quoniam jura communia et constitutiones publicae non unum, sed communem populum afficiunt, itaque in hac Radomiensi Conventione cum universis Regni nostri Praelatis, Consiliarijs, Baronibus et Nuntijs Terrarum, aequum et rationale censuimus, ac etiam statuimus, ut deinceps futuris temporibus perpetuis, nihil novi constitui debeat per Nos et successores nostros sine communi Consiliariorum et Nuntiorum Terrestrialium consensu, quod fieret in praejudicium gravamenque Reipublicae, et damnum atque incommodum cujuslibet privatum, ad innovationemque juris communis et publicae libertatis.

De constitutionibus novis per proclamationes publicandis.

Ne per ignoratam constitutionem novam, quispiam colludi videatur, dum quidquam fieret contra constitutionem, quae ad cognitionem non esset deducta communem, idcirco in constitutionibus nostris plane procedere cupientes decernimus, quod nullus obligatus erit ad novam constitutionem servandam, nisi ipsa primum per proclamationem in Regno publicetur.

De suspectis in crimine, qui bonae famae sunt censi, et de non captivandis bonae famae nobilibus.

Quoniam propter depravatam adolescentum nobilium multitudinem, quorum hac tempestate adeo aucta fuerit licentia, ut etiam tanquam prodigiose istud commissum esset, quod non posset eorum coerceri temeritas constitutionibus antiquis decernentibus, nullum captivandum fore, nisi jure victus esset, quapropter innitendo veteri Praedecessorum nostrorum instituto decernimus nullum nobilem captivandum, qui bonae esset famae, nisi jure prius fuerit convictus, non censebitur vero bonae famae esse quilibet, ter in registris maleficorum descriptus, is ergo ut malae famae, absque juris processu, praesentis duntaxat statuti patrocinio capi, detinerique poterit.

De servis maleficos insecuturis.

Cum hac tempestate familiares ubique se excusarent quia dominis eorum ad insequendos fures, maleficos aut hostes non euntibus, ipsi quoque eosdem maleficos insequi nollent, quo non mediocre dabatur patrocinium, nequam hominibus manus evadentibus eorum, per quos commode poterant detineri. Quapropter statuimus ut quicumque servorum sive famulantium iuben-

tibus dominis fures et malefactores quoscumque insequi et apprehendere noluerint recusaverintque, perpetuo sint infames, qui autem fures insequentibus et apprehendentibus infamiam obijcerent, eandem poenam infamiae incidant eo facto.

De tempore servorum sub indicto tempore belli licentiariorum.

Quicumque servientium sive famulantium sub expeditione bellica, aut aliqua alia necessitate justa et legitima, licentiam a servitio apud dominum suum petierint et ab eo recesserint, perpetuo etiam sint infames, habebit autem quilibet ante bellicam expeditionem ante necessitatem domini sui sex septimanarum tempus, infra quod et non celerius a domino suo licentiam a servitio petet et postulabit.

De primo termino iudicij Capitaneorum.

In Majori Polonia ad vota illarum Terrarum incolarum, subditorum nostrorum decernimus et statuimus, ut coram quolibet Capitaneo, non sit terminus peremptorius in primo termino, ne majoris auctoritatis esse putetur Capitaneus quam Rex, coram quo non est terminus peremptorius in primo termino, nisi quis ad hoc se sponte submittat.

De salario Capitaneorum ab intromissione.

Capitanci introgantes in bona de brachio Regali non recipiant decem marcas, similiter Burgabij sexagenam, alias juxta statutum Joannis Alberti Regis quo istud etiam cavetur.

De citationibus Capitaneorum ad querelam.

Querebantur subditi nostri Majoris Poloniae praesertim de Capitaneatu Posnaniensi citationibus Capitaneis vehementer gravari. Quam obrem decernimus, quod Capitaneus citari non debet ad querelam, nisi pro expulsionem dominae dotalitatis et pro recenti crimine, tempus autem recentis criminis sit annus et sex hebdomadae.

De titulo ad citationes Terrestres in Capitaneatu Posnaniensi.

Conformare cupientes Terras Capitaneatus Majoris Poloniae Terris aliorum Capitaneatum Regni nostri statuimus, quod in Majori Polonia citationes Judicij Terrestres, deinceps non emanabunt sub titulo Capitanei, sed sub titulo nostro et Successorum nostrorum, et sigillo Terrestri, super Judicij autem Capitaneatus sub titulo et sigillo Capitanei emanare et dari debebunt.

De salvis conductibus per Capitaneos non dandis kmetonibus terrigenarum.

Conquerentibus Praelatis et Proceribus Majoris Poloniae quod cum quodam respectu et levitate eorum hactenus Capitanei Posnaniensi salvos conductus kmethonibus illorum et terrigenarum dare consueverant, statuimus communi consensu, quod de caetero Praelatorum, Baro-

num Procerum et terrigenarum nostrorum subditis kmethonibus, civibus, oppidanis aut servis Capitanei locorum salvos conductus dare non debeant, sed ad jus commune in eventibus recurrendum decernimus kmethonibus talibus et quibuslibet conquerentibus, sic ut cuique juris patrocinium debebitur.

De numero plebeorum ad ecclesias cathedrales suscipiendorum.

Ad ecclesias cathedrales in Regno nostro non suscipiantur in Episcopos, Praelatos, et Canonicos, nisi nobiles ex utroque parente et more nobilium educati, utque plebeorum certus sit numerus circa easdem ecclesias, et qui ex eis ad Episcopatus et Praelaturas evecti sunt, qui non essent ex utroque parente progeniti et educati more nobilium ad altiora non ascendant sub poena perpetui exilij et confiscationis bonorum parentum et consanguineorum eorum, qui niterentur venire contra hujusmodi ordinationem, sub praetextu auctoritatis cujuscunque, quapropter praesens et infrascriptum statutum super hoc publicitus editum, nostris praesentibus et alijs per Nos approbatis Praedecessorum nostrorum statutis, ac privilegijs perpetuis adscribimus hujusmodi sub tenore.

Statuta Ecclesiarum seu de plebeis ad vota Serenissimae Principis Dominae Elisabethae Dei gratia Reginae Poloniae Genitricis nostrae sancitum, continens qui et qualiter ad Episcopatus et dignitates ecclesiarum recipiendi, ac qualiter nobilitas talium probetur in futurum.

Volentes tempore nostri felicitis regiminis obviare tempestivo periculis dissensionum et seditionum intestinarum, quae omni externo bello sunt graviores, quarum dissensionum nonnulla judicia jam pullulant ex eo, quod dignitates et loca ecclesiarum nostri Regni cathedralium inferioris status homines, saepe per ambitionem quaerere consueverint, cum periculo manifesto earundem ecclesiarum et dignitatum et cum praedictio nostrae nobilitatis, quae ab antiquis temporibus laborum et virtutum suarum officio, eisdem dignitatibus ecclesiasticis semper proficiebatur. Tum quod eadem nobilitas suis proprijs cervicibus a casibus bellicis, Regnum ipsum defendere consuevit et adstricta est tum etiam eidem ecclesiae propter genus et assistentiam sui ipsius invicem sub pace et defensione debita existebant, quod esse nequaquam posset, si per eos regerentur qui eadem assistentia et caeteris adminiculis protegendi ipsas carent, proinde de communi omnium Consiliariorum nostrorum consilio et assensu, atque ejusdem universae nobilitatis expostulatione hoc praesenti statuto et decreto perpetuis temporibus duraturo sanximus, constituimus et irrevocabiliter decrevimus ut de caetero ad cathedrales ecclesias in Episcopos et in eisdem ecclesijs in Praelatos, in collegiatis vero eccle-

sijs ad principales dignitates homines tantummodo de corpore ejusdem nobilitatis possint promoveri, inhibentes strictissime sub poena perpetui exilij et confiscationis bonorum omnium, cui poenae tam eos qui praesenti constitutioni quoquomodo vel aliquo colore alioquin auferent contravenire, ambiendo ubivis locorum superscriptas dignitates, vel etiam oblatas acceptando, quam eorum parentes, propinquos ac promotores adjuutoresque clandestinos, ac etiam manifestos subjacere volumus ita, ut cum primum huic decreto aliquis quocunque titulo insignitus non existens nobilis inventus fuerit contravenisse, ipso facto praedictae poenae sit subjectus cum eisdem parentibus et propinquis suis. In Canonicatibus vero earundem cathedralium ecclesiarum per alios quoque nobiles obtinendis servari volumus privilegium et decretum alias per Praedecessores nostros editum, adijcientes hoc etiam, ne quisquam cujuscunque generis vel conditionis existat, audeat beneficium quodcunque nostri juris patronatus quoquomodo impetrare vel oblatum a quovis suscipere, sine nostro consensu, sub incursu praefatae poenae exilij et confiscationis suorum bonorum et parentum ac propinquorum ejus. Et quoniam quaestio incidere de genere nobilitatis, quod diverso modo a quibusdam interpretari solet, declaramus, quantum ad praesens statutum attinet: eum tantummodo vocari nobilem et capacem dictarum dignitatum et beneficiorum: cujus uterque parens nobilis, et ex familia nobili sit progenitus: et quod tam ipse quam parentes ejusdem, habitaverunt et habitant in suis possessionibus, castris, oppidis vel villis, juxta morem patriae et consuetudinem nobilitatis, viventes legibus et iuribus Regni nostri nobilium. In quo genere nobilitatis, eos quoque nobiles appellandos censemus, qui licet matre populari, patre tamen nobili sunt procreati: quorum tamen parentes, et ipsimet vivant et vixerint adinstar aliorum nobilium in Regno: ut supra: et non exeruerint vel non exercent eas artes et actiones, quas communiter cives, et qui in civitatibus morantur, exercere solent. Per contrarium enim usum nobilitas ipsa, in popularem et plebeiam conditionem transire solet.

De causis saecularibus in iudicio spirituali non iudicandis.

Quamvis in antiquioribus statutis et privilegijs constat vetitum esse, ne spirituales iudices arrogarent ipsis causarum saecularium iudicandi facultatem, tamen cum clamore communi impulsaremur, quod non obstantibus constitutionibus antiquis saeculares personae plerumque evocantur ad spiritualia iudicia, pro negotio saeculari, quapropter decernimus et statuimus, quod iudices spirituales saecularia iudicia non exercent neque iudicent in futurum.

De iniurijs spiritualium iure Terrestri diffinendis.

Spirituales pro bonis sive injurijs bonorum

juri communi subjectorum jure Terrestri expectantur, injuriae sunt super limitibus, kmethonibus fugitivis, caede et vulneribus, alias juxta statutum Ioannis Alberti Regis.

De commissionibus per Maiestatem Regiam dandis et non dandis.

Auctoritatem judicariam ubique illibatam conservare cupientes statuimus, quod Nos Successoresque nostri nullas dare debebimus commissiones, non dabuntque Successores nostri nisi super limitibus nostrorum bonorum et divisione bonorum haereditariorum inter fratres et proximiores, aut quae essent de consensu partium, alias datae nullius sint roboris vel momenti.

De teloneis privata auctoritate non constituendis.

Quoniam depactatio quaelibet alieno seu privato jure commissa communem laederet, ut verisimile est libertatem, idcirco pro tuendo jure communi libertatis regnicolarum universorum nostrorum communi accedente consensu statuimus, quod nova telonea nemo saecularium et spiritualium in bonis suis constituit neque constituere audebit sine licentia et consensu donationeque nostra et Consiliariorum Regni in Conventionione Generali. Si vero quispiam secus fecerit, talis jure convictus per Nos Successoresque nostros iuxta nostrum et Consiliariorum nostrorum arbitrium privationis bonorum illorum poenam sustinebit, in quibus voluntate sua ac privatis jure et auctoritate suis tanquam nostris solutiones sibi constituit de subditis nostris libertate juris communi gaudentibus.

305

De officialibus iudiciorum.

Officiales iudiciorum eligantur in Conventionibus Terrestribus juxta consuetudinem diu observatam, alias juxta constitutiones in Ioannis Alberti Regis privilegio scriptas, electique praesent nostri praesentis statuti vigore juramentum nec habeant substitutos excepta infirmitate sub amissione officiorum.

De civibus a bello non liberandis.

Cum mercatores negotiatores et civitatum incolae fortunatiores sunt communiter ad opes per industriam assequendas, quibus aucti bonis civilibus bona terrestria accumulantes consueverunt a bello absolutiones obtinere, ut quemadmodum per industriam bona assequuntur, sic etiam libertate majori, quam nobilitas in eis potirentur, quod et si privata sua rei domesticae cura faciant commendabiliter, tamen quod istud in Republica abusum et dissensionum parens esset, quam quidem nobilitate sanguinis profusione rempublicam et terrestrem tranquillitatem tutante, fortunati cives fortunas terrestres occuparent et nobilium victum usurparent, et nihominus ab oneribus publicis per industriam ut fit, se eximerent; non indignum ergo cum Praelatis, Consiliarijs, Baronibus et Terrarum Nuntijs censuimus, quod cives habentes bona haec

reditaria terrestria ad expeditionem bellicam obligata, non sint exempti et liberi ab eadem bellica expeditione quoties fuerit instituta literaeque Majestatis Regiae absolutoriae ab hujusmodi expeditione datae vel dandae, locum non habeant quod alias in privilegio Alberti Regis fratris nostri superscripto latius est constitutum.

De pretio rerum venalium per Palatinos constituendo.

Quamvis de pretio et valore rerum venalium satis superque constat scriptum esse et in nostris superioribus et Antecessorum nostrorum privilegijs; tamen cum fortasse per negligentiam non fit executio decretorum, idcirco Nos iterum iterumque decrevimus et statuimus, quod Palatini in suis Palatinatibus pretia mercantiarum et rerum venalium constituent praediscantque veris testimonijs et documentis pretia rerum qualia sint in partibus externis, unde adducuntur, et juxta hoc etiam constituent justa aestimatione facta, contumaces et contemptores hujusmodi constitutionum per Palatinos factarum, puniantur poena amissionis mercium.

De impetrantibus beneficia iuris patronatus.

306

Fit nonnunquam quod corsitani et cursores Romani beneficia per terrigenas de bonis eorum ad consolationem amicorum viventium et mortuorum fundata impetrant; sique non mediocribus jacturis pauperem nobilitatem pro sui defensione juris impendentem afficere consueverunt. Quapropter decernimus, quod impetrantes beneficia apud Sedem Apostolicam juris patronatus nostri et dominorum nobiliumque saecularium nostri Regni puniantur in persona et in bonis, similiter amici et consanguinei impetrantium eorumdem.

De dignitatibus et officijs hominibus possessionatis dandis.

Innitentes statuo Niszovien: et alijs Praedecessorum nostrorum decretis rationabilibus, praesenti nostro sancimus privilegio et promittimus pro Nobis et Successoribus nostris, quia Nos Successoresque nostri, dignitates et officia Terrestria, non dabimus, nisi possessionatis in Regno Terrisque illis, in quibus sunt hujusmodi dignitates et officia, sub poena in statuto per Praelatos Petricoviae supra scripto.

De valore floreni.

Cum ex auri congerie, opum fit incrementum, quod quidem tantominus haberi consuevit, quanto majori venderetur, ut igitur subditis nostris utcunque opitulemur ad accessiones opulentiores, quae ex auri fiunt copia, decernimus et statuimus, quod valor floreni Hungaricalis, triginta duos grossos non excedat, aliter emens et vendens puniatur, juxta constitutionem Petricoviensem anni praeteriti, alias juxta constitutionem Alberti Regis Fratris nostri.

De executione per lucrorum.

Propter differentias inter Capitaneos Terrestres et particulares districtuum, pro executione per lucrorum nonnunquam excitatas cum eorum altero in alterum executionem differente conseruant negligi subditi nostri in effectu habendo iustitiae jam pridem decretae, idcirco statuimus, quod Capitanei districtuum tenentur et debent exequi omnia per lucra contra omnes sui districtus subditos sub poena centum marcarum.

307 De libera venditione frumentii nobilium Bidgostia.

Terrigenis Cujavitis conquerentibus Nobis, qui per oppidanos Bidgostien: nostros illibertarentur, qui terrigenae dum ex rure frumentum ex mercatu antea facto cuiquam transferunt in oppidum, mox alij oppidani non facto mercatu illud recipiebant, in domosque seu promptuaria sua deponebant, pro quo tametsi solutiones impendebant, tamen quia istud facerent in praedictum prius ementis, et in illibertationem nobilium, idcirco statuimus, quod Bidgostiae sit nobilibus libera frumentorum venditio et deductio, sine aliquo aliorum oppidanorum impedimento, quorum coertio Capitaneo pro tempore existenti sit commissa, sintque desuper literae Regiae, quoties opus erit, poenam Regalem quatuordecim marcarum ex persona contemnebat impendendam continentem comminatum.

De dignitariis et officialibus in possessionatis.

Cum essent nonnulli, per favorem officia praesertim Capitaneatum, dignitatumque aliarum in Terris ab eorum domiciliis remotioribus assecuti, obtinentes, qui propter suam absentiam occasiones pariunt scandalorum in eorum jurisdictionibus committendorum, nempe coercente pravam adolescentum et aliorum hominum licentiam, quapropter statuimus, quod in singulis Regni nostri Terris et Districtibus, Capitanei, Officiales, Dignitarij locorum sint possessionati, avisandi nostris literis, ut satisfaciant officiis suis, quod si trina vice avisati officiis suis intendere non curaverint, priventur officiis et dignitatibus, sintque ipso facto privati, ideo admonendi, ut possessionati sint, ut frequentius visitent loca, in quibus dignitates habent et officia.

De dote per consanguineos mortuae mulieris a marito repetenda.

Dotum solutionem (mortua existente muliere cui viventi inscripta erat) dubia impediabant hactenus duplici ratione, una quod vivente marito praemortuae uxoris consanguineis solutiones dotis petentibus, aliqui possessionem adjudicandam putabant in bonis viventi mulieri reformatis, quorum supervivens maritus possessor esset, altera muliere post maritum antea sibi praemortuum moriente, et in possessionem dotalitij usque ad ultima vitae tempora existente, post ejusdem mulieris viduae mortis obitum consanguineis ejus-

dem mulieris viduae mortuae solutionem dotis petentibus nonnulli putarunt, ut consanguinei dictae mulieris viduae mortuae dotis solutionem jure repeterent, nonnulli decidebant consanguineos in possessione conservandos, quapropter Nos cum Consiliarijs et Terrarum Nuntijs, dubia ipsa absolvimus, decernentes perpetuo tenendum: quod dum mulier praemortua esset, habens dotis et dotalitij reformationem, dos a marito supervivente jure mediante exigatur, quem maritum decernimus sic potiri possessione in bonis per eum olim mulieri uxori suae viventi reformatis, uti vivente ea potitus erat et possidebat, de quibus omnibus suae olim uxoris consanguineis dotem petentibus jure respondebit. Sed praemortuo existente marito mulier per eum morte derelicta si possidebat usque ad ultima vitae suae tempora bona sibi per olim viventem maritum reformata, quaecumque ipsa mulier post mortem mariti sui mortem obiret, existens possessor reformationis suae, sic debebitur possessio bonorum reformatum consanguineis mortuae illius mulieris ut eam mulier vidua possidebat, quam possessionem statuimus absque juris strepitu, constituto duntaxat de jure reformationis, et de possessione per mulierem ad tempora vitae habita, dandum per loci Capitaneos his quibus dotis debetur redditio.

Jam vero hic finem faciemus nostris in Radom institutis suprascriptis, quae olim voto communi Praelatorum spiritualium et saecularium, ac Procerum Regni et Nuntiorum Terrarum constitutum, anno et die et loco, supra scriptis praesentibus Reverendissimis et Reverendis in Xsto Patribus Dominis ac Magnificis Venerabilibus, Generosis Nobilibus et Famatis:

Andrea Roza de Boryszowice Archiepiscopo Gnesnensi et Primate Regni nostri, Bernardino Wilczek de Lubieff Electo Ecclesiae Leopoliensis: Joanne de Konari Cracovien: Vincentio de Przeramb Vladislavien: seu Cujavien: Joanne de Ludbranz Posnanien: Luca Varmien: Mathia de Drzewnica Premislien: et Vice-Cancellario Regni, Alberto Vilnen: Martino Miednicen: ecclesiarum Episcopis, Spikone de Jaroslaw Castellano Cracovien: Joanne de Tarnow Sandomirien: Palatino, Joanne de Zabrzezie alias Palatino Trocen: et Mareschalco Magni Ducatus Lithvaniae, Nicolao Bardzina de Ludbranz Calissien: Petro Myszkowski de Mirow Lancien: Palatinis. Stanislaw Janowicz Castellano Trocen: et Capitaneo Samogitiae Duce Hlinski, Mareschalco Curiae nostrae Lithvaniae et Capitaneo in Bielsko, Stanislaw Kiszka Generali Campiductore Magni Ducatus Lithvaniae, Stanislaw Hlebowicz Palatino seu Capitaneo Polocensi, Nicolao de Koscielce Brentensi, Nicolao de Kretkow Junivladislavien, Joanne de Tarnow Russiae, Nicolao de Kurozwanki Lublinen: Prandota de Trezana Raven: Palatinis. Joanne Jarando de Brudzew Calissien: Joanne de Przeramb Siradiensi, Stanislaw de Chodecz Leopoli: Janussio Latalski Gnesnen: Jacobo de Szickluka Woyuiczen: Joanne Slupecki Sandecen: Petro Szafranec de Pieskowaskala Wislicien: Joanne Jordan de Zakliczyn Biecen: Stanislaw de Miodziejowice Radomien: Martino Skotnicki de Boguria Zawichosten: Stanislaw de Potulice Miedzyrzycen: Petro de Opalenica Landen: Petro Gorski Nalken: Nicolao de Radzikow Dobrzynen: Stanislaw de Szczeksko Wiznen: Andrea de Oporow Kruzwiczen: Petro de Niemyglow Raven: Paulo de Chodeza Polancen: Nicolao Myssopad Czechovien: Joanne Szamow-

308

309

ski Konariensi Castellanis. Joanne de Lasko Cancellario, Jacobo de Szydłowice Thesaurario Regni nostri, Alberto Gorski Scholastico Vladislavien, Nicolao de Bartniki Custode Plocensi Secretarijs nostris, Nicolao Firley de Dambrowica Vexillifero Cracoviensi, et Capitaneo Lublinensi, Alberto Skora de Gay Dobrinensi, Derslao Wilczek de Lubieff Leopoliensi, Stanislaw de Kazanow Lublinensi, Stanislaw Szafranec de Pieskowaskala Curiae nostrae Succamerarijs,

caeterisque quamplurimis Consiliarijs universarumque Terrarum Nuntijs et Regnicolis nostris testibus ad praemissa fide dignis sincere et fidelibus dilectis.

ALEXANDER REX

INSEMI MANDAT PRIVILEGIUM IUDAEORUM CONCESSUM OLIM A BOLES LAO DUCE.

Priv: libertatis et iuris iudaeorum, per Boleslaum Duc: Major: Pol: Proav: Cas: Mag: Pol: Regis in Calis: in crastino Assumpt: V: Mariae, anno Domini 1264 editum, tandem Cracov: in die BB: Dyonisij et Sociorum ejus; anno Domini 1343 per dictum Magnum Casimirum Regem Poloniae et ejusdem Boleslai Pronepotem confirmatum, quod Nos Alexander Rex non confirmando confirmatione speciali, sed ad cautelam defensionis contra iudaeos privilegij Regni in istum codicem congestis adscribi mandavimus; sic ut ejus sequitur tenor:

In Nomine Domini, Amen.

Ne decreta Regia cum fluxu temporis a memoria deciderent hominum, digne prudentium ratio stabilivit cum ea apicibus futurorum notitiae voluit jugiter commendare; quapropter Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Pomeraniaeque Dominus et Haeres, notitiae universorum tam praesentium quam futurorum praesentibus declaramus, quod cum nostram nostrorumque Baronum praesentiam accedentes viri idonei, nostrique fideles iudaei Terrarum nostrarum nobile privilegium Ducis Boleslai, divae memoriae quondam Ducis Poloniae Proavi nostri charissimi, super jurebus suis ostendissent, supplicarunt humiliter, ut ipsorum privilegium nostro Regio insignio innovare, et confirmare dignaremur, privilegij aut ejusdem de verbo ad verbum tenor talis extat.

310

In Nomine Domini Amen. Humani generis actiones nisi vigeant voce testium, aut testimonio literarum celeriter transeunt, et prorsus a memoria relabuntur, igitur Nos Boleslaus Dei gratia Dux Majoris-Poloniae notum facimus tam praesentibus, quam futuris, ad quorum notitiam devenerit praesens scriptum, quod iudaeis nostris per totum districtum nostri Domini constitutis eorum statuta et privilegia quae a Nobis obtinuerunt, de verbo ad verbum prout in sequenti serie continetur, taliter duximus declaranda.

Christianus non debet admitti ad testimonium contra iudaeum, nisi poterit probare per iudaeum et christianum.

Primum quidem statuimus: ut pro pecunia, aut pro quacunque re mobili vel immobili, aut in causa criminali quae tangit personam aut res iudaei, nullus christianus contra iudaeum nisi cum christiano et iudaeo in testimonium admittatur.

Si christianus pro pignoribus citat iudaeum et ille non confitetur, iudaeus per iuramentum evadat.

Item si christianus iudaeum impedit asserens quod ei pignora sua obligaverit, et iudaeus diffidetur, et christianus iudaei simplicibus verbis fidem noluerit adhibere, iudaeus jurando super aequivalente sibi oblato suam intentionem probabit et transeat absolutus.

Si pro minori pecunia asserit christianus quod iudaeo pignus obligavit, iudaeus per iuramentum probabit.

Si christianus obligaverit iudaeo pignus, asserens quod iudaeo pro minori pecunia obligaverit quamque iudaeus confiteatur, jurabit iudaeus super pignore sibi oblato, et quod iuramento probaverit christianus ei solvere non recuset.

Si iudaeus dicat christiano se aliquid mutuasse, christianus se iuramento expurgabit.

Item si iudaeus christiano testibus non assumptis dicat se pignus mutuasse, et ille negaverit, super hoc christianus solius sui iuramento se expurget.

Judaeus pro pignore omnia potest recipere exceptis vestibus sacris et madefactis sanguine. 311

Judaeus recipere poterit nomine pignorum omnia quae sibi fuerint obligata, quocumque nomine vocentur, nulla de his requisitione facta, exceptis vestibus sangvinolentis madefactis et sacris vestibus quas nullatenus acceptabit.

Item iudaeus contra christianum iurabit quod nesciebat pignus furatum aut violenter ablatum dum obligabatur ei, sic ergo se purgat.

Item si christianus impediret iudaeum, quia pignus quod iudaeus habet, ei furtim vel per violentiam sit ablatum, iudaeus juret super illo pignore, quod cum recepit, furtim ablatum vel raptum ignoraverit, hoc in suo iuramento implicito quanto sit pignus hujusmodi obligatum probabit, et sic expurgatione facta christianus sortem et usuram ei persolvat, quae medio tempore accreverunt.

Si christianus aliquid apud iudaeum impignoravit, et iudaeus suum cum illo amisit iurabit iudaeus et absolvetur a petitis.

Si autem iudaeus per casum incendij, aut per furtum, aut per vim res suas cum ablatis sibi pignoribus amiserit, et hoc constiterit, et christi-

stianus qui hoc obligaverat, nihilominus eum impetit, iudaeus juramento se proprio absolvet.

Civitas nihil habet agere cum iudaeis, nisi Princeps vel Palatinus, pro reatu vero personae solus Princeps iudicabit.

Item si iudaei inter se de facto discordiam moverint, aut guerram, iudex civitatis nostrae nullam jurisdictionem sibi vendicet in eosdem, sed Nos tantummodo aut noster Palatinus, vel ejus Judex iudicium exercebit, si autem reatus vergit in personam, Nobis tantummodo hic casus reservabitur iudicandus.

312 **Item pro vulnere iudaei poena debetur Principi et Palatino iuxta arbitrium et solutio pro curatione laeso.**

Item si christianus iudaeo vulnus qualitercunque inflixerit, reus Nobis et nostro Palatino poenam solvat, secundum quod nostram gratiam poterit invenire nostrae Camerae deferendam, et vulnerato satisfaciatur pro curatione vulnere, et expensis, ut jura Terrae nostrae requirunt et exigunt.

Pro capite iudaei poena debetur Principi videlicet confiscatio bonorum.

Item si christianus iudaeum occiderit, digno iudicio puniatur, et omnia rei mobilia, et immobilia in nostram transeant potestatem.

Pro plaga vel percussione iudaei non sanguinolenta poena debetur Palatino et laeso satisfactio.

Item si christianus iudaeum ceciderit, ita tamen ut sanguinem non effundat, per Palatinum requiretur secundum Terrae nostrae consuetudinem ab eodem, et percusso seu laeso satisfaciatur, quemadmodum in Terra nostra est consuetum; si vero pecuniam habere non poterit, idem pro commissio, sicut iustum fuerit, puniatur.

De theloneo a iudaeis exigendo.

Ubicunque iudaeus Dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum praestabit nec molestiam inferat, aut gravamen, sed si aliquas merces aut aliquas res duxerit, muta debeat ex eis provenire per omnia mutarum loca, et sic quoque ipse iudaeus non nisi debitam solvat mutam, quam solveret unus civium civitatis illius, in qua iudaeus eo tempore comoratur.

De ductione iudaeorum mortuorum.

Si iudaei iuxta suam consuetudinem aliquem ex mortuis suis aut de civitate in civitatem, aut de Provincia in Provinciam, aut de una Terra in aliam deduxerint, nihil ab eis per mutarios nostros volumus extorqueri, si autem mutarius aliquid extorsit, ut praedo volumus puniatur.

De dissipazione caemeterii.

Item si christianus caemeterium eorum quo-

quocumque modo dissipaverit, aut invaserit, volumus ut secundum Terrae nostrae consuetudinem et jura graviter puniatur, et omnia sua nostrae Camerae proveniant quocumque nomine nuncupentur.

Pro violentia scholae iudaeorum.

Si aliquis temerarie jactaverit super scholas iudaeorum, nostro Palatino duo talenta piperis, volumus ut solvat.

Item de poena Judicis contra iudaeum.

Item si iudaeus Judici suo in poena pecuniaria, quae *vandel* dicitur reus inventus fuerit, poenam talenti piperis quae ab antiquo est imposita solvat eidem.

De contumacia iudaei qua poena puniatur.

Si iudaeus per edictum sui iudicis vocatur ad iudicium, et primo et secundo non venerit, pro utraque vice poenam quae consveta est ab antiquo persolvat; si ad tertium edictum non venerit poenam quae sequitur, solvat Judici memorato.

Si iudaeus iudaeum vulneraverit poenam iuxta Terrae consvetudinem Judici solvet.

Item si iudaeus iudaeum vulneraverit, poenam Judici suo secundum Terrae nostrae consvetudinem solvere non recuset.

Qualiter iudaei iurare debent.

Statuimus quod nullus iudaeus, juret super rotale ipsorum, nisi sit pro magnis causis, quae se extendunt usque ad quinquaginta marcas argenti, vel sit ad nostram praesentiam evocatus, pro minoribus vero causis iurare debet ante scholas ad ostium dictae scholae.

De occulta iudaei interfectione.

Si iudaeus clam fuerit interfectus ut per testimonium contestari non possit is qui eum interemit, si post inquisitionem suspectum habere coeperint iudaei, Nos iudaeis contra suspectum iudaei occisorem patrocinium iustitiae adhibebimus jure mediante rei.

De violentia manuali in iudaeum ius Terrae poenam et iudicium docet.

Item si christiani alicui iudaeo manum iniecerint violentam secundum quod jus Terrae nostrae exegerit punientur.

De potestate Judicis.

Item Judex iudaeorum nullam causam ortam inter iudaeos in iudicium deducat, nisi fuerit per querimoniam invitatus. Item iudaei circa scholas vel ubi elegerint debent iudicari.

De accrescentia usurarum.

Item si a iudaeo christianus pignus suum ab-

313

si infra mensem non dederit, illis usuris accrescant usurae.

De hospitalione iudaei.

Item nullum volumus in domo iudaei hospitari.

De literis et possessione bonorum immobilium.

Si iudaeus super possessiones aut literas bonorum immobilium pecuniam mutuaverit, id quoque ille cuius res est probaverit, Nos iudaeo et pecunias et literarum pignus abjudicari statuimus.

De iudaeorum pueris.

Item si aliquis vel aliqua puerum iudaeis abduxerit, volumus condemnari: ut fur.

De potestate Judicis.

Item si iudaeus receperit a christiano pignus et per spatium anni tenuerit, si pignoris valor mutuata pecuniam non excesserit, iudaeus Judici suo pignus demonstrabit; si vero pignus bonum non fuerit Palatino nostro vel suo Judici ostendet vel postea vendendi habebit libertatem; si idem pignus antequam annus transierit suo Judici demonstrabit, siquidem pignus apud iudaeum diem et annum remanserit nulli, super hoc postea respondebit.

Iudaei non iudicentur die feriata.

Volumus ut nullus iudaeus super solutione pignorum, in suo feriato die audeat coartare.

De ablatis pignoribus iudaeis per aliquem.

Item quicumque christianus per vim abstulerit pignus suum a iudaeo, aut violentiam in domo sua exercuerit, ut dissipator nostrae Camerae graviter puniatur.

Item in scholis iudicentur eorum excessus.

Item contra iudaeum non nisi in scholis, vel ubi iudicantur omnes iudaei in iudicio procedatur; exceptis Nobis et nostro Palatino qui eos possumus ad nostram praesentiam evocare.

315 **De impetitione iudaei per christianum pro puero interempto.**

Juxta constitutiones Papae, in nomine nostri Patris Sancti, districtius prohibemus, ne de caetero iudaei singuli in nostro Dominio constituti debeant culpam, quod humano utantur sanguine cum juxta praecipuum legis, ab omni prorsus sanguine se iudaei contineant universi, sed si aliquis iudaeus de occisione alicujus pueri christiani per christianum fuerit inculpatus, tribus christianis et totidem iudaeis convinci debet, et postquam convictus fuerit; tunc ipse iudaeus tantummodo poena, quae sequitur, puniatur crimine pro commissio. Si vero ipsum testes supradicti et sua innocentia expurgabit, poenam christianus quam iudaeus pati debuerat pro calumnia non immerito sustinebit.

314

Aequalis pecunia sive debitum semper iudaeo responderi debet cum usura sive in auro sive in argento.

Item statuimus, ut quidquid iudaeus mutuavit sive aurum fuerit, denarij, sive argentum, idem sibi solvi vel reddi debet cum usura debita quae accrevit.

De equis obligatis.

Volumus ut iudaei equos qualescunque generaliter omnes manifeste atque in luce diuturna pro pignore recipiant, si autem aliquis equus apud iudaeum furatus per christianum aliquem inveniretur, iudaeus se juramento proprio expurgabit, dicens quia eundem equum manifeste et in die pro tali quam dedit pecuniam impignoratam habuit et credebat non furatum.

De falsa moneta quaerenda.

Item inhibemus, ut monetarij in nostro Dominio constituti iudaeos cum falsis denarijs vel rebus alijs soli absque nostro Nuntio, vel nostri Palatini, seu absque civibus honestis, quoquomodo detinere vel capere non praesumant.

De clamore iudaei in nocte pro violentia.

Statuimus, quod si iudaeus aliquis compulsus nimia necessitate noctis tempore clamaverit, etsi vicini christiani praestare non curaverint auxilium opportunum, nec venerint ad clamorem, quilibet vicinus suus christianus triginta solidos teneatur.

De comparatione et emptione victualium.

Statuimus etiam, ut iudaei vendant omnia liberare et emant, panem tangant, similiter ut christiani; prohibentes vero poenam nostro Palatino pro eo solvere tenebuntur, et ut omnia quae praemissa sunt perpetuae robor firmatatis praesens instrumentum cum testimonio annotatione ipsis pro cautela dedimus cum sigilli nostri munimine roboratum; hujus vero rei testes sunt: Comes Arbeldus Palatinus Calissiensis, Comes similiter Castellanus Gnesnensis, Comes Jankalis, Comes Mathias Castellanus Ledenen., Comes Czhoslaus Pincerna Calissien., Comes Derslaus Venator Ledenen., cum alijs quam pluribus Baronibus Terrae nostrae: actum in civitate Caliss. in crastino die Assumptionis B. M. V. anno Domini millesimo ducesimo sexagesimo quarto, octavo Calendas Septembris.

Nos igitur jure ipsorum diligenter considerato et inspecto statuto Praedecessorum nostrorum confirmare eo magis quam monere aliquantulum decernentes, benemeritis ipsorum desiderijs favorabiliter inclinati, exnunc praedicta omnia innovamus, roboramus et ratificamus in titulum perpetuae firmitatis, in horum autem evidentiam praesentes sunt nostro sigillo insignitae; actum Cracoviae die BB: Martyrum Dyonisij et Sociorum ejus, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto; praesentibus his Nobilibus nostris Spicimiro Castellano Cracovien.

316

Niszczynio Sandomirien., Nicolao Palatino Cracovien., Andrea Venatore Krzywosande Succamerario Cracovien. et alijs multis fide dignis. Datum per manus Sbignei Praepositi et Cancellarii nostri Cracoviensis.

ALEXANDER

CONFIRMAT SCRIPTUM NICOLAI KOTWICCIJ DE IURE CANONICO.

Ut autem tollantur dubia de interdictis et excommunicatis juxta statutum Provinciae Gnesnensis pro raptu et invasione bonorum et personarum ecclesiarum; Nos Alexander Rex ad informationem subditorum nostrorum spirituum et saecularium jura Divina non callentium decisionem de corpore juris et de libris Ecclesiae doctorum super statuto Provinciali Gnesnen: scriptam per Venerabilem Nicolaum Kottficz Archidiaconum Posnaniensem et Canonicum Gnesnensem juris Pontificij ac legum Doctorem collectam congestis per Nos privilegijs Regni communibus adscriptis sub ordine infrascripto.

Statutum Provinciae Gnesnen: positum sub tit: *de rap:* disponit, et statuit quod hi qui decimas, possessiones, tributa ac bona mobilia ad ecclesias personasque ecclesiasticas ac eorum subditos spectantia rapiunt, invadunt, occupant, exactionant, injuste pignorant, extorquent, vel quovis sumpto colore gravant, aut in bonis eisdem, notorium damnum seu manifestam offensam inferunt post tres dies (nisi satisfecerint) excommunicationis sententiam incurrunt ipso facto.

Circa quod statutum, noto primo, id quod notat Panormitanus in rubri: *de sagitt:* quod hic rubrum est generalius nigro, rubrica enim loquitur solum de raptoribus, textus vero etiam de illis qui alioquin damnum, gravamen aut offensam faciunt, absque eo quod aliquid rapiant, auferant et exportent.

Pro clariori tamen statuti intelligentia praemitto primum: quod hoc verbum damnum proprie pertinet ad res, et est quaedam destructio seu deterioratio rerum in bonis nostris consistentium ut in libro III: fol: *de dam: infec:* ubi jurisconsultus damnum vocat patrimonij diminutionem; verbum vero offensa, proprie pertinet ad personam, et est quaedam injuria facta personae seu in personam quae hominem ad justam turbationem inducit ut dicit Bar. in lib: *cum filium fol: de haere: insti:*; tamen large sumendo vocabula aliquando offensam personae vocamus damnum, unde dicit Alexander in lib: *jurjurandum fol: de jure jurando per. lib: si in duobus fol: de reg: iur:*, quod damnum famae praefertur damno pecuniario, et e contra damnum rerum vocamus offensam personae, unde dicit *tex. insti. de jure jurando*, quod si cujus bona quasi debitoris, cum tamen nihil debeat, possessa sint,

injuriam admitti manifestum est. Et sic large damnum et offensa, unum pro alio possunt poni. Hoc praemisso quaero: qualiter in hoc statuto capiuntur haec dictiones damnum seu offensa, utrum stricte et proprie, an vero large, ita quod unum capiatur pro alio et unum intelligatur in alio; et respondeo quod capiuntur stricte et proprie, non enim opus est unum sub alio intelligere, ubi singula ponuntur expresse, quia in incertis non in certis est locus subauditioni *l. continuamus fol: de ver: obliq:*; facit regula in poenis lib: VI., ex quo enim statutum est poenale, debet fieri stricta interpretatio.

Secundo praenoto, quod damnum seu offensa habent se ad rapinam, invasionem, occupationem et exactionem, injustam pignorationem, extortionem, sicut genus ad species, praedicantur enim de quolibet ipsorum et valet consequentia; rapina est, ergo damnum seu offensa est, et non e contra: et sic de singulis; capio tamen hic genus non ita proprie ut capitur a dialecticis, sed secundum Legistas pro eo quod continet sub se plura, ut notat Panor. in *C. Pastoralis § quoniam de rescriptis*.

Hoc praemisso quaero: an istud statutum habeat locum in alijs casibus sub istis verbis generalibus scilicet damnum seu offensa tacite comprehensis, ultra casus qui sunt specialiter enumerati, scilicet rapina, etc. et respondeo: quod sic per ea quae notat Panor. in *C. sedes de rescriptis, in secundo num: et in quinta columna* ubi dicitur: quod quoties enumeratis speciebus subjungitur genus sub nomine adjectivo licet illud genus restringitur, ut non comprehendat nisi species pares expressis, non tamen restringitur ad species expressas tantum, sed imo comprehendit omnes alias species tacite sub eodem genere comprehensas, quae sunt pares expressis. Cum autem hic enumeratis speciebus scilicet rapina, invasione, etc. subjunguntur dictiones generales, scilicet damnum, seu offensa, quibus dictionibus generalibus adjunguntur nomina adjectiva; nam huic dictioni damnum adjungitur hoc adjectivum *notum*, huic dictioni offensa adjungitur hoc adjectivum *manifesta*; dico quod hoc statutum habet locum etiam in alijs casibus tacite sub eisdem verbis generalibus comprehensis. Sed quaero. qui sunt isti casus tacite sub eisdem verbis generalibus comprehensi? dico quod sub verbo *damnum inferunt*, comprehenduntur illi, qui incendunt aedificia, quae sunt in bonis ecclesiarum, et qui mutilant aut necant pecora et pecudes. Isti enim licet nihil rapiant, nihil extorqueant et tamen quia dant damnum, incidunt in poenam hujus statuti. Sub verbo vero *offensam inferunt*, comprehenduntur illi qui in bona ecclesiae venientes, percutiunt homines, familiam, aut subditos ecclesiae, isti enim quamvis nihil rapiunt et nullum damnum faciunt, quia tamen offendunt, incidunt in poenam hujus statuti. Et quia dicitur in textu, *quovis sumpto colore gravent*, quaero quomodo possint colorari gravamina de quibus in textu? respondeo et popo

exemplum in rapina per *C. Clericos de immu: ecclesiae, lib: VI.*, si quis rapiendo protestatur se id nomine doni mutui, aut commodati accipere; vel pono exemplum de illis qui veniunt ad bona ecclesiarum et exigunt victualia et stationes sub colore hospitalitatis asserentes clericos pertinere ad hospitalitatem ut supra *de immu: ecclesiae in statuto* quod incipit: *Item cum ad aures*. Clerici enim non tenentur ad hospitalitatem nobilium divitum aut stipendiariorum glo: *in l. I. et l. omnia C. de Episcopis et Clericis*, sed solum ad illam quae continet officium pietatis *XXII. di. § I. c. II. de sup: neg. prel. et per dec. in C. de monachis de praeben:* et per Bar in *C. I. de empt. et vend.* Et quia in tex. dictiones adjectivae adjunctae verbis generalibus qualificant ipsa, nam verbo damnum adijcitur qualitas *notorij*; verbo offensa adijcitur qualitas *manifesti*, quaero an istae qualitates *notorij* et *manifesti* debeant referri ad casus specialiter enumeratos et ita qualificent easdem species sicut qualificant genus? vel an unum verbum generale qualitatem suam conijceret alteri verbo generali, et e contra? Et respondeo, quod sic. Moveor per ea quae notat Bar. in *l. doli. fol. de ser. cor.* ubi dicitur quod quoties in aliquo statuto enumerantur plura delicta, si circa ultimum adijcitur aliqua qualitas, illa refertur etiam ad delicta prius enumerata etc.; facit quod notat Panor. in *C. inquisitionem de appel:* dicens quod qualitas in fine dispositionis posita non restringitur tantum ad immediate praecedentia, sed concernit omnia in dispositione contenta maxime ut dicit phil. in *C. II. requiris e. ti.*, ex quo non est dare differentiam quare magis ad unum quam ad alium referatur per leges ibidem allegatas. Facit quod notat idem Bar. in *l. praetor. § En, idque folio VI. bo. rap.* in illa quaestione: an dicta in praecedentibus intelligantur repetita in sequen: . Per quae dico quod ista qualitas *notorij*, addita verbo damnum, et qualitas *manifesti* addita verbo offensa referenda est ad singula tam specialiter expressa, quam tacite in verbis generalibus comprehensa. Deinde quaero quomodo haec dictio *manifesta*, posita in statuto debet accipi, et antequam respondeam praemitto: quod haec dictio *manifestum* in jure aliquando capitur improprie, pro *notorio* ut in *C. manifesta II. q. I. et C. quoniam de filijs praesb. et C. ex parte cum C. sequen. de verb. sig.*; aliquando vero capitur prout est quaedam species de per se differens a notorio et habens se in minus quam notorium et est illud quod procedit ex certo autore, et potest probari *XI. q. III. eorum* et notatur in *c. cum olim de verb. sig. c. Venerabilibus ver. senes autem de sen. exco. lib. VI. et in c. vestra de coha. cle. et mu. per glo. et dec.* Hoc praemisso respondeo ad quaesitum quod dictio *manifesta* haec debet accipi proprie pro *non notorio*. Moveor primo quia verba statuti semper debent potius proprie quam improprie exponi et interpretari: si talis interpretatio non est contraria juri communi, secundum

Bar. in *l. praetor ait: ut fol. de Damp. infect.* et Panor. *c. cum dilectus de consue.* Sed certum est quod haec expositio propria hujus verbi *manifesta* non est contraria, imo consona juri communi. Nam secundum jus commune, ille qui transgreditur legem in occulto, non minus incidit in poenam legis, quam ille qui transgreditur in publico, unde dicit glos. *non in cle. de haere. in ver. eo ipso*, quod ille qui percutit Clericum in occulto, non minus cadit in sententiam canonis, quam ille qui percutit in publico. Et non minus debet declarari excommunicatus, dummodo hujusmodi percussio occulta, id est non notoria possit probari. Secundo moveor per ea quae notat Panor. in *d. c. cum olim de ver: sig.*, ubi dicit quod semper haec dictio *manifesta*, debet accipi proprie si materia subjecta hoc patitur. Quod autem materia subjecta hujus nostri statuti, hoc patitur, imo requirit, propter mentem statutentium, probatur per argumentum, ab absurdo, seu inconvenienti, quod est in jure validum, ut dicit *Glos. in c. dudum de praeben. lib. VI.*; si enim deberet accipi pro notorio et sic per consequens hoc statutum deberet tantum in casu notorio intelligi, sequebatur hoc inconveniens, quod aliquando ille, qui pauca raperet esset excommunicatus vigore hujus statuti, ille vero qui multa raperet aliquando non esset excommunicatus. Exemplum: ille qui dum dies est veniret ad villam et vicinis certentibus raperet unum equum esset excommunicatus, ille vero, qui veniret de nocte et alijs vicinis dormientibus aggrederebatur unam domum et (frustra repugnante hospite) reciperet multos equos, oves, boves, etc. non esset excommunicatus propterea, quia factum non esset notorium. Similiter ille, qui solo pastore praesente et repugnante, gregem totius villae, qui ibat in pascuis abigeret, non esset excommunicatus, quia non posset dici notorium, quod unus tantum vidit. Sed hoc esset inconveniens et contra mentem statutentium, qui voluerunt per hoc statutum providere, ne bona ecclesiarum et pauperum hominum in eis degentium, sive occulte, sive notorie raperentur et damnificarentur, imo forte ex mente statutentium possit argui, quod haec verba: *notorium damnum seu manifesta offensa*, non essent in hoc statuto posita, ad differentiam occulti damni, seu offensae clandestinae: sed potius ad differentiam modici damni, et personae offensae, ut sit sensus: damnum notorium, id est notabile: et offensa manifesta, id est non parvula, quia modicus excessus non esset curandus secundum *Glos. in C. revera, de conse. di. II. ver. mortui*. Et licet pro hac expositione fac. tex. in *C. ex parte ade. de rest.*, ubi raptores, propter notorietatem famosos vocat notabiles: tamen quia alibi non reperio hujus expositionis fundamentum, non sequor eum, sed sequor primam expositionem: et capio hoc verbum *manifesta* proprie, pro *non notorio*, quod probari potest et concludo: quod hoc statutum habet locum, tam in raptu, damno, offensa, no-

torijs, quam in non notorijs. Quamvis autem vigore hujus statuti, tam notorius, quam manifestus, id est, non notorius raptor incidit in excommunicationem; tamen aliter procedetur contra notorium, et aliter contra non notorium, ut infra subiiciam. Oppono tandem contra istud statutum et arguo, illud non esse validum: primum ex eo, quod in ipso non praemissa monitione, fertur excommunicationis sententia ipso facto, quod est contra C. *Sacro: de sen. exco. C. Romana* § *Sed nec in spem e ti. lib. 6.* Respondeo primo: quod ex diversis non inferitur L. Popinianus *fol. de Mino.*; sed dictum C. *sacro* in alio casu loquitur: scilicet de excommu. quae fertur ab homine, nonnisi pro contumacia, ut dicit *Glos. XI. Q. III. C. Episcopi*, a jure tamen sen statuto, fertur etiam ex delicto ut in C. *Si quis XVII. Q. III.* Secundo respondeo: quod imo in hoc statuto, saltem tacite excommunicationem praecedit monitio. Nam ut dicit Joan. in C. *II. Ne Cle vel. Mo. in Novella*, super *Glos. II*, quodcumque in Synodo aliquid mandatur, vel prohibetur, sub poena, illud mandatur, seu prohibitio habetur loco monitionis ita, quod contra faciens incurrit poenam absque alia monitione, quod dictum Ioan. allegat et sequitur Rota sub *ti. De dolo et com. in novis deci. incipien.* Item extra rotam hoc idem voluit Panor. in C. *I. de rap. II. num.* dicens: quod imo per Synodale statutum, excommunicatio potest fieri pro delicto, absque monitione: quia statutum tacite admonet. Circa hanc secundam solutionem possit dubitari, de ratione differentiae, quare supra in statuto Provinciali, sub titulo *de immu. ecclae: § qui cum administratorum*, quasi in eisdem terminis fertur excommunicationis sententia ipso facto: et tamen ibi cavetur, ut praemittatur monitio, priusquam incidat in eandem. In statuto vero isto nihil cavetur de hujusmodi monitione praemittenda. Respondetur, quod licet conditores legis, aut statuti, possint ferre excommunicationis sententiam ipso facto, monitione non praemissa: non tamen tenentur, imo possunt etiam praefigere terminum, ad satisfaciendum ita, ut delinquens non incidat eandem sententiam: nisi tunc factus fuerit contumax, ut in C. *III. de rap. II. responso*; quare tamen conditores legis aut statuti hoc aliquando faciunt, aliquando non, non semper potest dari ratio L. *non omnium, fol. de legi.* Verum, quo ad statutum nostrum et illud, quod est positum sub *ti. de immu. ecclae.*, credo possit hacc dari ratio differentiae: cum illud *de immu. ecclae.* aliud habet fundamentum. Quia enim in turba, vel exercitu, non facile potest sciri privata persona, quae committit raptum: unde ne propter hoc impune spoliarentur bona ecclesiae, illud statutum fecit provisionem: et voluit puniri illum, qui est principalis in exercitu, et qui habet potestatem ducendi, et locandi exercitum ubi vult: et ponunt non proprie *pro damno*, sed secundum C. *f. de inju.*, ideo quia dat occasionem damni, faciendo stationem in bonis ecclesiae, quae

utique sine damno fieri non potest. Unde quia facere stationem non est culpa, quae ipso suo genere esset peccatum, voluit dictum statutum non excedere terminos *c. reprehensibilis, de appel.* sed voluit eum prius moneri, antequam incidere in hujusmodi sententiam ipso facto prolatam. Secus in hoc nostro statuto, quia etiam raptus est peccatum, ipso sui genere gravissimum: et jure divino per Decalogum prohibitum: ergo severius in ipso procedendum. Oppono secundo contra hoc statutum, et arguo illud esse insufficiens ex eo, quod in ipso nihil cavetur, ut saltem iudex praemittat citationem contra raptorem, antequam sententialiter declaret eum incidisse in dictam excommunicationem sententiam, quod videtur esse contra C. *caveat iii. q. ix, contra L. I. § item, cum fol. quae sen. sine appel. et instit. de poen. temerae liti § Omnium autem*; pro solutione sciendum est, quod Panor. in C. *pervenit*, primo de appellatione ponit hanc quaestionem: an ille qui pro aliquo delicto incidit in sententiam excommunicationis a Canone aut statuto latam ipso facto debeat necessario citari: ad videndum declarari, se incidisse in eandem, et dat hanc distinctionem, quod aut delictum non est notorium et debet necessario citari, aut est notorium, et tunc non oportet eum citari; quo ad primam partem; scilicet quando delictum non est notorium, dicit ibidem Panor., quod citanda est pars et recipiendae sunt probationes super facto, et deinde constituto facto, procedendum est ad declarationem, pro hoc allegat C. *cum secundum leges de haere. lib. 6.* et tres *Glos.* in hac materia, *valde non videlicet in cle. praesenti et de censi. in ver. constiterit.* Et in hac prima parte hujus distinctionis, puto fundatam decisionem rotae, sub *tit. de lit. contestatio VII. in ordine, in novis deci.* quae dicit: quod priusquam declaretur aliquis incidisse in Canonem, *si quis sumdente*; debet prius vocari et debet cognitio summaria praemitti, loquitur enim in casu non notorio prout ex juribus et *Glos.* in ea allegatis, potest cognosci. Quo ad secundam partem distinctionis, scilicet quando delictum est notorium, dicit Panor. ubi supra: quod poterit fieri declaratio non praemissa aliqua citatione, allegat C. *reprehensibilis. de appel.* ubi hoc idem tenet hosti, allegat etiam C. *quoniam de fi. Praesby.* facit Ca. *bone titul. de elect., C. cum sit Romana de appel., C. evidentia, de acu. cum si.* Hoc tamen debet intelligi de notorio, quod est notorium ita ut constet, delinquenti nullam defensionem competere. Nam dicit idem Panor. in C. *cum olim de re. judic. post Glos.* et in C. *vestra de coha. cle. prope finem*, quod jura, quae dicunt quod in notorijs non est opus citatione, debent intelligi de tali notorio, in quo constat absentem nullam defensionem competere, alioquin ubi esset dubium, an absentem competit aliqua defensio vel excusatio; opus est praemittere citationem ut paret *Glos. in C. quae Lotharius II. q. I. allegans § quando ea cau.*

322

et questione. Solvendo ergo argumentum dico hoc statutum non posse redargui, de insufficientia quod in eo nihil dicatur de praemittenda citatione. Expressio enim eorum quae de jure tacite insunt, nihil operatur, L. *Non recte C. de fidejus.* In hoc enim recipit tacite supplementum a jure communi, secundum *Glos. in L. scimus § in computatione ver. sed haec C. de jure deli.* super qua *Glos.* dicit Bal. Quodsi statutum loquitur indefinite de haereditibus, non distingvendo, si fecit inventarium vel non, aut si haereditas sit solvenda vel non, tamen intelligetur et fiet distinctio secundum ius commune, sic ergo et statutum nostrum quamvis nihil dicat de citatione praemittenda vel non, distingvetur tamen secundum jus commune ita, ut aliter in notorio et aliter in non notorio procedatur: secundum praefatam distinctionem.

323

Ultimo quaero quis Iudex possit an debeat adiri super executione hujus statuti? et qualiter hoc statutum debeat practicari, si ille qui raptum commisit non moratur in Dioecesi in qua deliquit? et dico quod tam Iudex domicilij sub quo moratur, quam Iudex delicti, tu in *l. I. et in auten. qua in Provincia C. ubi de tri. agri. opor.* Nam ratione delicti quis sortitur forum, sicut et ratione domicilij, *III. q. VI. c. I. et de for. con. c. fi.* Est ergo in optione damnum passi, utrum malit adire Iudicem sub quo delictum est commissum; an vero Iudicem, ad quem se delinquens transtulit. Sed si ergo accedit Iudicem delicti: et delictum est ita notorium ut appareat delinquenti, nullam excusationem, seu defensionem competere, ut supra dictum est, tunc raptorem non citato, poterit coram Iudice delicti inducere testes, de tali notorietate, videlicet qui in oppido, aut villa in qua raptus hujusmodi est commissus vicinia tota scit, ut in *c. cum delictis de pur. ca.* vel illius viciniae ad minus decem homines secundum Panor. in *c. vestra, de cohabi. cle. et nu.* et probatur hoc per testes fide dignos, ad minus duos secundum *glo. in c. Deus. § Quando II. q. I.*; deinde probata notorietate raptore similiter non citato poterit eum obtinere declarari incidisse in excommunicationem sententiam, a statuto prolatam. Demum si voluerit ut raptor in loco, in quo agit domicilium habeatur pro excommunicato, summarie probabit (ut dicit textus statuti) coram Iudice domicilij hujusmodi declarationem. Haec autem probatio summaria poterit fieri per literas declarationis emanatas a Iudice qui declaravit, nam etsi per testes etiam probari posset sicut et alia sententia, tutius tamen, et facilius probatur per literas ut pulchre decidit rota *de re iudi. in novis deci. incipien. Item fuit dubitatum, et est, XIX. eo. ti.* Et sic probata hujusmodi declaratione, Iudex domicilij, faciet raptorem denunciari et citari ut in statuto dicitur. Si vero delictum non est notorium tunc aut raptorem, prius quam se transtulit, de loco delicti apprehendit citatio secundum *c. proposuisti de foro. com.* tunc postea contra absentem poterit pro-

cedi, etiam ad excommunicationem, ut notat Panor. in *di. c. fi. de foro com.*; tamen ad videndum jurare testes, et ad alios actus, fiet citatio in audientia, alias per edictum, nam ex quo semel fuit apprehensus personaliter, sufficit postea citare per edictum prout colligitur ex *deci. rotae de sen. exco. in no. incipien. item si pronuncietur circa medium*: aut citatio non praeventit raptorem in loco suo in quo deliquit, et tunc est quaestio inter Doctores, an Iudex delicti possit eum verbaliter, alias per literas citare in alia dioecesi, et quidam legistae sicut Ty. tenet qui sic, quia executio citationis non est actus jurisdictionalis et ideo potest fieri secundum eum ubicumque est, at *Cle. Pastoralis de re iudi.* quae facit in contrarium respondet quod ibi erraverunt Canonistae, sed Bar. in *l. prima. ff. de requi. reis* salvat illam *Cle.* et dicit eam habere locum in territoriis, in quibus sunt jurisdictiones distinctae, quarum una non pendet ex alia, vel dato quod pendeat nihilominus habet locum, si minor vult citari in territorio majoris, cui subest, quia tunc non potest propter majoris reverentiam quem debet potius requirere ut ipse citet; Joan. in *addi. specu. in ti. de com. judi. ade. §. I. versi: sed quomodo. in glo. quae incipit an ratione delicti*, videtur sentire contra dictam *Cle.* quod videlicet unus Iudex possit citare in territorio alterius, ubi hoc per aliquod statutum particulare non esset prohibitum; alij Canonistae in dicta *cle.* et in *di. c. fi. de fo. com.* et ibi Panor. tenent quod non potest citare, quo ad distringendum seu excommunicandum personam, quos sequitur Rota, in *ti. de judi. in novis. deci. incipien. si quaeritur utrum*, ubi determinat et declarat. Quia etiamsi crimen sit leve, in quo scilicet, non habet locum remissio, tamen Iudex delicti non poterit citare delinquentem extra territorium constitutum, sed scribet ad Iudicem domicilij qui ad hanc requisitionem citabit eum, ut compareat coram Iudice delicti, et illa citatio arcebit eum ita, quod postea valebit sententia contra absentem lata, sicut supra dictum est. Itaque propter opiniones praemissas videretur bene consultum esse, quod ex statuto saltem Provinciali Episcopus qui habet jurisdictionem delicti, possit etiam citare in Dioecesi alterius, etiam comprovincialis. Si vero damnum passus eliget adire potius Iudicem sub quo delinquens habet domicilium, citabit coram ipso delinquentem et eo negante delictum, quia Iudex domicilij non potest cogere testes qui sunt in alia Dioecesi C. *ut animarum de Consti. LI., VI.* nisi hoc haberet consuetudo, *l. III. ff. de testi.* et item quia difficile foret, damnum passo testes ab eorum negotijs evocare, et sumptuosum in aliam Dioecesim deducere, *c. constitutus de fideiuss.* scribet ergo Iudex domicilij, ad Iudicem delicti, ut testes examinet et depositiones eorum notet denunciabitque delinquenti, ut vadat pro termino, pro quo jurare debebunt et deponere, ut legitur et notatur in dicto *c. constitutus de*

324

325

fidejus. et apud spe. in ti. de testi. § qualiter ver: scribet autem; et ibi si erit delictum notorium sufficet testes inducere super notorio, si vero non notorium oportet inducere super facto. Judex ergo delicti receptis attestacionibus transmittet eas Judici domicilij, et Judex domicilij receptis attestacionibus ad sententiam declarationis procedet delinquente citato vel non citato, sicut supra dictum est. Non obstat lex *Judices et auten. apud eloquentissimum c. de fi. instru. et glo. in c. testes, III. q. IX, in v. praesentes* ubi dicitur quod in causis criminalibus requiritur praesentia testium, nec potest Judex eorum absentium examinationem alteri committere, hoc enim intelligitur in causis criminaliter intentatis, in quibus agitur ad poenam ordinariam praesertim corporalem, in quam aliquando opus est testes torquere, l. *edictum, ff. de quaesti.* et ideo opus est eorum praesentia. Sed in causis civilibus non facile itur ad quaestiones, ut in l. *divus, ff. eo. ti. et in l. I. C. eo. ti.* Cum autem per hoc statutum agatur non ad poenam ordinariam, sed ad satisfactionem damni illati, et si sit causa criminalis, quia tamen civiliter intentatur, requiratur jus civile c. *tuae de procu. et notat car. in cle. II. §. denique de re judi.* Praeterea Bal. in dicta auten. *apud eloquentissimum*, dicit quosdam Doctores tenere, quod etiam in causa criminali, possit fieri Commissio receptionis testium propter necessitatem imminens et exemplificat si testes sunt forenses, et nolunt venire. Alioquin si nec solus Judex possit testes cogere nec alteri committere eorum examinationem, adimeretur facultas puniendi nocentes, et sic publica utilitas negligetur in eo, quod crimina remanent impunita contra l. *ita vulneratus, ff. ad. l. Aquil. etc. ut fame, de sen. excommunicationis.*

Finit summariam decisionem Doctor Nicolaus ad mandatum D. Regis Alexandri.

ALEXANDER REX

CONSVETUDINES TERRAE CRACOVENSIS CORPORI JURIS ADSRIPTAS ET APPROBATAS CONFIRMAT.

Quamvis Nos Alexander Rex praescripserimus superius omnes passus ac privilegia justitiae communis per olim Praedecessores nostros Duces atque tandem Reges Poloniae ad justitiam communiter ministrandam regnicolis in isto inclito Regno nostro concessa sub tempore quibus cum Judices Terrarum justitiam et negotia judicia absolvere dirigereque consueverint, tamen quia ultra haec quaelibet Terrarum suas speciales habere consuevit consuetudines; idcirco Terrae Cracovien: eas quae in ipsa approbatas sunt praesentium communi juris Terrestris Regni nostri corpori adscripsimus easque approbavimus et pro jure perpetuo tenendas decrevimus, adscribimusque, approbamus et decernimus praesentium per tenorem, quae quidem consuetudines inscriptae sequuntur.

De inscriptione Castrensi.

Item dum aliquis inscribit alicui in Judicio Castrensi inscriptionem et promiserit inducere in librum Terrestrem aut Regalem, et non compleverit ad tempus prout se inscripsit succumbens poenam judicio trium marcarum, et totidem parti: istud facere tenentur, quod in Judicio Castren. inscripsit.

Casus de minorennibus pueris judicandis.

Item cum aliquis bona haereditaria vendet aut obligabit sive impignorabit alicui, et inscribet se pro defensione, et in hoc privaretur vita, filij ejusdem defuncti debent tueri residentem in bonis haereditarijs, et si annos discretionis non haberent non debet dari eis ad annos discretionis.

De bonis minorennibus pueris resignatis per pueros non inscribendis.

Item quemadmodum ex statuto communi tutores tenentur resignare bona puerorum dum habebunt annos quindecim, pueri vero bona sua accipiendi uti debent eis, sic nihilominus jure sit provisum, prout fieri consuevit, quod ipsi pueri bona vendere obligareque non debeant, sine consensu amicorum consanguineorum donec habebunt annos viginti quatuor transactos.

De inscriptione uxoris.

Item uxor marito suo nihil inscribat sine consensu amicorum, etsi inscribit illud nullius roboris sit.

De crinili nuptarum virginum.

Item dum aliquis copulat sibi matrimonialiter virginem seu puellam et privatur vita non reformans eidem uxori, extunc talis uxor accipiet pro crinili marcas triginta, aut possessionem ubi trium marcarum esset proventus, habebit tamdiu donec sibi persolvetur crinile tenendam, quae non tenetur equitare de bonis, ubi eam maritus morte reliquit alias *odumar!* usquequo dabuntur ei aut triginta marcae pro crinili, aut trium marcarum proventus alias censum sibi constituent mariti successores.

De ministeriali in primo termino ante responsionem dando.

Item cum aliquis aliquem citaverit pro aliqua re, pars citata, dicet: Domine Judex volo videre ministerialem, qui citationes portavit et cum ministerialem videbo, volo respondere quod juris erit, extunc non tenebitur respondere donec videbit ministerialem, qui citationes portavit, etsi actor protunc non habebit ministerialem, potest sibi differre, alias accipere ad proximos terminos pro ministeriali statuendo.

326

De tempore ad interrogandum in judicij servando et de interrogatione per partes non audienda.

Item cum Judex accipiet ad interrogandum aliquam dubietatem alias rem, ulterius protrahere non potest nisi ad tertios terminos, sed in tertijs terminis interrogationem dicere teneatur, et Judex Castren. in sedecim septimanis debet expedire interrogationem, et pro eo potest Judex moneri, si non expediverit interrogationem tempore medio ad interrogandum habito et praeterito; cum autem fit interrogatio partes nec interrogationi interesse nec eam audire debeant.

De literis per Capitaneos in tribus casibus ad querelam dandis.

Primo cum aliquis dominam dotem habentem expellit ex reformatione. Secundo cum frater fratri divisionem consentire non vult. Tertio cum aliquis aliquem expellit ex pacifica tenuta.

De executione rei judicatae.

Cum aliquis super aliquo rem habuerit judicatum alias perlucratu fuerit jus, et dabitur ad brachium Capitanei, extunc ille qui perlucratu est duabus vicibus, habet ad pignorandum duabus vicibus ad intromissionem et pro qualibet repercussione debet condemnare pro pignore et pro intromissione, et post hoc Capitaneus debet destinare cum eo auctoritate sua aliquem suo nomine et intromittere victorem, vadiumque imponere tenebitur.

De data, titulo et literis abecedarij citationes destruentis, nec ne.

Item pro data; titulo, pro proprio nomine nemo debet causam amittere, et si aliquis defectus esset in citatione aut in concitatione, succumbens poenam trium marcarum solvet, et de novo debet citare, si in verbo litera deesset, aut si litera abecedarij male scriberetur isto nil amittet aliqua partium.

De malo procuratorio.

Item aliquis manifestans se cum procuratore in judicio si malum procuratorium seu procuracionem habuerit, luit poenam in jure Terrestris trium marcarum, in jure vero Castrensi sex scottos, quam solus ipse Procurator solvet, non principalis suus, alias non ille, a quo causam dicit.

De citatione verbali, alias Nadworny Rok.

Item pro graniciebus pro haereditate nemo potest citare citatione verbali alias *Nadwornim Rokiem.*

De citandis verbaliter judicio alias de tactis.

Item dum aliquis tactus recedit a jure, debet condemnari in perlucro, pro quo tactus est, sed si pro poena tactus fuerit et recedit non satisfaciendo pro poena, extunc aliam poenam

327

succumbet videlicet marcas tres judicio, et parti, pro qua statim debet condemnari in perlucro.

De inhonorato judicio.

Item si quis judicium inhonoraverit, aut puerit se in mensa ubi judicant, poenam trium marcarum succumbet, pro quo debet satisfacere, sub alia poena quatuordecim marcarum non discedendo a judicio.

De coadjutoribus citatis et non recusatis.

Item si aliquem citabunt cum coadjutoribus, et ipse citatus non intercedit, non recusabit coadjutores, videlicet non dicet coadjutores non intercedo mihi similes et indissimiles, et alia pars interponet alias *zalozy ich*, ex eo quod coadjutores non recusavit, luet poenam a quolibet coadjutore sibi simili tres marcas, et indissimili sex scottos tam in jure Terrestris quam Castrensi.

De actore in termino volente probare contra citatum.

Item dum actor querulatur super citatum, post propositionem alias post querelam dicet, si id negabit volo id probare prout jus decernet nullum jus omittendo, et pars citata simpliciter negaverit, extunc propinquior est actor probare. Sed si etiam dicet pars citata, volo id evadere alias *odbyc* nullum jus omittendo prout jus decernet, tunc pars citata erit propinquior evadere exceptis articulis in statuto scriptis, pro quibus actori probatio debebitur contra citatum.

De actore condemnando.

Item in terminis condemnand. Castren. vel Terrestribus usque in fine actores debent condemnari, etsi citatus prius condemnaret actorem antequam jus admittet alios actores condemnari, actori condemnato nihil nocebit condemnatio.

De possessione in molendino et taberna non assignanda.

Item in tabernam, et in molendinum, nullus debet intromissionem dare, excepto quod aliam possessionem non haberet, extunc potest dare intromissionem in tabernam et in molendinum.

De dilatione termini, per infirmitatem dum inscribitur non differendus.

Item si aliquis alicui se inscribet quamcunque rem evincere seu ratificare, alias *xiscyc*, et inscribet se terminum non differre, alias non reponere, talis non potest simplici infirmitate terminum differre, alias reponere, excepta vera infirmitate, pro qua debet jurare juxta statutum quod infirmabatur.

De minuta non sigillata nihil probante.

Item simplici minuta nihil probari potest sed tantummodo literis aut minuta sub sigillo aut libris coram judicio.

De iniusta concitatione ad satisfaciendum.

Item concitatus ad satisfaciendum, non potest aliquod sibi in auxilium recipere contra actorem, excepto quod codemnatio minus justa esset in perluero, vel si nomen aliud esset scriptum in citatione quam in concitatione, etsi concitatio ex hoc esset mala, videlicet ex conditionibus superius descriptis, tunc actor amittit id pro quo citavit.

De impossessionatis citandis.

Si impossessionatus seu *ndartus*, alias *hołota* cuiuspiam reus esset in aliquo, respondebit cui libet in iudicio Castren. pro re qualibet. Item, si aliquis culpabilem in aliqua sua re impossessionatum hominem arrestaverit apud possessionatum quam arrestationem facere debet cum ministeriali veniens, tunc ille possessionatus tenetur in una septimana illum impossessionatum coram Capitaneo statuere, qui impossessionatus statutus coram Capitaneo fideiussores pro se daturus seu sessurus parebit juri; etsi idem possessionatus illum impossessionatum non statuet, tunc solus ipse possessionatus respondebit actori pro re, pro qua impossessionatus est culpatus. Item si homo impossessionatus non posset arrestari in alieno loco, tunc in qua parochia aliquando erat possessionatus, in illa contra eum debent poni citationes, ibique ministerialis clamabit quod contra talem, A. b. impossessionatum, citationes ponuntur, quae talium citationum in parochijs positio haecedi bonorum illorum ubi est parochia nihil nocere debeat.

De actore citante et non continuante processum iuris.

Item aliquis aliquem citando si condemnaverit una vice, et ulterius nihil faceret usque ad decursum unius anni et sex septimanarum. Item si etiam aliquis aliquem citando in termino nihil faceret contra partem citatam, etsi etiam pars citata nihil faceret, sicque si terminus lapsus esset, alias *przepelnie*, si actor intra cursum ejusdem temporis unius anni et sex septimanarum ad terminum lapsum nihil faceret, tunc decurso isto tempore amittit actor id pro quo citabat, excepto quod iudicia ex aliqua necessitate suspensa fierent, tunc citationi actoris prorogatio longi temporis nihil nocebit.

De citatione super citationem facta.

Item si quis importaverit citationem super citationem pro una re, tunc luens poenam trium marcarum iudicio, et totidem parti, citationem unam destruat, seu una citatio ejusdem sit nulla.

De abrenuntiatione proprii Districtus.

Item si quis renunciabit Terrae et proprio Districtui, debet respondere ibi, ubi renunciando se inscripsit, et cum super tali res obtinebitur iudicata, alias perluerabitur, idem qui jus perduxit, equitabit ad Capitaneum illum, sub quo

manet victus, Capitaneus tandem illo executionem facturum sit rei iudicatae, alias illorum perluerorum in alio Districtu jure obtentorum.

De termino facietenus alias facionato.

Item terminus facietenus datus, alias qui facionatus dicitur in una septimana dari debeat, sic dum res aliquae arrestantur cum ministeriali, tamen si non restituit ille apud quem sit arrestatio, ponit terminum ministerialis illi, apud quem est arrestatio facta comparandi coram Capitaneo in una septimana.

De nobilibus quo numero cum ministeriali habendis.

Item dum actor aliquis testificatur aliquid coram ministeriali seu per eum, tunc actor ipse nobiles duos habiturus est cum ministeriali, sed cum ministerialis cum citatione equitat, tunc sufficit eum nobilem habere unum.

De corilo.

Item si aliquis aliquem provocaverit in lito pro corilo alias *zalaska* pro perditione ac pro lucro, sive tres marcas sive sex scottos proponet ad corilum, tunc provocatus ad corinum arbitrium habebit eligendi, ut sumat corilum sive pro tribus marcis sive pro sex scottis.

De iudicio pro pecore in damno abacto.

Item si aliquis alicui pecus detinet, alias *zaymie* de damno, et noluerit illud dare ad fideiussionem, cum fuerit monitus per nobiles et ministerialem, pro tali non datione debet citari ad jus Castrense et luens poenam trium marcarum debet dare pecora ad fideiussionem, cum deducetur prius quia illud dare noluit ad fideiussionem, fit autem istud ideo ut pecora non destruerentur propter longam detentionem et item ea ratione quia jure Terrestri non cito adiri posset restitutio pecoris illius abacti, pro poena autem illa iudicium Castrense iudicabit, sed pro damno illato iudex Castri partes ad jus Terrestre remittet.

De pecore dato ad forestam Regiam dum per nullum cuius esset fide iubetur.

Item si aliquis pecus alienum in damno abegerit, aut simpliciter servaverit, teneatur illud dare in triduum ad forestam Regiam alias *do obory*, ubi si aderit Dominus pecoris dabitur sibi ad cautionem fideiussoriam, et pro damno remittentur partes ad iudicium Terrae. Si autem dominus pecoris non esset, tunc cum pecus daretur ad forestam Regiam, tunc iste qui servat abactum pecus fideiubebit, quod fideiussione facta dandum erit ei viceversa, servandum in cautione fideiussoria ad duas septimanas quibus decursis iterum pecus praesentabit in foresta et iterum Burgrabius forestae restituet ei pecus in cautione fideiussoria per alias duas septimanas, fieri autem istud potest ad alias tertias duas septimanas, videlicet pro tertia vice fideiubendo et pro qualibet vice abactor seu conservator pecoris dabit Burgrabio

feronem juris Regij, in ultimis duabus septimanis conservatori in cautione praefixis, si dominus pecoris veniet dandum sibi erit pecus in cautione fideiussoria pro damno vero remittantur partes ad jus Terrestre, si non veniet dominus pecoris, tunc conservator pecoris praesentando pecus Burgrabio in foresta habebit medietatem pecoris tanquam jure lucrata et medietas debetur mensae Regiae seu ad mensam Regiam. Cum autem fit ipsa pecoralis divisio inter partem Regis et partem conservatoris, conservator et pro damno et pro illis tribus fertonibus, pro jure Regio in foresta datis medietate contentus sit pecoris seu pecudum.

De non dato pecore ad forestam Regiam.

Item si aliquis alicujus pecora habuerit quocumque modo et ea non dederit ad forestam Regalem, alias *do obory* ad diem tertium, tunc si apud eum arrestabuntur per ministerialem et per duos nobiles, citatus in Castro respondebit et restituet pecora cum poena trium marcarum. Sed iudex Castri pro damno partes non iudicabit sed remittet ad Terrae iudicium.

De arrestandis pecunijs.

Item homini possessionato non debent pecuniae arrestari, excepto quod si minorem possessionem haberet quam illud pro quo citatur tunc pecuniam fideiubebit ex arresto, quia videlicet parebit juri et iudicatis.

De mutuatis pecunijs iure repetendis.

Item si aliquis alicui pecuniam mutuaverit et inscriptionem non habuerit citaveritque mutuatarium, tunc mutuatarius alias citatus iuramento praestito ab instantia petentis et debiti petitione absolvetur.

De testimonio ministeriali de alia Terra in aliam faciundo.

Si alicui necesse fuerit ministerialem producere ex alia Terra in aliam Terram, et non poterit ministerialem educere, tunc illum debet ducere ad iudicium Castrense illius Districtus ubi est ministerialis, ibique idem ministerialis debet facere recognitionem et ille cui debet recognitio esse literas accipiat a iudicio illo, ubi fit recognitio ad alium iudicium ad quod ducendus erat ministerialis, quae literae sint sub sigillo iudicij illius vel Capitanei ubi recognovit, et tandem talibus literis credendum erit, uti ministerialis personaliter stetisset et recognovisset.

De intercisus citationum componendis.

Item dum aliquis fuerit citatus ad quodcumque jus et pars vult videre se concordant intercisae, tunc citationes componendae erunt, et si sunt conformes earum intercisae, valet citatio, nam si intercisae sunt non uniformes alias si non concordant, tunc actor amittit causam suam, ex eo quia praesumitur falsificatio commissa.

De concitatione non scribenda ad respondendum iudicialiter.

Item in concitatione non judicialiter respondens, sed judicialiter satisfactorius scribi consuevit, et scribendus est.

De petitione insimul et condemnationis et poenae.

Item dum aliquis postulat et condemnationem alias *odbycia*, et poenam pro citatione mala, non condemnationem neque utrumque sed poena duntaxat decernatur petenti.

De intromissione cui in inscriptione debitor abrenunclat danda cum poena.

Item cum aliquis citatus fuerit pro quacumque re, pro qua non inscripserat se, ipse autem citatus nolens admittere se damnificari dat circa iudicium intromissionem, tunc suscipienda est intromissio per citantem, sed si citatur aliquis pro re vel pro debito inscripto sic, quod inscriptionem fecerat quia debuit solvere non dando intromissionem sed principale seu originale debitum soluturus esset prout se inscripsit; talis si citatur in termino non satisfaciens, si intromissionem actori dare vellet, cui dandae intromissioni citatus in sua inscriptione abrenunclavit, decernendum est quod citatus non aliter quam cum triplici poena trium marcarum intromissionem dabit in re debita usque ad satisfactionem, et pro ipsa re principali et pro poenis faciendam, quam intromissionem actor cum triplicata trium marcarum poena recipere teneatur.

De termino pro maiori dari solito.

Item dum aliquis differt terminum pro majori dicens quia in iure alio pro majori haberet actionem danda, erit dilatio propter majorem actionem, atamen termino adveniente ipse differens terminum, probabit literis testimonialibus judicialibus quod pro majori habuerit tunc actionem, quibus si caruerit amittet causam pro qua citatus terminum pro majori differebat.

De condemnatione iniusta.

Item dum aliquis aliquem condemnaverit iniuste condemnatus arrestabit condemnationem in libro, et si citaverit pro iniusta condemnatione, tunc ille qui sic condemnavit debet luere poenam trium marcarum et condemnationem describere de libro, sed si condemnatus non arrestaverit condemnationem, tunc ille qui condemnavit potest describere sine poena.

ALEXANDRI REGIS**ADMONITIO AD CONSVETUDINES JURIS UBIQUE TERRARUM HABENDAS.**

Puncta suprascripta Nos Alexander Dei gratia Rex, ex consuetudinibus tam Terrestribus quam Castrensis iudiciorum Terrae Cracoviensis collegimus quae iuri corporis adscripta decernimus in Terra Cracov: pro plebiscito privato Terrae ejusdem tenendo perpetua. Quod decre-

tum nostrum etiam universis alijs Terris praesentium tenore innotescimus consultiue hortando, ut pro justitiae cultu conservationeque aut istas approbent, aut instar istarum suas scribant in papyri literis, quam in numero XII foliorum isto loco relinquimus et cuilibet Terrarum eadem folia damus, sic tamen ut dum reliquae Terrae suas scripturae essent consuetudines, primum eas Nobis vel Successoribus nostris offerent, per Nos in stylum congruentem redigendas, quas tandem in stylum redactas, Nos vel Successores nostri ad libros statutorum praesentium in Terra ipsa de qua consuetudines Nobis porrectae essent existentium in XII folijs praedictis fideliter scribendas restituri sumus Successoresque nostri restituent, per appositum Majestatis Regiae decretum, emendatas, moderatas et approbatas.

ALEXANDER REX

INSERIT STATUTO ŁASKI FORMAS JURAMENTORUM.

Regis iuramentum quod etiam Nos Alexander praestitimus.

Ego A Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, etc. Dominus et haeres. Juro, spondeo, et promitto ad haec Sancta Dei Evangelia, quod omnia jura, libertates, privilegia, literas, immunitates Regni Mei Poloniae Ecclesiasticas et saeculares, ecclesijs, Regno quoque Poloniae, ejusdemque Praelatis, Principibus, Baronibus, nobilibus, civibus, incolis, et quibuslibet personis, cujuscunque status ac conditionis existentibus per divos Praedecessores Meos, Principes, Reges, et quoscunque Dominos ac haeredes Regni Poloniae, praesertim vero Divos Casimirum antiquum, Loysch, Vladislaum Avum, Vladislaum Patrum, Casimirum Patrem, et Joannem Albertum germanum Meos, Reges Poloniae, justas et legitimas donatas, manutenebo, servabo, custodiam, et attendam, in omnibus conditionibus, aut punctis, et omnia illicite ab eodem Regno alienata, aut distracta pro posse Meo, ad proprietatem ejusdem Regni Mei aggregabo, terminos etiam Regni Mei Poloniae non minuam, sed pro posse Meo defendam et dilatabo, sic Me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

335

Juramentum Consiliariorum Regni.

Ego J juro, quia Serenissimo Principi et Domino, Domino A Regi Poloniae fidelis ero, pro ejusque Majestate et Republica Regni sui fideliter consulam, secreta quae mihi per suam Majestatem et Consiliarios ejus dicentur contingentia vel Majestatem Regiam, vel Rempubicam, aut utrumque nemini in jacturam Regiam et Reipublicae pandam, et pro posse meo utilitates Regiae suae Majestatis Regni et Reipublicae augmentabo, quidquid vero scivero, intellexero,

aut sensero, suae Majestati Regiae Regno et Reipublicae nocibile et damnosum praecustodiam, et ne fiat, me opponam et illud avertam, sic me Deus adjuvet, et hoc Sacrum Evangelium, aut haec S. Crux.

Juramentum Magistri Generalis In Prussia et Comendatorum ejus.

Ego L Magister Generalis Ordinis Sanctae Mariae Virginis Theuthonicorum Princeps et Consiliarius Regni Poloniae juro, quod ab hac hora et deinceps fidelis ero Serenissimo Principi Domino K Regi et Successoribus suis Regibus et Regno Poloniae et profectum illorum fideliter procurabo, et negotijs Regis et Regni fideliter consulam, et secreta quae mihi qualitercunque communicata fuerint, in eorum detrimentum nulli pandam, pacem insuper perpetuam in omnibus suis conditionibus et articulis observabo et custodiam, sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Crux.

Juramentum Palatini Moldaviae.

Gratiosissime Rex, ego homagium praesto, et juro ac etiam promitto fideliter sine dolo et fraude Vestrae Serenitati Successoribusque Serenitatis Vestrae Regibus et Sacrae Coronae Regni Poloniae, cum omnibus Terris, Baronibus et hominibus meis fidelitatem, esseque fidelis et obediens Serenitati Vestrae, Successoribus et Coronae Poloniae Regni, sic me Deus adjuvet et Sancta Crux.

Juramentum quod Walachi praestare consueverunt Regi et Regno Poloniae.

Nos Barones Vasalli, et tota Terra Moldaviae, praestamus homagium, nostro et totius Communitatis Terrae Moldaviae nomine Serenissimo Principi Domino Casimiro et Successoribus Regibus Poloniae et Coronae Regni P. promittimusque et juramus omnem fidelitatem, subjectionem, et obedientiam in perpetuum Serenitati suae Regno et Regibus Poloniae, ita nos Deus adjuvet, et Sancta Crux.

Iuramentum Ducis Zatorien: fol. 245 et Terrigenarum Ducatus Zatorien: fol. 246 *)

Forma juramenti per Consiliarios Terrarum Prussiae secundum ius et necessitatem Terrae.

336

Juro, quod nunquam scienter ero in consilio, auxilio aut facto in Tuam laesionem, injuriam aut contumeliam, aut honorem quem habes, vel habiturus sis, etsi contra aliquid audivero pro posse meo, ut non fiat, impedimentum praestabo, aut Tibi quantoties potero nuntiabo, secreta mihi manifestata, sine Tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur faciam, similiter Tibi et Reipublicae consulam, prout videbitur magis expedire, et nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertinet ad Tuam vel Reipublicae contumeliam vel jacturam.

*) In nostra editioe vide fol. 112 et fol. 113. (Adnot. editoris.)

Forma juramenti inscripti quo Consiliarij Terrarum Prussiae in medio Consilij jurant.

Ego A juro Serenissimo Domino, Domino Regi Poloniae etc. et Successoribus suis, fideliter consulere pro honore et statu suo Regali, ac proventibus Suae Majestatis, ac pro communi bono Terrarum Prussiae et Regni Poloniae, Consilium Suum secreta tenere, et cum in omnibus praecustodire, sic me Deus adjuvet, et haec S. Crux.

Consules civitatum earundem et Terrarum ac nobilitum communitas in solio Majestatis iurabunt forma infrascripta.

Ego N juro, quod Serenissimo Principi et Domino Domino A Regi Poloniae etc. et suis legitimis Successoribus Regibus primoque coronatis fidelis ero, suaeque Serenitatis honorem, statum Regium et commodum Reipublicae, Coronae et Terrarum Prussiae, pro posse meo procurabo, suam Serenitatem de omnibus damnis quae scivero avisabo, et ea manifestabo fideliter, sic me Deus adjuvet etc.

Capitanei et Tenutarii Castrorum sic iurant.

Ego B juro, quod fidelis ero in Castro Tenutae meae, illudque servabo fideliter Serenissimo Principi et Domino Domino etc. Regi Poloniae, et suis legitimis Successoribus Regibus Poloniae, tranquillitatem et securitatem viarum et justitiam tuebor, et Generali seu Supremo Terrarum Prussiae officiali obediens ero, sic me Deus adjuvet, et haec S. Crux.

337

Juramentum Burgrabii Gedanensis.

Ego N juro, quod fideliter jus Regum tuebor, et quidquid ad jus et personam Majestatis Regiae pertinet attendam, et attentabo, agam et procurabo, aequae bene pauperi sicut diviti justitia ministretur, sic me Deus adjuvet et haec S. Crux.

Juramentum ministerialium quando tonduntur per Palatinum.

Ego B exnunc et in antea fidelis ero Serenissimo Domino meo Regi etc. negotia judiciorum mihi commissa et credita et citationes fideliter faciam super quibuscunque negotijs, postquam in testimonio requisitus fuero, fideliter recognoscam, non amore, odio, pretio, vel favore sed pro Deo et justitia nec ero consentiens cuiusque malitiae, quae posset quoquomodo opprimere veritatem, obediens etiam ero iudicio Regali, omnia mihi commissa per Dominos Palatinos et alios officiales Judicij Terrestris fideliter recognoscam, nec promovebo falsam causam, et omnia mihi commissa fideliter, absque dolo et fraude promovebo, ita me Deus adjuvet et Omnes Sancti.

Judaeorum iuramentum contra christianos.

Quod judaeus debet converti contra solem

seorsum, et stare nudipes super unam sedem, indutus pallio aut chlamide, et pileum judaicum, debet in capite habere, et si lapsus fuerit ter, totidem amittit fertones, si quarto, manet reus in causa, tunc dicat is, qui sibi iuramentum narrare debet seu praedicare, Helya Judaeae ego te moneo, per has tres literas, et per hanc legem quam Deus dedit Moysi in tabula lapidea in monte Synai, quod liber iste aut Rodale hoc, verum et justum sit, super quod tu judaeae jurare debes huic vero christiano, pro tali culpa sive causa pro qua duxit te ad iudicium.

Et praedicetur ei iuramentum sic. Quod tu in hac causa non es reus, pro qua hic christianus te inculpat, ita te Deus adjuvet ille, et idem, qui coelum et terram fecit, aeraem et rorem, montes cum vallibus, flores et gramina, et si tu reus sis, quod te lepra et venenum invadat, quae precibus Helizei Naaman Sirum dimisit, et Jezy invasit, et si tu reus sis, quod te ignis coelestis comburat, et morbus invadat caducus, et fluxus sanguinis, et si tu reus fueris quod tu pereas in anima tua, et in tuo corpore, et in tuis rebus, et ut tibi accidat sicut uxori Loth accidit, quae mutata fuit in statuam salis, quando Sodoma et Gomorra periit, fiat et tibi. Et si tu reus es, ut nunquam ad Sinum Abrahae venias, ubi christiani judaei et gentiles ante Creatorem omnium rerum resurgent, et si tu reus es, quod te lex Moysis deleat in monte Synai, quam Dominus dedit Moysi, quam solus Deus digito suo scripsit in tabula lapidea, et si tu reus es, quod te confundat omnis scriptura, quae scripta est in quinque libris Moysi, et si tuum iuramentum non est justum, nec mundum atque verum, quod te Adonay deleat, suae Divinitatis potentia, et te suscipiant diaboli, et deducant te in aeternam damnationem, in saecula saeculorum Amen.

338

ALEXANDER REX.

CONDEMNAT ALIQUOS ARTICULOS JURIS SAXONICI, QUOS GREGORIUS SUM: P. CONDEMNABAT.

Summus Pontifex Gregorius reprobat certos articulos juris Saxonici et Magdenburgensis tanquam huiusmodi contrarios.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Rigensi ejusque Suffraganeis salutem et Apostolicam benedictionem. Ad reverentiam Dei, extirpationem errorum, et exaltationem catholicae fidei atque justitiae, et animarum salutem. Quaedam execrabilia scripta leges seu speculum Saxonum appellata, multa examinatione et maturitate in hac parte praehabita, auctoritate Apostolica reprobamus, damnamus, et decernimus irrita et inania, et carere omni robore firmitatis, prout continetur in nostris literis inde confectis, quarum tenor est talis.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Salvator humani generis Dominus noster Jesus Christus, cujus licet indigne vices gerimus, cernens ipsum genus humanum, quod ad delicias paradisi creaverat, ex lapsu protoplasti diabolica fraude deceptum per peccatum inobedientiae corruisse, et quod futurorum praescius, praevidebat inter statutum purissimum triticum hostem invidum seminaturum zizania, et inter sancta profana, inter sincera fermentum, et inter recta iniqua, hostilibus calidisque machinationibus et astutijs positurum, cultores agri sui constituit, videlicet B. Petrum Principem Apostolorum, cui et successoribus suis per eundem tradidit plenissimam potestatem, aliorumque Apostolorum et Discipulorum successoris scilicet ecclesiarum Praesules, qui super natum evellerent lolium ne inficeret semen bonum. Ideoque ad nostrum principaliter, aliorumque Praelatorum ecclesiae Sanctae Dei spectat officium, ut animarum saluti solerti solitudine intendentes et agrum huiusmodi prout expedit saepius expurgantes, ea quae noverimus humanae salutis contraria studio Pastoralis solitudinis evellamus. Sane fide digna et admodum molesta, pluriesque inculcata relatio plurimorum ad nostrum perduxit auditum, quod in Saxonia, et nonnullis alijs partibus quaedam detestabilia scripta, leges, seu speculum Saxonum vulgariter nuncupata, et inferius annotata, apud nonnullos nobiles aut plebeos reperiuntur, quae iudices et incolae pretium eorundem, omissis Canonibus, alijsque scripturis Sacris contemptis, quae naturae legibus ac civilibus, et bonis moribus proculpulsis, et longis retroactis temporibus observarunt et observant etiam de praesenti. Ex quorum quidem observantia Deus offenditur, proximus gravatur, vera justitia et aequitas dissipatur, Canones et leges contemnuntur, etenim iudicium enormiter subvertitur, veritas impugnatur, contra bonos mores et legem naturae agitur, deonestatur honestas, libertasque ecclesiastica conculcatur, et quod est deterius, Apostolica denegatur potestas, et veritati catholicae fidei derogatur. Nos igitur de his tanto dolentes amarior, quanto exinde, illa servantium animae longioribus temporibus, strictioribus laqueis fuerunt alligati, et propterea paternis desiderantes affectibus tot et tantis malis periculis obviare. Ne nobis praedicta dissimulantibus, sanguis per ipsa peccantium de nostris manibus a Domino requiratur, ipsa scripta seu leges quae nos mature vidimus, et per nonnullos ex Fratibus nostris Sanctae Romanae ecclesiae Cardinales et alios in Sacra pagina Magistros, ac utriusque Juris Doctores diligenter examinari fecimus. Habita super ejus deliberatione matura, tanquam falsa, temeraria, iniqua et injusta, et in quibusdam haeretica et schismatica, et contra bonos mores existentia, periculosaque animabus, de ipsorum fratrum nostrorum consilio, autoritate Apostolica tenore praesentium reprobamus, damnamus, et decernimus irrita et inania, et carere omni ro-

bore firmitatis, necnon processus et sententias, si quas forsitan ipsarum reprobatarum, scripturarum legum praetextu fieri contingit, in posterum penitus non valere. Universis Christifidelibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsis scriptis et legibus reprobatis de caetero non utantur, sed domini terrarum tam ecclesiastici, quam saeculares suos uti subditos non permittant, alioquin contrarium praesumentes, cujuscunque praerogativa, dignitatis, status, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, vel Imperiali, aut Regali, vel alia qualibet praefulgeant dignitate, excommunicationis sententiam incurrere, volumus ipso facto. Et ut reprobatio, damnatio et mandatum nostrum huiusmodi tam salubrem effectum irrefragabiliter consequatur, universos et singulos ac dominos temporales, tam ecclesiasticos, quam etiam saeculares per praesentes requirimus et rogamus, ut per eorum constitutiones et statuta perpetua ordinent et mandent sub gravius temporalibus poenis, quod nullus subditorum suorum deinceps utatur his reprobatis scriptis, seu legibus memoratis, ipsasque in contrarium facientes taliter exequantur, quod eorum scriptorum seu legum detestanda iniquitas de terris eorum totaliter extirpetur. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostrae damnationis, prohibitionis, constitutionis, mandati, voluntatis et requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Dei Omnipotentis, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Avinion: vi. Idus Aprilis Pontificatus nostri anno tertio.

Ad idem.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Charissimo in Xsto filio Carolo Romanorum Imperatori et semper Augusto salutem et Apostolicam benedictionem. Fili charissime jam longum tempus est et praeteritum, quod de erroribus, et de execrabilitate quorundam scriptorum detestabilium quae leges seu Speculum Saxonum appellantur, quibus nonnulli de partibus tuarum Imperij et Regni terrarum uti seu potius abuti dicebantur, per fidedignas et intelligentes personas fuimus informati, et petium fuit a nobis ad quos spectat de talibus providere, ut super eis ad salutem animarum promissionem adhibere dignaremur. Nos scripta ipsa mature vidimus, et per nonnullos tam fratres nostros Sanctae Romanae ecclesiae Cardinales, quam per alios in Sacra Theologia solennes Magistros, ac utriusque Juris Doctores examinari fecimus diligenter, et illa ex eis quae falsa temeraria, et schismatica contra bonos mores existentia, et periculosa nimium animabus fore reperimus, autoritate Apostolica reprobamus, condemnamus, et decernimus irrita et inania, et carere omni robore firmitatis, prout ex nostris literis inde confectis, quarum tenorem praesentibus inclusum quasque Venerabilibus Fratibus nostris Maguntinen: Colonien: Sremen: Madeburgen: Pragensi et Ri-

gen: Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis dirigimus, videre poteritis plenius contineri, quare devotam excellentiam tuam, quae Sancta, justa et honesta veneratur et colit, ac contraria detestatur, requirimus et rogamus attentius, quatenus in publicatione dictarum literarum, et ut pareatur contentis in eis, digneris pro Reverentia Dei, et Apostolicae Sedis et nostra, dictaque animarum pro salute et reformatione morum tuae Imperialis et Regalis potestatis favorem efficaciter impertiri. Datum Avinion: Idus Octobris Pontificatus nostri anno tertio.

341 **Quatuordecim articuli erronei juris Saxonici seu Theutonici et Maydeburgen: per sedem Apostolicam condemnati, tanquam juri Naturali et Divino contrarii, quos etiam Nos Alexander Rex Apostolico decreto innitentes reprobamus, condemnamus, nulliusque roboris et momenti decernimus perpetuo, ac per quoslibet Iudices et subditos nostros ubilibet in dominijs nostris consistentes districtius sub poenis nostris eosdem teneri inhibemus.**

Primus articulus continet. Quod quidquid homo fecerit extra iudicium quantumcunque hoc sit notorium se liberare poterit per suum juramentum, nec contra talem valet aliquod testimonium. *Secundus* articulus: Papa non potest, nec aliquis alius Dominum Imperatorem excommunicare, postquam consecratus est et unctus, nisi solum in tribus casibus, si dubius sit in fide, si repudiat uxorem suam legitimam, si destruat ecclesiam. *Tertius* articulus: quod excommunicatio neminem debilitat in jure terrae seu feudi, nisi sequatur regularis proscriptio. *Quartus* articulus: quod Papa non potest aliquomodo ius condere, vel statuere, per quod valeat jus nostrum, hoc est statutum terrae vel feudi Saxonum deteriorari. *Quintus* articulus: quod nulla sententia tam justa dari potest in Saxonem, coram Rege vel iudicio Regali, quin si velit Saxo, talem sententiam reprehendit testans in manum suam dextram, et majorem communitatem metseptimus pugnare volens contra septem alios pro dicta sententia, tunc ubi major pars triumphaverit, talis sententiam obtinebit. *Sextus* articulus: quod si quis fuerit interfectus spolio vel furto, pro quo consanguineus interfecti se praebeat ad duellum, talis per duellum repellit omne testimonium, nec talis mortuus sine duello poterit vinci seu convinci. *Septimus* articulus: quod si duo dictant in iudicio simul contrarias sententias, tunc quicumque talium habuerit majorem sequelam, talis sententiam obtinebit. *Octavus* articulus: quod quicumque fuerit appellatus ad duellum secundum istius libri formam, talis non potest denegare duellum, nisi appellans eum sit minus bene natus quam appellatus. *Nonus* articulus: quod quicumque perdit jus suum, ratione furti vel spoliij, talis accusatus secundo de furto vel spolio, non potest se liberare juramento suo, sed dilationem habet ad ferrum ignitum, aut aquam bullientem, vel ad duellum, huius quidem articuli pars ultima, quae ad fer-

rum ignitum et caetera electionem concedit, est erronea. *Decimus* articulus: quod quicumque cognoverit aliquam faeminam si postea ducat eam in matrimonium nunquam ex ea poterit prolem legitimam generare. *Undecimus* articulus: quicumque cognoverit publice uxorem alicujus vivente marito, si post mortem mariti illius talis eam ducat in uxorem, nunquam ex ea prolem legitimam generabit. *Duodecimus* articulus: quod haeres non tenetur de furto vel spolio perpetrato, per illum cui succedit in haereditate respondere, quod erroneum est saltem in foro conscientiae. *Tredicesimus* articulus: quod quicumque succinctus cum gladio clypeum tenens, non potest de ligno vel lapide pollicis ulnam quantum ad altitudinem habentem supra dextrarium scandere, talis non potest cedere, dimittere, vel infeudare, vel etiam mobilia bona alicui dare, sic iste quod custoditus sit, qui talia post mortem dantis expectat, iste articulus est erroneus, in quantum elemosynas, testaments, et alia pietatis opera prohibet. *Decimus quartus* articulus est: quod nullus sine licentia suorum haeredum, sine iudicio bannito, quod Saxonice dicitur, *geheget ding*: potest dare proprietatem suam, vel suos homines, et si talia daret alicui, haeredes acquirunt ista per iudicium, ac si dans illa mortuus esset, isti duo articuli sunt erronei in quantum elemosynas et alia opera prohibent.

Haec in quadam extravagante Beati Gregorij Papae Noni ponuntur et reprobata sunt pro eo, quod non continent conditiones suppositas, ad legem requisitas, sed magis militant contra pietatem et salutem animarum.

PROCESSUS JURIS

A JOANNE LASKIO CONFECTUS JUSSU ALEXANDRI REGIS.

Instructio ad conservationem terminorum ac ad processum executionis iudicatorum.

Quamvis fere in universis Terris Regni Poloniae diversa observentur tempora celebrandorum terminorum seu Iudiciorum Terrestrium, prout in quibusdam, quater in anno videlicet super quacumque quatuor tempora, in aliquibus vero crebrius iudicia fiunt. Tamen qualitercunque observetur differenter consuetudo ipsa temporum, nihilominus Sereuissimus Dominus noster Alexander Rex decrevit scribendam conservandorum terminorum, et totius processus iudicarij instructionem, per quam instructi essent iudices ad servandum rectum et conformem ordinem in terminis conservandis et processu iudicarij, et praesertim circa executiones iudicatorum, sic ut infra sequitur.

Primus terminus.

Differtur simplici infirmitate per citatum, et si in eodem primo termino citatus non compa-

reret, extunc in primo termino condemnatur in poena contumaciae, alias in poena non paritionis.

343

Secundus terminus.

Differtur per citatum vera infirmitate, et in tertio termino cum duobus testibus vera infirmitas juramento probatur, sic ut nec Judex, neque actor dubitare reum tunc infirmum fuisse, fit etiam istud quod si secundo secunda citatione citatur citatus, tunc eandem dilationem verae infirmitatis habet terminus ipse secundus.

Tertius terminus.

Saepe autem contingit tertium terminum, alia vera infirmitate differri, sic quod diceretur in termino, sic jacet, ita jacet, et adhuc non convaluit, nihilominus tamen in quarto termino cum duobus testibus juramentum facere debet, sic quod tunc erat infirmus, et ex ipsa infirmitate non convalescens in ipsa infirmitate tunc infirmus jacuit.

Quartus terminus.

Quartum terminum judicia conservant interdum pro majori (qui quo ad dilationem fit ultimus) qui terminus pro majori potest differri ante veram infirmitatem, aut post, quod quidem pro majori jus commune diffinit sic dum in alio Judicio Terrae cujuscunque Regni Poloniae eodem die pro negotio majori terminum haberet citatus, tamen quocumque terminus pro majori recipitur, sit ultimae dilationis, cujus etiam natura et proprietates isto modo declarabitur, citatus terminumque pro majori reponens, eodem die debet habere coram alio Judice terminum, pro majori summa, quam sit actio, occasione cujus fit dilatio majoris, et debet notari istud in dilatione pro majori, videlicet ubi est actio, cum quo ex nomine, pro quanta summa, coram quo Judice, veniente enim termino dilationis debet portare literam ab illo judicio ubi tunc se asserebat, pro majori actionem habere sub sigillo illius Judicis, in qua litera contineatur actio, cum quo et pro quanta summa, tunc causa majoris vertebatur, quam testimonij literam sic producet citatus in termino, per dilationem sibi dato, et non succumbet in dilatione inquietus pro majori faciendo, sed si literam hujusmodi non portaverit, aut portatam in aliqua parte eorum, quae debeant contineri ut praefertur insufficientem produxerit, tunc citatus actionem suam amittit, et totaliter perdit.

Ad idem.

Non constat vero in Judicijs Terrestribus et Regijs, Regni Poloniae plures unquam fieri terminorum dilationes, itaque de terminorum observatione hactenus dictum.

344 **Processus in re iudicata quae vulgari nostro in iudicijs et extra ea perlucra dicuntur.**

Tametsi constitutiones satis, superque doceant

nos, qualiter jure processuri sumus, dum actiones incumbunt nobis, tamen quia nonnunquam fiebant dubia in processu ipso etiam apud juris doctos, practicam tamen ejus non habentes, quapropter Sacra Majestas post descriptam terminorum conservationem, mandavit describi communem in re iudicata, ejusque executione, practicam infra scriptam.

De re iudicata.

Rem iudicatam duobus modis scimus jure obtineri, aut enim fit, per sententiam definitivam, aut dum citatus in termino peremptorio, in lucro condemnatur.

Ad idem.

Si per sententiam definitivam, tunc fit etiam dupliciter, aut sit praesens citatus circa iudicium, aut sit absens, sed per procuratorem cum procuratorio sententiam definitivam contra se, jure decernente scit reportari. Si praesens erat citatus contra quem sententia definitiva promulgatur, tunc aut satisfacit, ut juris est rei iudicatae, aut rebellis a iudicio, absque paritione recedit, si satisfactorius, aut sententiae pariturus erit, faciet istud commode, aut per cautionem fidejussorialem, aut per certam inscriptionis obligationem, aut per bonorum obligationem.

Ad idem.

Si autem rebelliter a jure recedit, nulla satisfactione rei iudicatae aut paritione facta, extunc per actorem condemnatur in poena trium marcarum, quae dicitur *piatnodziesta* parti, et alia poena simili iudicio, propter quam rebellionem rei iudicatae, quod jure convictus non satisfecit, sed a jure rebellis recessit condemnatur uno et eodem actu, Regiae Majestati in poena quatuordecim marcarum, quae dicitur *siedmodziesta*, et ministerialis datur de iudicio ad pignorum eundem convictum in bonis suis, in perlucris et poenis supra scriptis.

Ad idem.

Adveniente tandem proxime futurorum aliorum terminorum tempore, actor coram iudicio, ministerialem statuet, et recepta a ministeriali recognitione, petit iterum dari ministerialem ad intromissionem, cui petenti datur idem ministerialis, in perlucris ad intromissionem in bona convicti.

Ad idem.

In alijs proxime futuris terminorum iudicijs, tanquam in ultimo et finali termino, si ministerialis coram iure recognoscet quia intromissio ad quam fuerat per iudicium additus, denegata fuit, tunc primum datur ad brachium Regale, et de illo iudicio ubi causa agebatur, remittitur actor, et convictus cum suis perlucris, per literas executoriales ad loci Capitaneum, ad intromittendum eum de brachio Regali.

345

Ad idem.

Si autem citatus non est praesens circa iudicium, sed suus procurator, cum procuratorio, dum sententia definitiva, contra ipsum promulgatur, tunc insuper sit unus terminus essentialis, videlicet concitationis, quem in aliquibus Terris Regni sic interpretantur vulgari, uti latinum sonat, in alijs vero dicitur vulgari nostro *przypowieszczony*, ad satisfaciendum pro re iudicata, seu perlucris, et iure acquisitis, ea ratione, quod fortasse nollet scire convictus in iudicio absens de re iudicata, ideo concitatio ad hoc est in terminos iudiciorum introducta, tanquam munitio et avisatio (ut ille qui est convictus, et contra quem absentem, sed per procuratorem suum comparentem, in sui absentia, sententia definitiva prolata fuit) pareret rei iudicatae, et pro convictis satisfaceret.

Ad idem.

In quo concitationis termino, si comparet, decerni consuevit, ut rei iudicatae satisfaciatur, satisfacere autem debet sic ut prius est descriptum.

Ad idem.

Etsi rebellis recedit, extunc condemnatur, ut prius contra rebellem est descriptum, et fit processus in executione rei iudicatae, ut supra scriptum est, ad brachium usque Regium, de quo infra videbitur.

Item processus fit alio modo et in terminorum observatione et in re iudicata.

In Terris nonnullis Regni Poloniae, in quibus termini Judiciorum Terrestrium fiunt singulis quatuor septimanis plures dilationes fiunt, processusque longior fit iuris, sic quod duo termini, simplici infirmitate, per dilationem conceduntur, sed expletis eisdem duobus terminis, simplici infirmitate prorogatis, alii termini, prout de vera infirmitate et maiori caeterisque ut supra scriptum est, de terminorum conservatione, usque ad sententiae definitivae prolationem, et primae pignorationis decretum observantur. At tamen in eo fit iterum differens processus, quod in illis Terris in quibus singulis quatuor septimanis termini iudicantur, ter datur de iudicio ad pignorationem successive. Similiter ter ad intromissionem datur et postea remittitur ad brachium Regale ad loci Capitaneum de quo infra.

346

Qualiter Capitanei locorum procedant brachium Regale extensuri in demandatione executionis rei iudicatae seu perlucrorum, pia Majestas Serenissimi Domini Alexandri Regis ordine infrascripto docebit.

In primo processu Regalis brachij loci Capitaneus, sub cuius jurisdictione, pars victa esset pro prima vice cum parte victore rem iudicatam, seu perlucra in scripto sibi repraesentati, aut cum suo procuratore ministerialem cum duobus nobilibus, ad bona partis jure convictae, dirigit

et praesertim ad talia bona, super quibus perlucra censentur esse jure obtenta, seu ut in stylo juris nostri dici consuevit producta, et super quibus processus iudiciarius, videlicet pignoris, et intromissionis continuabatur. Qui quidem ministerialis, veniens ad bona hujusmodi si in eisdem fuerit praesens dominus loci, videlicet jure convictus, aut suus officialis vel Vladarius illorum bonorum et coram kmethonibus, juxta continentiam et exigentiam perlucrorum, victorem in ipsius perlucris, de brachio Regali auctoritate Capitanei loci, coram nobilibus intromittet, dabitque ei intromissionem realem, et obedientiam kmethonum consignabit, inhibendo jure convicto, quod non audeat victorem de caetero in possessione et intromissione isto modo sibi data, impetere et invadere quovismodo, sub vadio M. M., quod vadium sit literale sub titulo loci Capitanei, summam fere similem perlucrorum non excedens, in quibus intromissis bonis, victorem intromissum, juxta consuetudinem relinquet aut saltem eam ipsam possessionem sibi tradet; quae de brachio Regali intromissio pro prima vice facta et vadij interpositio, ex recognitione ministerialis et nobilium in actis Castrens: debet modo et ordine juris recognosci, alias reponi et actuari sufficienter, vadium tandem illud, etiam si pro secunda vice interpositum esset, ubi Capitaneo nullam facit fatigam, parti debetur, non iudicio, neque Regiae Majestati, ea ratione, quia pars ipsa ministerialem, et nobiles in suffragium brachij Regalis impensis conducit privatis.

Si intromissio isto modo data, esset aut adempta, aut impedita violenter.

347

Posteaquam victor intromittitur de brachio Regali, si casu quocumque violento ejus intromissio seu possessio violatur vel irritatur, necessario victus ille, seu convictus, contra quem processum erat, ad iudicium Castrense citandus erit pro vadio, et in uno ac primo termino, sive comparuerit sive non, in vadio condemnatur, omnibus dilationibus et subterfugijs praetermissis.

Pro secunda vice intromissio de brachio Regali.

Si possessio seu intromissio, sicut supra scriptum est, vadio non obstante irritabitur, seu violabitur, tunc praemissa ista citatione et condemnatione pro vadio praedicto, de quo supra, iterum ministerialis secunda seu altera vice, cum nobilibus et actore, aut suo procuratore, per Capit: debet ad talia bona modo priori pro secunda vice mitti, et omnia prout in prima intromissione fuerunt, secunda vice faciet, hac ipsa secunda vice de brachio Regali, tam in perlucris quam in vadio intromissionem dando juxta continentiam vadij et perlucrorum, dataque intromissione, duplicabit vadium ut s. vadium literale majorem dupliciter summam continens daret et relinqueret interpositum inter intromissum victorem et victum.

Si intromissio pro secunda vice data irritaretur.

In quantum ipse jure convictus adeo rebellis protervus et violator juris communis Regni esset, sic quod intromissionem, pro prima secunda vicibus de brachio Regali datam contemnendo violare praesumeret, extunc prout prius pro vadio ad Castrum citetur, et similiter praemissis praemittendis ut supra scriptum est absque omni indulto, dilationum excusationumque in primo termino sive comparuerit, sive non, in vadio peremptorie et judicialiter condemnatur.

Pro tertia vice personalis capitis executio finalis.

348

Demum post primam et secundam vices praedictas, si iterum victus ageret rebelliter se manu, seu brachio opponendo Regali, movebitur Capitaneus personaliter de sede Regali (cui in officio Capitaneatus praesidet) armatus et provivus sic ut temeritatem violatoris vinceret, ibit cum ministerialis et cum victore ad bona hujusmodi cum perlucris, sicque victorem auctoritate brachij Regalis, et sui officij accitis ut praesentes essent, hi scilicet victor, aut factor aut villicus prout supra, coram quibus modo supradicto, ministerialis primis vicibus intromittebat, pro tertia vice realiter intromittet victorem in perlucris et in vadijs, pro omnibus vicibus interpositis, ejecto abinde manu potenti victo. Praeterea ne Capitaneus frustretur impensis per eum ad id factis, immediate dabit et relinquet vadium literale inter partes triplicatum quod quidem ibidem relinquet saltem kmethonibus illud dando, pro quo vadio si expediet processus fit, sic ut supra ad condemnationem. Executionem autem eam ultimam Capitaneus aeque bene per alium, ut per se faciet, si commode potest, sin aliter, tunc ibit solus ipse officij debito satisfactorius, habebit tamen secum ministerialem et nobiles Capitaneus, sive per se sive per alium istam faceret executionem perlucrorum in bonis, in quibus perlucra sunt obtenta seu perducta faciendos. Cumque daturus erit intromissionem hujusmodi in perlucris et in vadijs, si bona valorem vadorum et perlucrorum ferre possunt faciet intromissionem, dando unum laneum possessionatum de quo una marca annuatim proveniret, in quibuslibet decem marcis. Si autem lanei non sunt possessionati seu censuales, tunc intromissio detur in agros, in quibus duodecim cori siliginis seminari consueverunt, aut seminari verisimiliter possent, agros videlicet intelligendo, pro marca census annui, et si tam possessiones, quam agri et alia hujusmodi in quibus bona sunt et in quibus executio perlucrorum faciendos esset deficiunt, seu si ea victus non haberet, tunc ipso jure convictus propterea quod juris processum ad haec ultima juris puncta temere sustinuit, capiatur in persona, sitque ejus captivatio relaxanda vel non relaxanda in voluntate victoris usque ad satisfactionem, pro perlucris et pro vadijs faciendam.

Realis instructio ad possessionis assignationem circa executionem rei iudicatae.

Dum haec fierent in prima, secunda et tertia vicibus ut sunt abunde suprascripta, eam quaeque loci Capitaneus servabit instructionem circa suam ipsam, aut sui vices gerentis, vel, alterius nomine suo, de brachio Regali missi executionem in loco haereditatis seu villae vel bonorum perlucrorum constitutus, ipse brachij Regalis executor vocabit convictum si est praesens, vocabit etiam kmethones, praesertim illos in quos est intromissio danda, quibus declarabit seu declarari faciet perlucra et vadia, alias notificabit ea. Similiter etiam literas perlucrorum seu executoriales, coram ministeriali et nobilibus eis ostendet, intimabit et publicabit. Sic quoque Capitaneus per se, aut alius nomine Capitanei dicit: audi ea, attende ministerialis; ego Capitaneus juxta officium, aut alius sic: ego juxta officium Domini M Capitanei de brachio Regali nobili P. de G. in suis perlucris et vadijs, trado intromissionem in istam villam B. vel ista bona P. aut in istum kmethonem seu laneum vel in istum aut istos agros, dicitque Capitaneus (si per se intromittit) et interpono vadium C. marcarum per istas literas, aut alius nomine Capitanei vadium sive Regium sive Capitanei tenens, dicit: et istud vadium centum marcarum per Majestatem Regiam, vel per Dominum Capitaneum interpositum in his literis scriptum, tibi ministerialis do, et tu tandem juxta officium tuum istud vadium convicto notifices, et sibi juxta consuetudinem juris illud des vel in domo hic sua relinquant, quod tamen vadium sit triplicatum ut supra scriptum est. Dices vero quod ipse convictus se in bona ista ad quae victorem intromisi, nec per se, nec per submissas personas intromittere debeat, neque intromittat, in eisque victorem nullis molestationibus seu turbationibus vel impedimentis aggrediatur, vobis autem kmethonibus universis istorum bonorum incolis mando, ut ipsum Dominum P. de G. pro vestro Domino habeatis, sibi que obediatis tanquam vestro Domino subditique ejus sitis, usque ad totalem solutionem et satisfactionem omnium perlucrorum et vadorum, et haec omnia coram te ministerialis et coram vobis omnibus, qui estis praesentes testificor. Ejciatque convictum de bonis et pace facta victori in bonis perlucris, exeat de bonis Capitaneus.

349

Ad idem.

Nihilominus si non obstante isto processu et intromissione tot vicibus data, ac vadijs tot vicibus interpositis, si juri et brachio Regali victus non pareret aut se defenderet et intromissionem et pacificam possessionem non admitendo, tunc Capitaneus seu vices gerens ejus in hac parte non inferat ullam victo aut kmethonibus vel servitoribus ejus violentiam, nec sinat quemquam verberari, aut vulnerari, sed ipse victus cum familia et coadjutoribus suis tanquam

juris, pacisque communis violator atque destructor capiantur, sintque captivandi infamisque et infames reputentur et censeantur etiam in corpore juxta Majestatis Regiae votum per Majestatem Regiam puniendi. Et si capiuntur, teneantur: usquequo satisfactio victori detur pro perlucris et vadijs.

Ad idem.

350

Si idem jure convictus et alij ejus complices, non possent capi detinerique tunc convictus de bonis illis citandus erit ad quae in perlucris non est data intromissio pro vadio ultimo et finali, quod vadium plonarie cedit pro Capitaneo, et ad videndum et decernendum illum proscribi, et proscriptum tanquam rebellem, et juris Regni transgressorem et violatorem banniri, praemissa vero bannitione, et ipse et familiares complicesque sui capiantur per Capitaneum vel per alium ejus nomine. Quamobrem dabit Majestas Regia literas contra tales patentes universis, quibus expedit bannitionem publicando et quibuslibet subditis mandando, ut tales bannitos capiant et locorum Capitaneis dent.

Ad idem.

Si vero non est possessionatus alijs bonis, tunc ipsa citatio per edictum contra ipsum et contra suos complices possit expendi.

Ad idem.

Et si comparuerit in termino primo qui sibi et omnibus talibus debet esse peremptorius et finalis, nullam habens dilationem, extunc in vadio sententietur. Et si habuerit bona aliqua in eodem vadio, recipiantur et pro rebellionem teneantur, captiventur autem si non comparuerit seu non comparuerint, tunc ipse et sui complices tanquam rebellis jurisque Regni violator decernatur de Regno bannendus, proscriptus, et capiendus, et solus ipse Judex proscribat sui decreti prolatione mediante, et ibidem statim proclametur bannitus et proscriptus capiendus, et non solum ipse, sed etiam sui familiares ac alij dantes ei auxilium, consilium, et favorem, et praesertim in domibus eum conservantes tales omnes sint proscripti, captivandi et infames, ideoque capiendi, contra quos literae dabuntur universales patentes antedictae, per territoria et ad alios Capitaneos Regni porrigenae.

In aliquibus Terris fit sic ex consuetudine.

Primus terminus differtur simplici infirmitate. Secundus vera infirmitate et tertius etiam infirmitate in haec verba jacet sicut jacet. Et dum comparet ad respondendum in termino peremptorio, tunc citatus debet jurare quod vere fuit infirmus.

Ad idem.

Et si citato non recipitur terminus infirmitate, et neque per se neque per procuratorem comparet in iudicio, tunc condemnatur in poena con-

tumaciae et datur ministerialis in jure actori ad avisandum reum, ut veniret ad alios terminos immediate celebrandos et diceret: quare super terminum adstare permisit, qui si non dixerit, iterum tunc condemnatur per actorem in toto secundum citationem, et iudicium decernit solutionem parti sub poenis judicialibus videlicet sub tribus marcis, actori in quatuor septimanis.

351

Ad idem.

Item si non fecerit solutionem in quatuor septimanis, tunc scribitur contra citatum poena sex marcarum: ut supra dictum est in communi terminorum conservatione.

Ad idem.

Item similiter alia poena in quatuor septimanis, et in alijs quatuor septimanis similiter. Item si non curat satisfacere tunc concitatur ad satisfactionem perlucris et poenis, et si in termino non comparuerit, et nullam per actorem, in processu causae commissam allegaverit nullitatem, tunc datur ministerialis de jure ad intromittendum in bona, in perlucris, et poenis ad actorem pertinentibus, et iudicium mittit ad pignorum pro medietate poenarum ad iudicium pertinentium. Et si non admittit intromissionem reus tunc Burgravius vadit et intromittit receptis secum duobus nobilibus, et ministeriali. Si vero reus non admittit possessionem bonorum ex intromissione, tunc Capitaneus sua in persona vadit, et dat intromissionem actori in bona et imponit vadium, mandans reo ut actorem, in possessione per eum assignata, non impediatur sub vadio per eum imposito. Et toties quoties actor petit intromissionem toties ostendit literas adjudicatorias, sibi per Judicem, et subjudicem datas, et Capitaneus intromissum in possessione tueri tenetur. Si vero id non exequatur, tunc in eodem vadio, per eum in reum imposito, et Majestati Regiae, et actori succumbet.

In alijs quibusdam Terris fit sic etiam, ex consuetudine privata.

Per infirmitatem recipiuntur termini, et citatus iurat solus sine testibus quod fuit vere infirmus, et si terminus non differtur sibi infirmitate, tunc actor condemnatur eum in contumacia pro primo, et ad citatur literali ad citationem, ad citationem originalem in ad citationem insertam, et in secundo termino ex ad citationem, similiter condemnatur reus in poena contumaciae et ad citatur secundo ad citationem originalem, et ad ad citationem, et si non comparet tunc condemnatur per actorem in toto, secundum citationem, et decernitur satisfactio pro rebus citatis, et scribuntur poenae, et proceditur ad finem, sicut in ista immediate, seu proxima consuetudine est descriptum.

Ad idem.

Fit etiam terminus pro majori (qui nulli denegari debet) et pro primo, pro secundo et ter-

352

tio recipi potest, sed recipiens hujusmodi terminum ad alia judicia Judicis et Subjudicis illius iudicij, ubi dixit se pro majori habere actionem, literam ad iudicium portare debet cum descriptione sufficientis testimonij, de iudicio altero, in quo pro majeri habuit prout de hoc in communi supradicta terminorum conservatione est informatio abundius exarata; si enim in litera testimoniali non sufficienter descriptum esset, id pro quo in alio egit iudicio, tunc causam istam perdet prout superscriptum est.

Ad idem.

Et licet eadem Majestas Regia aliquarum Terrarum privatas descripsit consuetudines tamen sua Majestas per modum consilij, subditos hortatur universos, ut eam teneant et observent instructionem ubique Terrarum, quam instructionem assumptam a voquo diuturniori continuatam approbabit lex ac consuetudo. Et tamen Majestas eadem Serenissima Domini nostri Regis de terminorum conservatione ex jurisperitis, et vetustioribus Regni privilegij adscripsit.

ALEXANDER

CONFIRMAT STATUTUM COLLECTUM A ŁASKI
ANNO 1505.

In Nomine Domini, Amen.

Ad rei memoriam sempiternam. Cum universi Principes, qui vel Monarchiarum, vel Dominatum quorumcunque gerunt gubernacula, admovente eos suscepti cura regimini ut populo sibi divinitus subjecto provideant, quatenus ab iniurijs et molestijs conservetur, et novitates eventuum, novis moribus, novis quoque institutis ac legibus moderentur. Quiquidem eventus, in humano genere, toties fiunt, quoties illud ipsum genus mortalitati subjectum, aetacularum natis immutari, innovarique contigit natura ipsa, sic ut antecessores sic quoque posteros in ortum atque occasum (veluti in rota) promovente, sanctiones edere rationabiles et suorum mores fidelium praecepto legali temperare, suaque ipsa praecepta, leges et instituta, literarum munimine et publici consensus auctoritate perennare consueverit.

Proinde Nos Alexander Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiae, ac Culmen et Elbingen: Pomeraniaeque Dominus et Haeres etc. Ad universorum praesentium et futurorum Nobis Regnoque nostro pro tempore subjectorum, ac quorumcunque est, intereritque in futurum notitiam deducimus, quia Dei et Salvatoris nostri gratia, Regni paterni dominia conscendentes feliciter, tametsi perpendamus in Regno et Do-

minijs nostris, ad Dei honorem et ad felix diuturnum Regni nostri imperium, singula jure optimo per divos olim Antecessores, ac Avum, Patrum, Genitorem et Germanum nostros Reges Poloniae sic ordinata esse, ut leges haberentur Regni per eos conditae vetustissimae, quibus universi regnicolae et illud ipsum Regnum, in eventibus, et in omni administratione divina ac temporali hactenus rectum esset prospere, tamen cum non omnibus patuit, quod omnes concernit, per quandam etenim ut dicamus disvetudinem ac animadvertentiam et privilegia, et libri statutorum, vel in thesauris publicis, vel in paucorum manibus duntaxat conclusa, communi vero populo oclusa, imo incognita hactenus erant. Itaque in hac conventionione Radomiensi Generali ad quam de universis Regni et Dominiorum nostrorum Terris, Praelati, Barones Terrarumque et civitatum Nuntij jussu nostro venerant petiti existentes publicitus, ut commune edamus toti Regno privilegium statutorum ejusdem Regni legalium, praedictorum olim divorum Praedecessorum ac Avi, Genitoris, Patru et olim Joannis Alberti Germani, nostrorum, cum additione aliorum statutorum nostrorum, illudque per universa Capitaneatum et Ecclesiarum majorum loca daremus originaliter, quatenus non obscura sed vulgaris ejus et eorum esset cognitio.

Nos de innata Nobis benignitate et justitia, nolentes ab olim Praedecessorum degenerare virtutibus, qui sicut laudabiles consuetudines et jura, Praedecessorum primorum approbant, et scribebant nova, sic Nos illorum laudabili innitentes consuetudini, praesens commune statutorum privilegium, cui inseruimus antiqua et addidimus nova nonnulla etiam externa, ad eruditionem fidelium subditorum nostrorum anneximus de consilio, scientia, et unanimi voluntate, omnium et singulorum, Praelatorum spiritualium et saecularium Consiliariorum, et Baronum ac Nuntiorum Terrarum et civitatum qui universum corpus Regni, etiam nomine absentium, per literas nostras et proclamationes publicas, ad praesentem Conventionem vocatorum venientium, et non venientium indubitanter repraesentarunt, toti Regno dandum illudque in publicum Regni nostri Castri Cracov. thesaurum ubi et Coronationis diademata, et alia Regni secretiora servari consueverunt, tandemque in loca Capitularia majorum Regni nostri ecclesiarum ac Capitaneatum Terrestrialium ubique Terrarum inferendum, in eis que ut omnibus prosit, et cognitum sit, quod ad omnium salutem, necessitatemque congestum esset habendum, et omnium necessitatibus petentium commodandum decrevimus et decernimus.

Primum igitur erit statutum gloriosissimi olim Casimiri Regis, qui a magnitudine gloriosorum memorabilium gestorum Magni denominationem habuit, post quod reliqua et aliorum Regum Antecessorum nostrorum et nostra videbuntur ordinarie inferendum duximus sic ut sequitur

Statuta Casimiri Magni Secundi, etc.

(Hic inseruntur ab Alexandro Rege omnia illa quae ex Łaskio hucusque citata sunt quorum summarium habes ad finem tomi hujus; liber autem totus Łaskij concluditur fine hujus ipsius privilegij.)

De universis Regni nostri privilegij, etsi Nos Alexander Rex duntaxat superscripta ad praesens commune inseruerimus, habuimus tamen et habemus numerosiora in publico Regni thesauro ad communem tam Reipublicae quam subditorum nostrorum statum feliciter dirigendum et instituendum ac tutelam pertinentia. Verum quia praesentia plus alijs perpendimus majoris efficaciae esse, idcirco per haec finem damus ejusmodi processui laborique nostro, et nihilominus sicut inter privilegia certas summorum Pontificum bullas, tam errores et nonnullas constitutionum legalium exorbitantias, tanquam contra pietatem et salutem animarum militantes, quam fragilitatis humanae excessus corrigentes, per praefatum Joannem de Łasko Regni nostri Cancellarium scribi; sic etiam constitutiones juris Civilis Saxonici Maydemburgensis quarum ipse Cancellarius ante proemium privilegij communis meminit, quam vigilantissime de eorum Theutonici styli originalibus libris per eum ipsum Cancellarium castigatas emendatas et novis rubricis distincte titulatas, inseri jussimus, eas ipsas siquidem juris Civilis constitutiones nusquam correctas et in suis sententijs integras, imo in toto earum tenore vitiatas et a suis originalibus longe vagantes invenimus, postremo vero summam doctissimi Raymundi Parthenopei, quae omnia vidimus per nonnullos prudentes subditos nostros pro singulari eruditione et suorum subditorum gubernaculo conducibilia esse. Et quia eorum practica communiter fit in certis Regni nostri locis jus Maydemburgense: ac Theutonicum habentibus, ideo Nos ea a privato illorum usu sumentes ad communem universorum subditorum nostrorum cognitionem eruditionemque per haec scripta legavimus et tradidimus, primum vero posuimus librum qui a nonnullis titulatur Ottonis Caesaris Ruffi, deinde alios provincialis et feudalis iurium libros, qui divorum Caroli et Constantini Imperatorum constitutionibus adscribuntur sic ut legentibus patebunt singulariter inserti et inserta.

355

ALEXANDRI

GENERALIS CONFIRMATIO OMNIUM JURIORUM.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Regnantium et imperantium auspicia feliciora semper eveniunt, si quod sacris suis proferunt et promittunt oraculis, pro jure et justitia consolationeque subditorum fidelium tenendum, id literis etiam perpetuis firment: et posterorum notitiae commendent, aevo perpetuo duraturum: proinde Nos

Alexander Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiae, ac Culmensis, et Elbinensis, Pomeraniaeque, Dominus et Haeres, etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis, praesentibus, ac futuris, harum notitiam habituris: quod licet in Sacris Majestatis nostrae Regiae primitijs (dum videlicet Principes spirituales et saeculares, caeterique Praelati, et regnicolae, nostrae felici aderant Coronationi: Nosque post mortem Serenissimi Regis Alberti, ad hoc inclytum Regnum Poloniae, jure electionis liberae, Deique optimi favente clementia, unanimiter elegerunt regnaturum) universa privilegia, per divos olim Antecessores nostros, Principes, Duces, Reges, et per Nos, post felicem Coronationem nostram, Regno Poloniae, ejusque regnicolis concessa, promissimus inviolabiliter tenere: tamen propter majorem eorum firmitatem, annuentes votis Consiliariorum nostrorum, et Nuntiorum Terrarum, ex universis Regni Terris in hac Conventionione existentium, eorundem petitionibus et adhortationibus permoti, non per errorem vel improvide aut indeliberate, sed ex speciali virtute et munificentia Regiis nostris, per literas perennes praesentes nostras, promissionem illam nostram solidiorem firmioremque efficere volentes: universarum Terrarum nostrarum ac universorum ac singulorum incolarum Terrarum earundem, cujusvis status, sexus, conditionis, et ordinis existentium: privilegia, indulta, munimenta, statuta, donationes, libertates, praerogativas, immunitates: et quaslibet donationum ac venditionum inscriptiones, quibuscunque verborum tenoribus, modis, consuetudinibus, ac dietis: per Illustrissimos ac Serenissimos Praedecessores nostros, Principes, Reges, Reginas, Haeredes, et Duces Poloniae, et per Nos ipsos, Regno Poloniae, ac praedictis et alijs universis Terris juste et legitime datas, donatas, concessas, et emanatas, ac data, donata, concessa, vendita, emanata, tentaque et observata: (quorum et quarum tenores, hic volumus habere pro insertis) in omnibus ipsorum et ipsarum modis, punctis, articulis, clausulis, conditionibus, et consuetudinibus, roboranda, confirmanda, et ratificanda, ac roborandas, confirmandas, et ratificandas, duximus et decrevimus: roboramusque, confirmamus et ratificamus, ac praesentis scripti patrocinio firmamus, et approbamus illa et illas, vere, perpetuo, indubie et in aevum, inviolabilis firmitatis robor obtinere: promittentes sub juramento nostro: quod in praedicta felici Coronatione nostra, corporaliter praestitimus: illas ac illa, in quodlibet illorum illarumque in omnibus praedictis eorum earumque modis, consuetudinibus, positionibus, descriptionibus, articulis, punctis et conditionibus firmiter et inconcusse et inviolabiliter tenere, habere, et observare: tenerique, haberi, et observari facere, temporibus perpetuo duraturis. Quod si aliquid contra libertates, privilegia, im-

356

353

354

munitates et jura praefata Regni fecerimus: illud totum cassum, irritum, inane, nullumque esse volumus, ac decernimus, ipso facto: atque irritamus, cassamus, tenore praesentium mediante. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Actum in Conventione Generali Radomiensi, Sabbatho Inventionis S. Crucis, anno Domini 1505. Regni nostri anno quarto: praesentibus Reverendissimo et Reverendis in Christo Patribus, Dominis:

Andrea Archiepiscopo Gnesnensi et Primate, Bernardino Electo Leopoliensi, Joanne Cracoviensi, Vincentio Vladislaviensi, Joanne Poseniensi, Luca Varmicensi, Ecclesiarum Episcopis: necnon Magnificis, Venerabilibus, et Generosis, Spytkone de Jaroslaw Castellano Cracoviensi, Joanne de Tarnow Sandomiriensi, Nicolao Gardzina de Lubranc Calissiensis, Petro Myszkowski de Mirow Lanciensi, Nicolao de Kościelec Brzestensi, Nicolao de Kretkow Inovladislaviensi, Joanne de Tarnow Russiae, Nicolao de Kurozwianki Lublinensi, Prandota de Trzciana Ravensi, Palatinis: Joanne Iarand de Brodzow Calissiensis, Joanne de Przeramb Siradiensi,

Janussio Latalski Gnesnensi, Joanne Słupecki Sandecensi, Iacobo de Sieklika Woynicensi, Petro Szafraniec de Pieszkowa Skala Wislicensi, Joanne de Iordan de Zakliczyn Bięcensi, Stanislawo de Młodzieiowice Radomiensi Martino Skotnicki de Boguria Zawichostensi, Stanislawo de Potylicza Miedzyrzecensi, Petro de Opalenica Landensi, Petro Gorski Naklensi, Nicolao de Radzikow Dobrznensi, Petro de Niemygłowy Ravensi, Paulo de Chotza Polanecensi, Castellanis: Joanne de Lasko, Ecclesiae Gnesnen. et Regni nostri Cancellario, Iacobo de Szydłowiec Thesaurario ejusdem Regni, Alberto Gorski Scholastico Vladislaviensi, Nicolao de Bartniki Custode Plocensi Ecclesiarum, Secretariis nostris: Nicolao Firley de Dąbrowica Vexillifero Cracoviensi, et Capitaneo Lublinensi, Derslao Wilczek de Lubieff Leopoliensi, Alberto Skora de Gay Dobrznensi, Stanislawo de Kazanow Lublinen. Succamerarijs:

caeterisque Consiliarijs, et Curiensibus nostris, ad praemissa testibus fide dignis, sincere et fideliter Nobis dilectis. Datum per manus ejusdem Venerabilis Joannis de Lasko, Gnesnensis Ecclesiae et Regni nostri Cancellarij, sincere Nobis dilecti.

Finit Alexander Rex.

SIGISMUNDUS PRIMUS.

PRIVILEGIUM

SIGISMUNDI PRIMI,

QUO JURA OMNIUM CONFIRMAT.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Cum rebus tempora vetustatem afferant, quae numero annorum admirabiliores et sanctiores habentur, eas ne ulla unquam obscurare possit oblivio, et praesertim quae a Regibus et Principibus ad communem subditorum utilitatem fiunt, peraequum est ut literarum monumentis sempiternae memoriae mandentur, quarum adminiculo ab interitu vendicentur et immortales fiant. Proinde Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiae ac Culmen: et Elbingen: Pomeraniaeque Dominus et haeres etc. Notum facimus universis praesentibus et futuris, a quorum cognitione praesentium literarum series non erit aliena, quod licet paucis ante diebus cum omnium Praelatorum et Procerum Regni, immo verius totius Senatus Nobilitatis et populi consensu diadema capiti nostro imponeretur, jureiurando de more sanxerimus omnia jura, omnia privilegia, omnes denique libertates et immunitates Regni, sive

omnibus in genere sive singulis in specie per Reges Principes et Duces, qui Nos praecesserunt, ac Regno tanquam Monarchae sive Tetrarchae praefuerunt, ex quacunque justa et legitima causa data et donata sive donatas et datas, rata et firma esse debere. Pro majori tamen ejusce rei firmitudine ac robore, ut in futurum testimonium extet, Nos non solum boni Principis officio functos, sed debito nostro non minus liberaliter quam libenter satisfecisse, postquam voti compotes eorum communi consensu, singularique erga Nos pietate facti sumus, quod bonum, felix et faustum sit Nobis et Regno nostro, ut demum huic ipsorum consensum ad ultimum finem vitae Nobis praeferre liceat votis et precibus eorundem Praelatorum, Baronum, et Procerum, imo verius totius Senatus et Nobilitatis, cujus Nuntij cum plena facultate ex singulis Regni Terris ad consultandum Nobiscum de futuro statu Regni huc convenerant annuentes, cum bona et matura deliberatione omnia jura, omnia privilegia, omnia statuta et decreta, omnes denique dominationes, libertates, immunitates, et quascunque venditionum et donationum literas et singraphas sub quocunque tenore verborum factas, omnium Terrarum Regni nostri in genere, omniumque praedictarum Terrarum in specie, omnis generis, omnis gradus utriusque sexus hominum et incolarum a Regibus

357

358

STATUTA

SIGISMUNDI PRIMI

IN CONVENTIONE GENERALI CRACOVIAE: ET FELICI
NOSTRA CORONATIONE, ANNO D. 1507.

Revolventes certa, felicis memoriae, Joannis Alberti et Alexandri Regum, Fratrum et Praedecessorum nostrorum statuta, non nihil in illis, communi Praelatorum, Baronum et Nuntiorum Terrestrium consensu moderati sumus, quaedam addidimus, et aliqua, quae in usu non erant, innovavimus, et praesenti decreto innovamus, et ratificamus, perpetuo duratura.

Imprimis statutum Joannis Alberti, quod hactenus non fuit in executione positum, de inscriptionibus in librum Castrensem inductis, ut intra unius anni decursum ad librum Terrestrem transferantur, alioquin nullius roboris esse censeantur, approbamus, et in futurum ab omnibus observandum decernimus, volentes, ut si quae deinceps inscriptiones seu resignationes coram Capitaneo factae fuerint, nisi infra unum annum in librum Terrestrem transferantur, sint nullius roboris et momenti.

Item in statuto Alexandri Regis, quod est de Cancellario et Vice-Cancellario Regni, de Praelaturis et dignitatibus vacantibus providendo, volumus et decernimus ut habeatur per Nos et Successores nostros, debita ratio laborum et servitutis eorum, in nostro tamen arbitrio et Successorum nostrorum reponimus, ut pro meritis et virtute uniuscujusque, liberum sit Nobis, offerente se opportunitate, prout videbitur Reipublicae expedire, unumquemque ad statum et conditionem altiore promovere, quam moderationem etiam ad statutum de Secretario primo, seu majore inserimus.

Deinde, statutum de libertate nobilitatis a solvendis teloneis per omnia approbamus, et insuper poenam dupli adijcimus, in secus facientes, ut scilicet, quantum aliquis teloneator a nobilitate, vel spiritualibus personis a teloneo absolutis, pro teloneo extorserit, ejus duplum solvat, quam poenam Judex spiritualis loci illius, de teloneatore spirituali, per censuras ecclesiasticas, saecularis vero loci Capitaneus de saecularibus teloneatoribus, absque processu juris, cognita rei veritate exigat. Quodsi ipsemet Capitaneus teloneum exigeret, si bona Capitaneatus in obligatione tenuerit, centum marcas de summa in illis bonis inscripta amittat, si vero sine obligatione bonorum Capitaneatus habuerit, privatione officij puniatur, et nihilominus utroque modo Capitaneatus gerens, injuriam passo, duplum ejus quod recepit, restituat.

In statutis Radomiensibus, statutum de ijs, qui suspecti fuerint in crimine, qui videlicet ter in registris malefactorum reperti fuerint, ut infames esse censeantur, non in perpetuum, sed ad duos annos robor suum habiturum, decernimus.

Tum in illa quoque constitutione, de tempore servorum, sub indicta belli expeditione, au

360

359

et regiminis haeredibus et Ducibus Terrarum Regni Poloniae, et praesertim Casimiro Magno Patre, Joanne Alberto et Alexandro germanis Regibus Poloniae Praedecessoribus nostris juste et legitime data et donata, datasque et donatas, quorum et quarum tenores tanti esse volumus, ac si in praesentibus literis expresse describerentur in omnibus ipsorum et ipsarum punctis, articulis, sententiis, clausulis et consuetudinibus roboranda, confirmanda et ratificanda, roborandasque confirmandas, et ratificandas duximus et decrevimus ac roboramus, confirmamus, ratificamus, et praesentibus literis approbamus, illa et illas perpetuas, indubitatas, inviolabiles, firmas et validas in sempiternum futuras. etc.

PRAEFATIO

SIGISMUNDI PRIMI

AD OMNES ILLIUS CONSTITUTIONES, UT IN EJUS
STATUTO REPERITUR.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque etc. Dominus et Haeres. Manifestum facimus tenore praesentium universis. Quia cum omnis lex domini Dei sit, cui omnes obedire oportet, utpote, sine qua Respublica, veluti corpus sine anima, consistere et regi nequit, sed nec omnis lex omnibus una et commoda esse possit, quin necesse sit alia aliis statui, eaque pro ratione temporum et hominum plerumque mutari ac variari, recte Praedecessores nostri Reges Poloniae, suas quique leges et constitutiones, prout res et locus exigebat, condere solebant, quae jam pridem collecta, et in unum volumen redacta conspiciuntur. Igitur Nos vestigia illorum secuti, cum ab initio Regiminis nostri pleraque in Conventibus Generalibus, de communi Praelatorum, Procerum, ac totius Consilij et Nobilitatis nostrae consensu, pro communi bono, statu ac ordine, juxta rerum et temporum rationem instituissemus, ac ea in publicum edi subditi nostri merito exigerent, cum vana sit lex nisi observetur, observari autem nequit, nisi innotescat, omnia instituta nostra in unum colligi, et ad omnium notitiam imprimi et publicari mandavimus. Adjecimus praeterea formulam processus, judicarij in compendium et modum unum per jurisperitos jussu nostro redactam, ac per Nos et Consiliarios nostros approbatam, et observari decretam, ut quae jam in tantum labyrinthum excesserat, quod cantelarum, nodorum, tricarum, et captionum tabularium, neque modus esset neque finis, nunc a quovis perdisci, et agi citra difficultatem et ulla ambages possit, utque deinceps unicuique via justitiae suae consequendae, facilior et celerior, per ipsum juris processum pateat, et sit communis. Statutorum itaque et constitutionum nostrarum hic tenor et series est, quae sequitur.

alia necessitate justa et legitima, a dominis recedere volentium, quae sex septimanas praefinit, petendae licentiae, discessus a dominis, ante dictam expeditionem bellicam, ad decem septimanas extendimus.

Praeterea, statutum de citationibus Capitaneorum ad querelam, volumus intelligi de dominibus dotalitionatis, ut pro ipsarum et aliarum personarum, de pacificis possessionibus expulsiōne violenta, liceat Capitaneis citationem dare, reliquum, ejusdem capituli approbamus.

Caeterum insistentes vestigiis et exemplis Praedecessorum nostrorum, consulentium variorum temporum necessitatibus et mutationibus, per diversas sanctiones suas, ut vitia comprimentur, boni mores adaugeantur, et quod justum ac rectum in toto Regno exerceatur, decrevimus, de Praelatorum, Baronum, ac totius Consilii et nobilitatis nostrae consensu, nonnulla statuta nostra, perpetuis temporibus, ad communem omnium utilitatem et necessitatem duratura, quorum series sequitur.

De publicis pecuniis dispensandis et conservandis.

361

Quoniam ea quae ab omnibus publicae utilitatis causa conferuntur, aequum est ut expeditis pro tempore necessitatibus, quae superfuerint ad futuras diligenter conserventur: statuimus, ut quicquid contigerit in thesaurum de publicis pecuniis inferri, sit illud quidem in potestate et arbitrio nostro et Successorum nostrorum, dispensandi: prout utilitas et necessitas Regni exposcet: adhibito consilio Dominorum Consiliariorum, qui tunc Nobiscum, vel cum eisdem Successoribus nostris fuerint, et Terrae illius Dominorum, in qua providendi publicae commoditati opportunitas evenerit. Quod autem expeditis publicis necessitatibus supererit: decrevimus; ut servetur fideliter in thesauro; ex quo si quis aliquid sustulerit, rapueritve, aut quovis modo in usus proprios converterit, praesertim sub interregno, fraudis et peculatus reus judicetur.

Qualiter literae inscriptionum revidendae sint, in redemptione bonorum Regiorum.

Ad tollenda dubia et controversias superfluas amovendas, quae oriri possunt ex diversitate inscriptionum bonorum nostrorum: statuimus; ut cum eadem bona redimere voluerimus, revideri debent literae inscriptionum, et quae licite, juste, et legitime inscripta sunt, aut contra, cognoscatur et decernatur per Nos et Consiliarios nostros. Quodsi quis hujusmodi cognitione et decreto gravatum se senserit, liberum sit ei cognitionem gravaminis per appellationem deferre ad Conventum Generalem.

De poena Capitaneorum, negligentium exequi, quae ad eorum pertinent officium.

Ut officiales et dignitarij diligentius intendant executioni judiciorum et administrationum eis incumbentium, innitendo prioribus constitutioni-

bus: decrevimus; ut quoties Capitanei in exequendis his quae ad ipsorum officium pertinent, negligentis reperti fuerint, si in obligatione bona Capitaneatum suorum teneant, puniantur poena centum marcarum, de eorum summa eis defalcandarum: si autem in liberis bonis Capitanei extiterint, privatione Officij Capitaneatus volumus esse puniendos.

Ut in Cancellariatu et Vice-Cancellariatu Regni, alter sit spiritualis, et alter saecularis.

Petitionibus Baronum et nobilium Regni nostri annuentes, perpetuo decrevimus statuto, ut in futurum Cancellariatus et Vice-Cancellariatus Officij, cum aliquod eorum vacare contigerit, Nos et Successores nostri, ad unum ex illis spiritualem personam, et ad aliud saecularem praeficere debeamus: propter actiones, quae interdum tales eveniunt, quod spirituali personae earum executionem committi non convenit.

De poena civium, negligentium exequi constitutiones, super pretijs rerum venalium. 362

Ne Consules civitatum, et reliqui cives, negligentis et inobedientes sint, in exequendis constitutionibus super pretijs rerum venalium factis vel faciendis: statuimus; ut ijdem Consules et cives, Palatinis, per quos pretia mercium et rerum reliquarum imposita fuerint vel imponentur, assistentiam facere teneantur, et executioni auxilium praestare, quoties opus fuerit. Quodsi sub quovis colore facere neglexerint, pro quolibet excessu, poena centum marcarum pecuniarum puniantur: cujus tertiam partem Palatino, relinquant duas pro Nobis reservamus.

De poena, pannos strictiores vel breviores, quam sit consuetum vendentium.

Quia posset fraus contingere in textura pannorum, qui in Regno vendi solent; non modo in diminuenda bonitate, sed etiam mensura longitudinis et latitudinis: statuimus; quod si quis vel strictiorem pannum, vel breviorum quam sit consuetum, vendere ausus fuerit, poena falsi puniatur: et nihilominus universum pannum illius generis ipso facto amittat: cujus tertiam partem Palatino, Nobis autem reliquas duas cedere volumus.

De usu fluviorum bona Regia et subditorum determinantium.

Ne graventur subditi nostri, vicinia bonorum nostrorum per Capitaneos: statuimus; ut cum fluvius aliquis, nostra et eorum subditorum bona determinat, quae ipsius fluminis ripis utrinque adjaceant, libere admittantur ijdem ipsi subditi nostri, ad usum ejusdem fluvij: juxta latitudinem bonorum suorum adjacentium.

De inscriptionibus bonorum in fraudem factis.

Saepe contingit circumveniri subditos nostros, per inscriptiones bonorum, in fraudem eorumdem, et in impedimentum justitiae contra delin-

quentes: quapropter statuimus; ut cum actio et lis judicialiter alicui intentata fuerit, pro quovis delicto, si reus ille resignatione, et inscriptione bonorum in judicio tutari se voluerit, et si perpetua fuerit inscriptio, probabit eandem inscriptionem per juramentum, cum sex testibus, suae conditioni paribus: quod non in fraudem partis, aut administrationis et executionis justitiae, occasione delicti objecti, illam fecerit. Si vero ad certum tempus eadem inscriptio facta fuerit, cum duobus testibus nullo dolo factam esse jurabit.

363

De poena eorum, qui manu armata ad judicia et Conventus Generales et particulares veniunt.

Quamvis in constitutionibus novis, divinae memoriae, Serenissimi Joannis Alberti, Praedecessoris et Germani nostri charissimi, provisum fuerit, qua poena afficiendi sint, qui cum insolentia et manu potenti ad judicia veniunt; tamen quia non solum in judicijs, sed etiam in Conventibus Generalibus et particularibus, ac Conventibus, qui de nostro vel Consiliariorum nostrorum mandato fiunt, variae contentiones, et ex his etiam seditiones impediētes ac interrumpentes eorumdem Conventuum publicas consultationes oriri consueverunt: statuimus et decernimus; (quo majori severitate huic incommodo amovendo consulatur) quod si quis in armis, vel cum armis, insidias et seditionem ac violentiam praesferentibus, ad praefatos Conventus aut judicia venerit, tanquam pacis communis violator, poena capitis puniatur; quam si forte fuga evaderet, bona ejus confiscentur. Et hoc statutum ad personas cujuslibet status, conditionis et praeceminentiae extendimus: praesertim vero in Capitaneos, qui cum aliorum securitati providere debeant, si quid tale in oppositum, et contra hoc statutum commiserint, merito eadem poena, aut etiam severiori puniendos esse decernimus.

Ut in Curia Regia duo sint jurisperiti, qui querelas audiant.

Pro celeriori administratione justitiae, et expeditione eam querentium, statuimus, quod duo sint jurisperiti, unus spiritualis, alter saecularis, secuturi semper Curiam nostram, per Nos eligendi, qui jurati audiant querentes, referantque fideliter officialibus Cancellariae Regni nostri; qui deinde de nostro et Successorum nostrorum mandato expeditionem facient, secundum quod jus et justitia svadebit, ac ipsorum querentium necessitas exposcet. Sedeant autem audientes querelas, peracta missa nostra, ad horam prandij, et post prandium, usque ad tempus caenae; ut liberius consilij et alij actionibus nostris intendere valeamus: causae tamen judicariae Judicij, juxta statutum, committantur.

364

Ut libera sit venditio rerum omnium per talenta et ulnas, in nundinis civitatum et oppidorum.

Licet privilegia civitatibus et oppidis, pro nundinis habendis, dari consueverint, liberam faculta-

tem contineant mercandi, vendendi, et emendi: tamen quia delatum est ad Nos, per querelas subditorum; quod non obstante eadem libertate, mercatores Posnanienses prohibere consueverint: ne tempore nundinarum, externi mercatores, et qui non sunt cives Posnanienses, minutim ac per talenta et ulnas, merces suas venderent: considerantes hoc fieri in praedictum privilegiorum Regni, pro eorum nundinis dari consueverunt: statuimus inhibentes; ne in futurum per eosdem cives Posnanienses, aut quoscumque alios, libertas eorumdem privilegiorum impediatur: dantes facultatem negotiatoribus, ad fora et nundinas venientibus negotia exercendi, mercesque suas vendendi, ad libras, talentum, et ulnas, et prout poterint. Quod ut observetur inviolabiliter, ipsis Palatinis providendum committimus.

Palatini et aliqui Castellani, liberi sint a solutione exactionis duorum grossorum.

Licet universi Dignitarij Terrarum, et praesertim in Masovia supplicaverint, ut liberi sint a solutione exactionis nostrae duorum grossorum: Nos tamen libertatem ipsam dictae exactionis non solvendae, Palatinis duntaxat et Castellanis, loco Palatinorum Castellanus obtinentibus, damus, concedimusque; volumus tamen, quod in singulis Terris et Capitaneatibus, locorum Capitanei, census et proventus quoslibet, tempore Praedecessorum nostrorum et praesertim in Terris nostris Masoviae, Dneum tempore, per Dignitarios percipi solitos, eisdem Dignitarijs Terrestribus exsolvant.

Ut Judices et Burgrabij Capitaneorum, sint possessionati in Capitaneatu, in quo officia exercent.

Cum novae et antiquae constitutiones decernant, Dignitarios et Officiales Terrarum illic possessionatos esse debere, ubi dignitates ipsas et officia obtinent. De Judicibus tamen et Burgrabijs Capitaneorum, non videtur quidquam hactenus constitutum: quapropter decernimus, quod Judices et Burgrabij sint possessionati in illis Terris, in quibus, ab eorum Capitaneis constituti, officia exercent: ipsosque terrigenas et subditos nostros, itinerumque ac itinerantium securitatem, juxta juris formam, a violentijs injuriantium defendant: ad solutionem vero poenarum, quae ex judicato debentur, eosdem compellant.

Ne mercata fiant in villis, et de poena secus faciendum. 365

Providere volentes indemnitati oppidorum, et eorum subditorum, in quorum praedictum mercata in villis, fieri consueverunt: statuimus et decernimus; ut Capitanei locorum, mercata in villis per publicas proclamationes exerceri prohibeant: et maxime, ne in villis et caeteris locis, quibus fora ex privilegio non sunt concessa, ulnis et talento fiat venditio: secus facientes, per rerum venditioni expositarum receptio-

nem puniantur: exceptis frumento, pecoribus, pecudibusque. Ipsi etiam Capitanei prohibentur sunt negotiatoribus, quod non nisi vijs consuetus et publicis stratis, telonea et publica loca non declinando, vadant: sub rerum, quas per obliquas vias vexerint privatione.

De pondere et mensura Cracoviensi, Posnaniensi, Leopoliensi, Lublinensi.

Ut aequalitas servetur in Regno ponderis et mensurae: statuimus, quod pondus staterae, et similiter ulna Cracoviensis, cum Posnaniensi, sint perpetuo aequalia: pondus autem et ulnam Leopoliensem ac Lublinensem, ex rationabili causa, in suo statu remanere volumus.

De Commissarijs, ad granicies quae contingunt inter Regnum, magnum Ducatum Lithvaniae, et Masoviam deputandis.

Providentes difficultatibus et gravaminibus subditorum nostrorum Regni, et Magni Ducatus Lithvaniae, quae occasione granicierum inter eadem dominia, et Masoviam, tum inter Magnum Ducatum et Regnum saepe contingunt: volumus et decernimus; ut quoties opus fuerit, per Nos Commissarij deputentur, et mittantur nostris expensis providendi, ad faciendas easdem granicies et injurias componendas, occasione illarum hinc inde exortas, quatenus absque querentium onere, justitia eis ministretur.

Confirmatur statutum Alberti Regis, de fugitivis in Russia, et de exemptione nobilitatis, ejusdem Terrae, a solutione teloneorum et foralium.

Ad supplicationem Terrarum Russiae: volumus et decernimus; ut de omnibus fugitivis statutum Regis observetur: et quod nobilitas illarum Terrarum, sicut in alijs Terris Regni, a solutione teloneorum et foralium, sit libera atque exempta, et in alijs eadem gaudeat libertate.

CONSTITUTIONES

CONVENTUS PETRICOVIENSIS,

ANNO DOMINI MILLESIMO QUINGENTESIMO DECIMO.

De uniendis Lithvaniae et Prussiae Terris, ad ferenda onera Regni.

Cum compertum ab omnibus habeatur, quod virtus unita fortior solidiorque esse consuevit, ipsa divisa: promittimus Nos operam duros; ut Magnum Ducatum Lithvaniae, Terrasque Prussiae, et alias Terras in finibus Regni consistentes, ad unionem redigamus: et quantum possibile factu erit, omnibus communia, communiter ferenda, simul ac monetam aequalem communiter recipiendam imponemus: praesertim, dum Conventum utrisque Dominij praefatis ad locum porficiendum constituerimus.

Tempora determinata, quibus Conventus particulares sequi debeant.

Providentes, ut Conventus particulares debito modo celebrari, dum opus est, valeant: promittimus dare Cancellariae informationem; ut eos opportunis locis, et debitis temporibus literis praescribant, et praesertim; ut Conventum Szredensem, duabus septimanis ante Colensem, et subinde Petricoviensem octo diebus constituere meminerint.

Poenae statuta contra non venientes ad Conventus.

Decrevimus etiam quod Episcopi, Palatini, Castellani, et caeteri Officiales, teneantur interesse Conventibus Terrestribus, et in Majori-Polonia, Colen. et in Terris Cracovien. novae Civitatis Korczyn, sub poenis. Episcopi namque soluturi sunt pro poena marcas quadraginta, si se legitima excusatione in eodem Conventu non excusaverint. Palatini vero et Primarij Castellani, solvere tenebuntur, si se temerarie absentaverint, et legitima excusatione se ibidem in Conventu non excusaverint, marcas viginti. Similiter Castellani minores, solvent pro absentia decem marcas, fisco Regio applicandas, si se non excusaverint, non vaga, sed legitimi impedimenti excusatione. Et poenae praefatae, fisco nostro Regio irremissibiliter applicabuntur.

Ut Palatini provideant, ne in mensuris et pretijs rerum venalium homines graventur, et judicia temporibus statutis non negligant.

Querelis communiter omnium subditorum nostrorum finem imponere volentes decernimus, et auctoritate nostra mandamus; ut Palatini officia sua exerceant circa artificia ordinanda, statuto veteri innitendo, et alijs rebus ad suum officium pertinentibus, communi utilitati, et justitiae provideant, ne in mensuris et pretijs homines graventur: et ne judicia, ipsis non curantibus, cum detrimento communis justitiae, temporibus debitis negligantur. Qui quidem Palatini, formam artificibus rei fiendae, et pretium imponere debent. Si quis vero alia inusitata forma res mechanicas habere voluerit, eas sic solvet, uti cum artifice convenire poterit. Haec autem constitutio, non solum in nostris civitatibus et oppidis, sed etiam in omnium spiritualium et saecularium, cujuscumque status et conditionis existant, per Palatinos fieri debet: facta vero per Consules civitatum oppidorumque servari, custodiri, et exequi debet: qui quidem Consules, transgressores quatuordecem marcis punient, Palatino solvendis. Palatinus autem Consules Officium negligentes sibi commissum, toties quoties deliquerint centum marcis puniet: quarum duas partes fisco nostro applicandas; et tertiam partem, Palatino damus. Ubi vero Palatinus deliquerit, et officium suum quaecumque neglexerit: promittimus ipsum puniendum centum marcis, fisco nostro applicandis, quoties de hoc compertum habuerimus.

De colonis fugitivis restituendis.

Ut concordia passim inter omnes conservetur statuimus; ut coloni, qui desertis agris, a Dominis suis, ad inquilinatus civitatum et oppidorum fugiunt, cum repetuntur, Dominis suis, vel per Capitaneos, vel Civitatum Officiales restituantur sub poenis Regalibus: vel cogantur desertos agros, alijs possessoribus idoneis loco sui, collocare. Reliquos vero inquilinos, sine injuria cujuspiam manentes, tolerandos decernimus. Statutum autem, quod de filijs kinetonum antehac conditum est, in robore relinquimus.

Conventus in Radzieiow Brestensi, et Junivladislaviensi Terris, deinceps indicendus.

Petitioni Terrarum Brestensis et Junivladislaviensis consentientes constituimus, ut utriusque Terrae, unum Conventum Terrestrum in Radzieiow celebrandum, deinceps instituiamus.

De progressu ad bellum.

368 Quodam abusu frequentatum est, quod nobilitas sine ordine, ad bellum, dum generalis expeditio moveretur transibat, constitutionem vetustam non observando: decernimus itaque statuto veteri innitendo, ut Castellani Districtus suos, ad locum in restibus per Nos designatum, sine hominum injuria et incommodo ducant, quibus quidem auctoritatem damus eos puniendi, qui temerarie excessus facerent, et damna hominibus inferrent, ordinationes antiquas in victu comparando non observantes. Quodsi Castellani Officium in hoc neglexerint exequi, et in protectione damna non prohibuerint; tunc tenebuntur damna passis solvere, si reos Nobis non detulerint, tunc Nobis pro poena negligentiae quatuordecem marcas solvent. Palatini vero cum Castellanis eos ducendos dividant et deputabunt, praesertim in Majori-Polonia, ubi nihil hoc modo ante ordinatum fuisse reperitur. Dum vero Castellanus cum Districtu suo movere se voluerit ad bellum, ut una omnes pergant, debet Castellanus locum suo districtui deputare, et in loco competenti tentorium suum extendere, et quatuor diebus in eodem loco immorari, et tandem progredi sine hominum injuria, victualia quaevis, ut statuto cautum est solvendo. Et cum ad locum in restibus designatum venerit; Palatino suo, cum Districtum quem duxit consignabit.

De officialibus impossessionatis.

Aequitatem circa vetustas constitutiones servando, demandabimus deinceps illud statutum debite executioni; ut quibus dignitates et officia Terrestria conferemus, possessionati sint. Et si cui impossessionato ob aliquod insigne meritum dignitatem vel officium dederimus, idem teneatur esse possessionatus ab accepto officio in medio anno, sub amissione dignitatis vel officij. Eos autem qui nunc impossessionati essent, et dignitates vel officia tenerent, si se hinc ad

medium annum possessionatos non fecerint, dignitate vel officio privabimus.

De solvendo teloneo aquatico per nobiles.

Teloneum autem aquaticum solvendum per nobiles, juxta statutum antiquum relinquimus ut videlicet frumentum ducens per se, vel factorem suum juret, quod cum frumento proprij laboris navigat, et hoc teloneatores observabunt poena sub nostra.

De non admittendo sale externo.

Novas adinventiones abrogando, de consilio Consiliariorum nostrorum, quae antea temporibus constituebantur, thesauro communi contrarias, salem Cracoviensem in pristinum statum et ordinem, statutis vetustis innitentes, reducendum curavimus; ne zuppae Cracovienses periclitentur in detrimentum Reipublicae; mandamus omnibus Capitaneis, quatenus debitum officij sui exerceant in prohibendo peregrino et extraneo sale, quocumque duceretur ad ea loca, ubi usus salis Cracoviensis esse consuevit, sub poenis, super Capitaneos, tam oppignoratos Capitaneatus habentes, quam liberos, jam pridem constitutis.

De resignationibus et inscriptionibus coram Capitaneo Majoris-Poloniae.

Decernimus ad petitiones Nuntiorum Majoris-Poloniae, ut resignationes et inscriptiones reformationesque, coram Capitaneo Majoris-Poloniae generali more antiquo fiant, in Palatinibus Posnaniens. et Calissien. duntaxat.

De libris Capitaneorum Majoris-Poloniae in Praetorio civitatis Posnaniensis, conservandis.

Errores vetustos abolere volentes, et statuta ob id condita approbantes decernimus; ut Capitanei Majoris-Poloniae generales, sive post mortem, sive per immutationem, libros actorum officij sui suos et quoscumque alios praedecessorum suorum, juxta constitutionem vetustam, in Praetorio Posnaniensi in conclavi reponant et restituant. Et mandamus sub poena centum marcarum; ut omnes, quicumque libros, quorumcumque Capitaneorum eorum, qui Capitaneatum Majoris-Poloniae quondam administrarunt, infra hinc, et festum S. Joannis Baptistae proxime futurum, restituant, et in Praetorio reponant, ut praemissum est. Capitaneus autem modernus sit obligatus facere diligentiam in exquirendis libris hujusmodi, quos quidem si qui restituere noluerint, toties quoties moniti fuerint, poenam centum marcarum fisco nostro applicandam solvere irremissibiliter teneantur: si vero quis ejusmodi libros se non habere contenderit, jurejurando id probare tenebitur, quod eos non habeat, neque de eis scit.

De testamentis condendis.

Pietatem sanctam opprimere nolentes, sed eam summo favore prosequi cupientes; decernimus,

ut testamenta condantur juxta veterum constitutionem, ex more antiquitus servato, de bonis mobilibus. Immobilia vero bona, tam haereditaria, quam oppignorata, (ne defensio Reipublicae minuat,) testamentali ordinationi subjecta, minime esse debent; secus de bonis Regalibus, eadem enim propter Reipublicae commodum, Nobis in parte vel in toto, testamento legari poterit.

370 **Ut homines saeculares, ad judicia spiritualia, pro re mere saeculari, non evocentur.**

Concordiam, quae mater incrementi est, conservare volentes, inter spirituales et saeculares personas: prohibemus deinceps; ne saeculares personae sexus utriusque judicij spiritualibus se implicent, pro re saeculari, vel debito contracto, vel contrahendo, nec aliquis saecularis saecularem pro re mere saeculari, in jus spirituale convenire audeat.

Restrigitur nimia exactio Notariorum Terrestrium.

Sopientes controversiam, quae in judicij saecularibus evenire solet de questu Notariorum Terrestrium; relinquimus in robore statutum Regis Casimiri in Opoka factum.

Poenae contra homicidas statuta, sive sint possessionati, sive non.

Homicidia voluntaria et notoria, quae postposito Dei timore ac cum nostro dedecore in Regno nostro inoleverunt, et a temerarijs omni justitia atque publica honestate procul pulsa, diversis modis in diversis ac cujuslibet status, ordinis, ac dignitatis homines, crebris vicibus, impune, hoc triennio hactenus a tempore nostrae felicitis Coronationis patrata sunt, petiti a Consiliarijs Regni nostri, status utriusque universis, et a Nuntijs, hic ex omnibus Terris congregatis, compescere, punire, et remove volentes; de omnium praefatorum Consiliariorum nostrorum consensu et approbatione, ad quinque annos hinc duraturum tale statutum condidimus: in omnes noxios irremissibiliter exercendum. Videlicet, cum contigerit, quod aliquis homo nobilis, hominemobilem in domo, sive in strata publica, aut in loco aliquo, data opera, interfecerit: promittimus et spondemus, veteri statuto, de simili homicidio, tantisper, quamdiu istud, ut praemissum est, durare debet, abrogato; talem homicidam, cum primum a Capitaneo, in cujus Capitaneatu scelus patratum fuerit, cum Castellano et Judice, vel Succamerario ejusdem Terrae Nobis nuntiatum fuerit, sive aliunde ad nostram cognitionem venerit, ad nostram praesentiam, ubicunque cum Curia nostra tunc feliciter constituti fuerimus, literali citatione advocare: citatio vero ab oblatione per duos nobiles et ministerialem, continebit in se terminum sex hebdomadarum. Cumque talis homicida coram Nobis comparuerit, et de ejus facinore Nobis, ut praemissum est constiterit; eundem, ir-

remissibiliter carcere turris, anno et sex hebdomadarum spatio puniemus, et punire promittimus. In primo termino tanquam peremptorio contra ipsum sententia promulgata; a quo termino nequaquam eidem ad Terram seu Districtum appellare licet. Et cum homicida ut praemissum est, carceris poenam expleverit, tenebitur proximis interfecti centum viginti marcas pecuniarum pro capite in continenti solvere, aut in bona aequivalentia realem dare intromissionem, aut tamdiu in carcere sedere, quamdiu non solverit. Et si contingeret, quod homicida citatus coram Nobis non compareret, si idem extiterit possessionatus, bonis suis omnibus per Nos fisco Regio applicandis, privabitur; et denique erit obligatus ad subeundam poenam praefatam, cum in manus inciderit. Et cum punitus per Nos sufficienter fuerit, et capitis pretium persolverit, bona sibi per Nos recepta restitui debent. Similiter, si homicida impossessionatus et citatus, pro crimine hujusmodi per literas nostras in parochia, ad quam pertinet, contumaciter coram Nobis non comparuerit, debet publico edicto infamis pronunciari, et hostis patriae judicari: et quicumque tali favores praestiterit, ipsum apud se servando, et secum conversationem habendo, infamis habendus est tamdiu, quamdiu se non expurgaverit; et ea poena puniendus, quam ille ferre debuit. Si vero talis homicida carcere inclusus ibidem moreretur, non tenebitur successoribus solutionem pro capite impendere. Capitanei autem, sive oppignoratos, sive liberos Capitaneatus habentis, si Nobis tales homicidas tempestive non detulerint, a Nobis poena irremissibili punientur; videlicet cogentur illi, qui oppignoratos Capitaneatus habent solvere Nobis centum marcas pecuniarum toties, quoties ante sex menses Nobis ejusmodi homicidas non patefecerint, facinusque ipsum subituerint; liberos autem Capitaneatu privabimus. Capitaneo vero se expurgandi proprio juramento, quod ei de tali homicidio non constiterit, concedemus, ubi id opus fuerit, facultatem. Super homicidio autem, quod alicui se defendendo, dum invaditur, per aliquem committere acciderit, talem progressum servabimus; videlicet citabimus homicidam ad praesentiam nostram, ubicunque tunc fuerimus; eundemque cum comparuerit, juxta qualitatem homicidij commissi, ex arbitrio nostro judicabimus, seu expurgationem eidem decernemus: si vero citatus non comparuerit, ita puniendum declarabimus, ut est in articulo homicidij voluntarij et notarij praemissum.

De homicidij ante commissis.

Decrevimus etiam, omnium Consiliariorum et Nuntiorum consensu et consilio, a tempore felicitis nostrae Coronationis, usque hactenus, omnes homicidas ejusmodi, ut praemissum est, modo praedicto aggrediendos et puniendos, ne malefactis temperasse videamur.

Executio statuti, Serenissimi olim Regis Alexandri, de malefactoribus prorogatur ad quinque annos.

Statutum autem Serenissimi olim Alexandri Regis, de malefactoribus et praedonibus, sive ipsorum fautoribus, in Radomiensi Conventu quondam editum, abhinc ad quinque annos exercendum, etiam et exequendum, Consiliarijs nostris id ipsum svadentibus, [et petentibus, promittimus et pollicemur: de quibus etiam Capitanei locorum Nos certiores facere teneantur, registra examinum Nobis tradendo, sub poena praemissa.

Poenae statuta contra violatores Consiliariorum et Nuntiorum, ad Conventus publicos proficiscentium.

Item contra eos, quorum licentia eo usque progressa est; uti jam promiscue, sive in vijs publicis, sive in villis et oppidis, non solum privatas, sed etiam publicas personas violare non formidant: itaque talium hominum insolentiam cohibere coercereque volentes, cum consilio omnium Regni Consiliariorum, statuimus et decernimus; ut quicumque Praelatos, Barones, et Consiliarios Regni status cujuslibet, et item Nuntios, sive nostros, sive Terrestres, nostra ac Reipublicae negotia obeuntes, ad Conventus publicos, sive Terrestres, sive Generales proficiscentes, et in iisdem Conventibus manentes, sive ab eisdem in domos suas redeuntes, quatuor septimanis ante Conventus, et post alij quatuor septimanis sive in vijs, sive in villis et oppidis quoquo modo invadere et violare ausus fuerit, crimine laesae Majestatis reus judicabitur. Idem vero de his, qui in judicij, sive ordinarij, sive commissarij, Commissarios, Judices, vel Officiales, publica officia exercentes, violare praesumpserint, taliter erit intelligendum, ut ejusdem criminis laesae Majestatis obnoxij judicentur.

Conservantur in suo robore priores constitutiones, contra plebeios et Romanistas editae.

Ad tollendas murmurationes universae nobilitatis, quae plerumque fiunt propter plebeios, qui exquisitis conatibus se ad ecclesias cathedrales recipi procurant, decernimus; statuta quae contra plebeios et Cortesanos, a Praedecessoribus nostris sancita sunt, in suo robore observanda, decernimusque et volumus; ut eadem debita executioni, quoties opportunum fuerit, etiam per officiales nostros demandentur, sub poenis in officialibus institutis.

De quibus bonis personalis profectio ad bellum fieri debet.

Statuto vetusto innitentes constituimus; ut terrigenae in diversis Terris domicilia habentes, omni tamen fraude submota, bellico servitio ex eis bonis, ubi eos restes praevenierint, propria persona, de alijs autem bonis, expeditione congrua satisfaciant; at vero secus facienti, fraus et dolus non patrocinabitur.

De transgressoribus novi telonei.

Cum in eos severius animadverti oporteat, qui in fraudem redituum Reipublicae licentiosius delinquant, decernimus, Consiliarijs nostris censentibus; quemlibet, quicumque teloneum ad utilitatem Reipublicae institutum, puta a bobus, a cutibus, et alijs rebus similibus, transire et fraudare ausus fuerit, boves extra Regnum expellendo, et cutes educendo, teloneo non soluto, puniendum pro tali excessu et crimine peculatus, in bonis et rebus, ad Nos citatum, juxta arbitrium nostrum: nec minus eos, quorum permissione, favore et consilio, praesertim officiales et terrigenas in finibus undequaque residentes, pro hujusmodi fraude, ut supra puniemus; quandoquidem facientes et consentientes pari poena puniendi sunt, et hoc statutum se extendere debet non solum ad futura, sed etiam praeterita.

Quomodo literae et inscriptiones in bonis Regiis interpretandae.

Ambiguitates abolere volentes, quae plerumque dum inscriptiones super bonis Regalibus, seu privilegia coram Nobis reproduuntur emergunt, determinamus, innitendo veteri consuetudini dudum practicatae; quod quaecunque specificata in privilegio vel in inscriptione nominatim fuerint, illa eadem tenenda sunt, eandemque specificationem si quae generalitas sequitur, ad praefatam specificationem duntaxat referenda est, et non ad alia, sed ubi specialis mentio in privilegio vel in inscriptione de teloneo, de curru bellico, de exactione duorum grossorum, de statione, et jurepatronatus facta non est, juri Regio observatum est: inscriptiones autem quae generaliter fiunt, nihil specificando, sed omne dominium in personam transferendo, omnia in se complectuntur et possessori attribuuntur.

Sculteti, Advocati, molendinatos, Scultetias, Advocatias, et molendina sua, absque consensu dominorum suorum, alienare et obligare non debent, nec possunt.

Saepenumero Advocati, Sculteti, et molendinatos, juri dominorum per ignorantiam detrahere consueverant, et vendebant vel oppignorabant Advocatias, Scultetias, et molendina, in toto vel in parte, absque consensu dominorum suorum. Quapropter constituimus, ne hoc amplius facere audeant, sub amissione summae, pro qua vendiderint, vel oppignoraverint fisco domini sui, in bonis vero nostris Nobis applicandae. Petentibus autem ad oppignorandum, consensum non negabimus, sine tamen incommodo nostro; et Cancellaria non amplius debet recipere a consensu, quam a centum florenis, quindecim grossos.

CONSTITUTIONES

CONVENTUS PETRICOVIENSIS,

DE ANNO DOMINI 1511.

De processu judiciario in unam formulam redigendo.

Quod ad diversitatem consuetudinum processus judiciarij attinet, qui in omnibus Regni Terris diversus est, ut in unam aliquam formulam redigatur, promissimus, et praesentibus literis pollicemur, quod designabimus in Terra Cracoviensi aliquot ex nobilitate viros juris Terrestris peritos, qui revisis praedictis omnium Terrarum consuetudinibus, per Palatinos ad Nos mittendis, possint eundem et uniformem ubique juris processum invenire et conscribere, quem Nos demum ad Palatinos transmissuri sumus, ut illi cum Castellanis, Officialibus, et reliqua primaria nobilitate illum reveideant et examinent, usque ad futurum Generale Conventum, in quo Nos tandem, id quod omnibus aequabile videbitur, approbavimus, et confirmatum in omnibus Regni nostri judiciis, perpetuo servandum statuimus.

Ut fluvij, Wisla, Warta, et alij sint liberi et navigabiles.

Item, licet antiquis statutis constitutum est, ut fluvij Wisla, Warta et alij, debeant esse liberi et navigabiles, contumacia tamen quorundam subditorum nostrorum factum est, quod hactenus propter sepes, quae obstacula vocant, et molendina in ipsis fluminibus facta, sunt impervij et liberae navigationi minime patentes, ideo statuimus, ut praedicta flumina, sub poena sexaginta marcarum purgentur, et in eis ostia fiant, per quae naves onustae, et traves contextae, sive strues, quae vulgo *traffty* vocantur, libere devehij possint, quod sub eadem sexaginta marcarum poena, hinc ad medium quadragesimae fieri debet, quodsi secus quis facere auderet, tunc ad nostrum iudicium citatus, in primo termino, tanquam peremtorio condemnari debet in praedicta sexaginta marcarum poena, cui etiam poenae nova obstacula in iisdem fluminibus facientes, volumus subjacere.

Taxa literarum Cancellariae nostrae Regiae.

Item, ne praedicti nostri subditi, in Cancellaria nostra, a Notarijs plus justo graventur; decernimus, quod deinceps a citationibus nihil accipiat, a procuratorio tres grossi, a literis commissionis cum mandato, decem grossi, a literis consensus super bona nostra Regia, duo floreni, ab alijs vero inscriptionibus communibus, duae sexagenae. Item a quibuslibet literis clausis, sex grossi, a literis salvi conductus, duodecim grossi, a literis perpetuis in pargameno cum serico, sexagenae quinque solvantur. Praedictam autem taxam literarum nostrarum observandam, decrevimus favore nobilitatis Regni nostri, quam in hoc speciali praerogativa con-

nare volumus. Cives vero, judaei, et homines externi, solvent literas juxta arbitrium et voluntatem Cancellariae nostrae.

Nobilitas Regni, cogi non debet ad solvenda telonea, a frumentis et rebus labore suo domestico quaesitis.

Item statuimus, id quod antiqua etiam constitutione est cautum, ne Regni nostri nobilitas a frumentis et rebus proprio et domestico labore quaesitis, ad ulla telonea nostra solvenda sit obligata, a quorum solutione, ipsam liberam esse volumus, hoc tamen proviso, ne dolus et fraus cuiquam in hac parte patrocinetur.

Ut de agris, hortis, et Scultetij desertis, publicae contributiones non exigantur.

Item statuimus, ut agri, horti, et Scultetiae desertae, a solvendis exactionibus impositis sint immunes, utque de molendinis, secundum antiquas taxas et quietantias, praedictae contributiones exigantur, et qui propter aliquem casum libertate sive immunitate donati sunt, ab iisdem etiam exactionibus solvendis, praeter *czopowe*, quamdiu immunitas durat, liberi permaneant.

Coram quibus Judicibus exactores publicarum contributionum respondere teneantur.

Item volentes praeccludere injuriarum occasionem, quae ab exactoribus, subditorum nostrorum hominibus, in exigendis contributionibus sunt: statuimus, quod deinceps ipsi exactores, si quando ultra formam literarum universalium insolita ratione quempiam gravarent, querelis eorundem hominum, de talibus injurijs, coram illius Terrae Episcopo, Palatino et Castellano respondere, et decretis eorum parere teneantur.

Nobiles Regni, coquentes cerevisiam in civitatibus et oppidis ad usum suum domesticum, immunes esse debent a solvenda contributione *czopowe*.

Item, quia nobilitas Regni nostri multa onera Reipublicae, et praesertim defensionis contra hostes sustinent; statuimus, ut quicumque in civitatibus et oppidis, ad usum suum privatum domesticum, cerevisiam braxaverint, dummodo id non in fraudem fiat, ad solvendam contributionem, dictam *czopowe*, minime teneantur.

De mensura antiquitus constituta a mercatoribus servanda.

Item ne subditi nostri a mercatoribus et artificibus nimium graventur; statuimus, ut mensura antiquitus constituta, a mercatoribus servetur, nec eam aliquis audeat facere brevior, contrarium facientes, a Palatinis et Capitaneis juxta statutum puniantur, et similiter fiat de pretijs rerum, ut illa Palatini constituent, et transgredientes puniant.

Poena contra evocantes quempiam extra proprium Districtum.

Item statuimus, ne quis audeat quempiam extra Districtum suum evocare, praeter Regiam et

officij causam, quae non habet Districtum, contrarium faciens, quatuordecem marcarum poena puniatur.

Libertas alienandi bona omnia, sterilibus hominibus concessa.

Item, quia jure divino et humano permissum est hominibus, disponere de rebus suis, pro eorum arbitrio et voluntate; statuimus, quod steriles homines, omnia bona sua haereditaria possint alienare, juxta suam voluntatem.

Corrigitur statutum de inutili Sculteto.

Item, errorem in statuto de inutili Sculteto juxta interpretationem corrigere volentes: statuimus, ut pro verbo recipere verbum praecipere, ponatur.

De agendis generalibus judiciis, quae colloquia nuncupantur.

Item, quia multae negligentiae, multaque errata et damna fiunt, inter subditos nostros, per omissam generalium judiciorum, quae colloquia vulgo nuncupantur observationem; statuimus, ut Palatini illa judicent, praemissa in binis terminis praecedentibus proclamatione, ita ut in tertijs terminis deinceps judicentur.

De potestate Procuratoris, pro suo principali in iudicio comparantis.

Item antiquum statutum aequa moderatione interpretantes; statuimus, ut procurator sive possessionatus, sive non possessionatus; habens sufficiens procuratorium, possit in judiciis comparere, omniaque agere et exercere, quae ipsius principalis causam vel causas attinent seu tangunt, etiam partem citatione verbali, alias *na-dwornym*, citare et Judicem movere, ac alia omnia facere, quae ad defensionem causae pertinent, praeter inscriptiones, quas nec novas facere, nec de antiquis quietare, nec pecunias tollere inscriptas poterit, sine praesentia sui principalis seu actoris.

De non exigendo spisso.

Item statuimus, ut *spisne* non exigatur, in exactionibus et decimis pecuniariis, et similiter in exactione duorum grossorum, quae vulgo Regalia vocantur.

Villae et possessiones monasteriorum, adaequantur villis nobilium, in solvenda exactione duorum grossorum.

Item gravaminibus quorundam monasteriorum providere cupientes, statuimus, ut exactionem duorum grossorum ita solvant villae et possessiones ipsorum, sicuti villae nobilium eam solvere consueverunt.

De Polonis ad monasteria Regni suscipiendis.

Item iniquam consuetudinem quorundam in Regno nostro monasteriorum tollere cupientes, ad quae fratres gentis duntaxat Germanicae sus-

scipi solent, in contemptum Polonicae nationis; statuimus, ut quisque Dominorum Episcoporum, in sua Dioecesi, videat privilegia talium monasteriorum, et si iisdem privilegijs id non sit expressum, ut soli Germani ad dicta monasteria suscipiantur, provideant, ut promiscue Poloni et Alemanni deinceps recipiantur.

Taxa literarum Judicii Terrestris.

Item, quia Notarij Terrestris et Castrenses, alicujus actum, sive inscriptionem in libro Terrestris seu Castrensi quaerentes, nobilitatem immodice taxare, pro labore quaerendi consueverunt; statuimus, ut ipsi Notarij nihil posthac exigere audeant, pro labore quaerendi, pro literis vero pargameneis, cum appensis sigillis, decem grossorum salario sint contenti, ex quibus sex Judici, duo Subjudici, et duo Notario Terrestris cedant, a papireis vero literis, sub sigillis Judicis et Subjudicis unus grossus, a condemnatione in poena contumaciae duo grossi, a condemnatione in lucro quatuor grossi, a memoriali juxta antiqua statuta, quatuor grossi solvantur.

De sale devehendo ad illas Terras, ad quas navibus demitti solet.

Item promittimus copiam salis Nos esse deVecturos ad omnes illas Terras, ad quas navibus deportari solet, ut quaeque praedictarum Terrarum, sale antiquitus uti solito, et nunc copiose uti possit, et ut justo pretio a mercatoribus nobilitati, et vulgo vendatur, Palatinorum cura erit providendum.

Poena contra Capitaneos et Tenentarios venire negligentes ad faciendos limites.

Item, quia ex querelis nobilitatis accepimus, multos damnis affici, negligentia Capitaneorum et tenentiarum bonorum nostrorum, qui per Judices Commissarios accersiti, ad limitanda bona nostra cum bonis praedictae nobilitatis venire recusant. Huic igitur incommodo occurrere volentes; statuimus, ut si deinceps Capitanei vel tenentarij nostri accersiti, venire neglexerint, ad eosdem limites faciendos, poena viginti octo marcarum, per Nos puniantur, quarum medietas parti, reliqua medietas Nobis et Successoribus nostris cedere debet.

Aboletur consuetudo Terrae Sochaczoviensis, in casandis citationibus observata.

Item ad abolendam iniquam consuetudinem, in Terra Sochaczoviensi, in qua citationes, ob immutatam literam, vel dictionem, vel mutilam seu mancam in ea scriptam propositionem, vel propter intercisam cassari solent, cum amissione causae: statuimus; ut ejusmodi consuetudo utpote perniciose non teneatur; nec deinceps alicui ullum afferat nocuum, propter indecentias vero et defectus citationis, correctus actor, poena consveta, potest meliori citatione causam relevare, et denuo incipere.

377

376

375

379

378

De filiabus colonorum in matrimonium collocatis.

Item moderationem statuti Serenissimi olim Domini Joannis Alberti, Fratris et Praedecessoris nostri, de filiis colonorum de villis, absque consensu dominorum et haeredum, non dimitendis: quod nonnullis Consiliarijs nostris, parum aequum, et libertati communi contrarium videtur ex justa causa, de voluntate et consilio Consiliariorum nostrorum, ad futurum Convantum Generalem suspendimus. De filiabus vero eorundem colonorum, propter matrimonia, (quae libera esse volumus) statuimus; quod si quis non possessionatus, duxerit filiam alicujus kmetonis possessionati, apud illam in possessione manere debet: et similiter impossessionatae filiae, apud possessionatos maritos remaneant in matrimonio collocatae, idem de viduis observandum censemus.

PRIVILEGIUM.

CAPITULI VARMIIENSIS

SUPER ELECTIONE EPISCOPORUM VARMIIENSIS, ET GRATITUDINE PERSONAE ELIGENDAE, ET QUOD EX ELECTIS REX NOMINARE NON DEBEAT NISI VERUM TERRARUM PRUSSIAE INDIGENAM. ANNO 1512.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Cujaviae, Russiae, Prussiae ac Culmensis, Elbingensis, Pomeraniaeque etc. Dominus et Haeres, significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis et singulis praesentibus et futuris, harum notitiam habituris, quod cum defuncto bonae memoriae olim Reverendo in Christo Patre D. Luca Episcopo Varmieniensi, ejusdem ecclesiae Praelati et Canonici ad electionem novi Episcopi et Pastoris processissent, fuissetque orta aliqualis controversia super eadem electione, quae videbatur Nobis facta non observato tenore cujusdam articuli, inter olim Serenissimum Principem Dominum Casimirum Regem Poloniae Genitorem nostrum charissimum, et Reverentem Patrem D. Nicolaum Episcopum Varmiensem et ejus Capitulum per quandam inscriptionem facti, in quo cavetur, quod ijdem Praelati et Canonici ecclesiae Varmiensis, defuncto eorum Episcopo, personam gratam Regibus Poloniae eligere teaneantur. Cumque ejusdem articuli, de eligenda grata Regibus persona, interpretatio in dubium hinc inde traheretur: Nos prospicere cupientes, ne qua posthac controversiae occasio inter Nos vel Successores nostros Reges et Dominum Episcopum, ac ejus Capitulum dictae ecclesiae Varmiensis super electione Episcoporum et gratitudine personae eligendae, exoriri possit, ad tollendam omnem ejusdem articuli in posterum

ambiguitatem, matura deliberatione et consultatione cum Consiliarijs nostris spiritualibus et saecularibus habita: cum Reverendo Patre Domino Fabiano Episcopo Varmieniensi moderno, ac ejus ecclesiae Capitulo in hunc, qui sequitur modum devenimus. Quod cum contingerit vacare ecclesiam Varmiensem, Praelati et Canonici ejusdem ecclesiae tempestive et ante electionem novi Episcopi mittere tenebuntur de gremio sui Nuntios ad Nos et Successores nostros legitimos Reges Poloniae, si fuerimus aut ijdem Successores nostri fuerint in Polonia, non tamen in Terris Russiae, aut Magno Ducatu Lithvaniae, usque Vilnam et non ulterius, et significare per eosdem Nuntios suos obitum sui Episcopi, et diem electioni novi Pastoris praefinitum. Et praeterea dicere tenebuntur nomina omnium Praelatorum et Canonicorum ecclesiae suae, praesentium et absentium ab ecclesia, ac declarare pro eorum judicio fideliter ac veraciter vitam, mores, dignitatem, genus et omnem conditionem status uniuscujusque. Quod si forsitan pro eo tempore Nos aut nostri Successores non essemus seu non essent in Polonia, sed in Terris Russiae aut ultra essemus, seu Successores nostri essent in Magno Ducatu Lithvaniae ultra Vilnam, tunc ijdem Praelati et Canonici, ne forte electio nimis tardetur, et ecclesia praefata alicui periculo aut incommodo subijciatur: obligati erunt per suos Nuntios omnia superius descripta Reverendissimo Domino Archi-Episcopo Gnesnensi pro tempore existenti, aut ejus Paternitate extra suam Provinciam existente, Vladislaviensi aut Plocensi Episcopo significare; qui quidem Dominus Archi-Episcopus, sive alter ex supradictis Episcopis, illo absente, sine omni mora per suum tabellarium sive Nuntium de illis omnibus, quae sic significabuntur, Nos et Successores nostros curabit reddere certiores. Ex quibus quidem Praelatis et Canonicis ejusdem ecclesiae Nos quatuor pro arbitrio nostro nominabimus, non alios tamen, quam qui sint veri Terrarum Prussiae indigenae, ac per specialem Nuntium nostrum seu literas clausas significabimus ipsi Capitulo, quos judicaverimus ad illius culmen dignitatis et locum in Consilio nostro magis idoneos et Nobis gratos. Ipsi vero Praelati et Canonici praedicti unum ex illis quatuor, quem voluerint aut judicaverint meliorem et utiliorem deligere in Episcopum tenebuntur et erunt adstricti. Et quia ex longa mora electionis aliqua difficultas vel impedimentum evenire poterit, itaque post acceptum de morte Episcopi a Capitulo Nuntium, supradictos quatuor, octo diebus ad summum spatium nominare debemus. Et hoc amplius adijciendum, ipso Domino Fabiano Episcopo, et ejus ecclesiae Varmiensis Capitulo assentientibus volumus, quod si quando Nos vel Successores nostri filium sive fratrem Germanum inter quatuor supradictos nominare vellemus, qui prius esset de gremio Capituli ecclesiae praedictae, id in nostro et Successorum nostrorum Regum

Poloniae arbitrio et potestate erit, ac si ijdem filius vel frater Terrarum Prussiae indigena esset. Cum autem dicti Praelati et Canonici, sic ut praefertur, unum ex eisdem quatuor nominatis elegerint, intimare debebunt Nobis et Successoribus nostris novum Electum, et cum eo supplicare, ut illum nostris literis Sedi Apostolicae et Sanctissimo Domino commendemus, ut electionem de eo factam cum gratia confirmare dignetur. Qua quidem confirmatione et provisione secuta, idem Electus, juxta tenorem et inscriptionem, cum superius nominato olim Domino Niclao Episcopo Varmieniensi et ejus Capitulo factam, praestabit juramentum Nobis et Successoribus nostris, prout in eadem inscriptione latius continetur. Reliqua vero, quae in eisdem articulis cum supradicto Domino Nicolao Episcopo Varmieniensi habitis continentur, salve et integra permanere debent in perpetuum et inviolabiliter observanda. Ea vero, quae his literis continentur, ipse Dominus Fabianus Episcopus Varmiensis praedictus, cum Capitulo ecclesiae firmiter, illaese et inconcusse tenere, exequi et inviolabiliter perpetuo observare debebit, et ejus successores debebunt. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes literas scribi fecimus et sigillo nostro communiri. Actum in Conventione Generali Petricoviensi. Die Martis septima mensis Decembris, alias in vigilia Conceptionis Beatae Virginis Mariae, anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, Regni vero nostri sexto. Praesentibus Reverendissimo et Reverendis in Christo Patribus Dominis:

382

Ioanne Archi-Episcopo Gnesnensi et Primate, Joanne Cracoviensi, Joanne Posnaniensi, Erasmo Plocensi, Fabiane Varmieniensi, Mathia Praemisiensi, et Regni nostri Cancellario, Jacobo Camenecensi, Ecclesiarum Episcopis; necnon Magnificis, Venerabilibus, Generosis et Nobilibus Nicolao de Kamieniec Cracov: et Campiductore Regni nostri Generali, Nicolao de Lubraniec Posnan: et Capiteo Lancieni: Joanne de Tarnow Sandomiriensi, Jaroslao de Lasko Siradiensi, Joanne Jarandi de Brudzew Lancieniensi, Nicolao de Kretkow Brestensi, Joanne Ordowaz de Sprowa Russiae Terrarum Generali, Otha de Chodecz Podoliae, Nicolao Firley de Dabrowica Lublinensi, Georgio de Baysen Mariaeburgensi, Nicolao de Pilcza Belzensi, Andrea de Radzieiowica Plocensi, et Ravensi Capiteo, Prandota de Zelasna Ravensi, Palatinis. Luca de Gorka Posnaniensi et Capiteo Majoris-Poloniae generali, Chrystophero de Szydłowiec Sandomiriensi et Regni nostri Vice-Cancellario, necnon Siradiensi, Sochaczoviensi et Gostinensi Capiteo, Stanislae de Ostrorog Calisiensi, Janussio Lataksi Gnesnensi, Joanne de Przeremb Siradiensi, Alberto de Gladczanow Lancieniensi, Nicolao de Szydłowiec Radomiensi et Succamerario Cracoviensi, Regni nostri Incisore, Nicolao Jordan de Zakliczyn Vislicieniensi, Andrea de Oporow Brestensi, Hieronymo de Kobyliny Rosperieniensi, Andrea de Tęczyn Biecensi et Causarum Curiae nostrae Referendario, Georgio Krupski de Orchow Belzensi, Stanislae de Pothulice Miedzryzecensi, Jaroslao Sokolowski de Wrancza Landensi, Petro Gorski Naklensi, Joanne de Bochtotnica Malogostensi, Stanislae de Sprowa Zarnoviensi, Martino Skotnicki de Bogoria Zawichostensi, Stanislae Kuropatwa de Lazuchow Chelmensi, Castellanis. Stanislae de Chodecz Mareschalco et Capiteo Leopoliensi, Andrea de Koscielec Thesaurario, Scepusiensique Oświecimensi Sandecensi, Junivladislaviensi, et Bidgostiensis Capiteo, nec-

non Zuppario et Magno Procuratore Generali Cracoviensi, Regni nostri, Andrea de Klecz Custode et Joanne Sculteti Sacrae Theologiae Professore ac Archidiacono Varmieniensi, Joanne Lataksi Gnesnensi, Cracoviensi et Lancieniensi Praeposito, Petro Thomicki Decretorum Doctore, Archidiacono, Joanne Czarnkowski Canonico Cracoviensi, Stanislae Gorecki Praeposito Calisiensi Ecclesiarum, Secretarijs nostris; Stanislae Jarocki Mareschalco Curiae nostrae, Raphaelae, de Leszno Capiteo Szlochoviensi, Henrico Itfeld Proconsule Thorunensi, Ambrosio Sztorm Nuntio et Notario Gedanensis civitatum nostrarum. Adamo de Drzewicza Sandomiriensi, Stanislae Lassocki Posnaniensi Terrarum Succamerarijs, Nicolao Oczieski Capiteo Costensi et Magistro agasonum Curiae nostrae,

et alijs quam pluribus Dignitarijs, Officialibus et Curiensibus nostris, circa praemissa testibus fide dignis, sincere et fidelibus nostris dilectis. Datum per manus praefati Reverendi in Christo Patris Domini Mathiae Episcopi Praemisiensis, et Regni nostri Cancellarij, sincere Nobis dilecti. Mathias Dominus Episcopus et Cancellarius *spt.* Relatio ejusdem Reverendi in Christo Patris Domini Mathiae Episcopi Praemisiensis et Regni Poloniae Cancellarij.

383

SIGISMUNDUS

CONSULTAT DE MATRIMONIO CUM PROCERIBUS.

Sacra Caesarea Majestas pro eximia sua erga Nos benevolentia et conjunctione nostra mutua, saepius Nos cohortari dignata est, ut rationem habentes venturi Status Regni, Dominiorumque nostrorum, ac Nepotis nostri Ludovici Hungariae Regis, cum masculina prole careamus, et una duntaxat in utroque nostrum spes posteritatis nostrae superet, animum ad ineundum alterum matrimonium induceremus: proposuitque Nobis ejus Majestas inter alias Neptem suam Illustriss. Leonoram Principem Burgundiae, virginem annorum 17 cum dote ter centum millium aureorum: et si fratres ejus Carolus et Ferdinandus Reges, sine masculina prole, quod absit decederent: ipsa ut senior in Principatum Flandriae et Burgundiae succederet. Alteram vero Illustriss. Bonam, virginem annorum 19 quae cum matre sua D. Isabella filia Alphonsi Regis Aragonum degit in Regno Neapolitano: quae habebit dotis ducenta millia parata: post mortem vero matris suae, accessura sunt ei adhuc quingenta millia aureorum. Offertque ejus Majest. intellecta voluntate nostra, omnem suam operam, quo ipsum matrimonium quam maxime ex re et dignitate nostra conficeretur: promittens insuper ejus Caes. M. quo testatior esset erga Nos benevolentia et affectus, quod cognita voluntate nostra et si aninus esset Nobis secum Viennae aut alibi conveniendi, ut id aliquomodo negotia Sereniss. Regis Ludovici et nostra mutua valde exigunt, se effecturam esse, ut ambae praedictae Virgines illic constituerentur, et Nos coram, utram vellemus, eligere possemus, id vehementer Majestas sua, cupiens, ut nuptias in

praesentia ipsius et de manibus ejus auspicemur, in quibus ipsa adhuc hastis concurrere vellet, et id genus stratagemata sua hoc jucundo fini concludere. Nos itaque cognita M. suae Caesareae tanta in Nos affectione, et quod hujus rei deliberatio diutius produci non potest: decrevimus voluntatem nostram suae Caesareae M. per nuntium vel literas nostras, cum id tantopere a Nobis exigit declarare: ne per longiorem cunctationem tantam rei bene gerendae occasionem amittamus, et tam favorabile ejus Caesareae M. erga Nos officium negligere et parvipendere videamur. Quia vero tale negotium ad bonum statum Reip. augendum vel diminuendum plurimum habet momenti, inconsultis S. V. nollemus illud aggredi. Quas enixe hortamur, ut inprimis consulant, si Nobis Uxor ducenda sit necne? deinde cum in matrimonio tractando, quemadmodum in omnibus Principum actionibus duo praecipue sint consideranda, honestum nostrum, et utile Reip. perpendant secum diligenter quae Nobis potissimum his rationibus sit ducenda: et si, ut Caesarea M. optat, resque nostrae mutuae exigunt, convenire cum illa debeamus: praescribantque Nobis quam celerius suam sententiam, ut ad tempus quod res exigit eius Caesareae M. respondeamus.

TERRA DROCHICIENSIS

JURI POLONICO ADSCRIBITUR.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Ordinationes Regum et Principum, pro subditorum commodo quomodolibet factae, ut potissimum firmas ac stabiles essent, tam literarum munimentis, quam testium fide dignorum annotatione perennari consueverunt. Proinde Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Samogitiaque Dominus et haeres. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris. Quod licet nobiles et terrigenae nostri Districtus Drochicien: de speciali concessione Praedecessorum nostrorum, hujus Magni Ducatus nostri Lithvaniae Ducum, jure Terrestri Polonico, more nobilium terrigenarum in Regno nostro Poloniae degentium gauderent et uterentur, haberentque desuper literas et munimenta eorundem Praedecessorum nostrorum, videlicet Serenissimorum olim Principum felicis recordationis Casimiri Genitoris et Alexandri germani, nostrorum charissimorum Poloniae Regum, et hujus Ducatus Lithvaniae Ducum, successive concessa: quia tamen in eisdem literis seu privilegiis coram Nobis ad praesens originaliter productis et exhibitis, multa comperimus articulatum supervacanee descripta, quae in libris statutorum Regni nostri Poloniae, specificae et per expressum continentur, et juxta nonnulla, quae in perneciam,

jacturam et oppressionem non modicam eorundem subditorum nostrorum fuere adjecta, hoc idem jus Polonicum, eisdem subditis nostris nobilibus et terrigenis privilegiatis et non privilegiatis, hoc est jus habentibus et non habentibus, Districtus praefati Drochicien: praesentibus et futuris, eorumque successoribus, conjunctim et divisim, de certa scientia et gratia, favoreque speciali Ducatibus nostris, de novo iterum dandum et conferendum duximus, damusque et conferimus, in omnibus punctis, articulis, et conditionibus, prout in libris statutorum Regni Poloniae latius continentur, in eodem Districtu nostro tenentes et observantes, omnes et singulos articulos juri praedicto Polonico ac justitiae quomodolibet contrarios, in literis privilegiis, praefatis Praedecessorum nostrorum praedictorum, uti praefertur, expressos et specificatos, oppressionem hujusmodi subditorum nostrorum praefatorum in se continentes, et in nihilum rediguntur, cassanturque et mortificantur, ac extinguuntur, perpetuo et in aevum, tenore praesentium mediante. Praeter illum articulum, quo mediante praefati Praedecessores nostri Officiales seu Ministeriales, vulgo Lithvanico *dziecckie* nuncupatos, contra ipsos nobiles et terrigenas ejusdem Districtus, nunquam deinceps fore dandos prohibuerant, quos quidem Officiales proxime expressos, Nos quoque dandos esse praesentibus prohibemus quomodolibet in futurum, volentes et districte praecipientes, ut omnes et singuli Officiales Terrestres et Castrenses, Districtus praedicti Drochicien: pro tempore existentes quilibet eorum pro suo interesse, nobiles et terrigenas nostros praedictos, ad cujuscunque instantiam, videlicet tam nobilis, quam ignobilis, rutheni, judaei, armeni, christiani et pagani, citatos, ac literis citationum intercisis, non nisi sermone et characteribus latinis, juxta consuetudinem juris Terrestri Polonico conficiendis legitime evocatos, pro causis tam parvis, quam magnis, nullis exclusis, secundum hoc idem jus Polonicum, et ordinationes in libris statutorum Regni nostri Poloniae specificae contentas, non aliter quam nunc et in futurum judicarent temporibus aeviternis. Et quamvis jure ipso Polonico laudabiliter provisum sit, ut in singulis Terris ejusdem Regni nostri, homines possessionati et indigenae, ex incolis cujuslibet Terrae seorsum, et non extraneae personae singulis Officiorum Terrestrium et Castrensiarum in casu vacationis praeficiantur in hactenus, pro majori tamen cautela et securitate praedictorum subditorum nostrorum Drochicien: praesenti privilegio nostro id ipsum singulariter institutum et ordinamus, ut in eodem Districtu Drochiciens, hujusmodi Officiales Terrestres, per liberam electionem indigenarum, et universorum nobilium conventionaliter congregatorum, de jure communi Regni fieri solitam, ad eadem Officia sua, toties quoties per decessum vacatura, non nisi cum ratihabitione nostra Ducali, Successorumque nostrorum Magni Ducatus Lithvaniae Ducum:

Castren: vero pro arbitrio nostro duntaxat, ex eisdem incolis et indigenis Districtus praedicti Drochicien: per Nos et Successores nostros Lithvaniae Duces, (dummodo uterque ipsorum Officialium Romanae religionis essent) deinceps instituerentur: de omnibus et singulis causis subditorum nostrorum praedictorum coram se legitime exortis, motis et movendis, statutis a jure temporibus, modo praemisso cognituri, confirmantur esse: nihilominus in hoc moribus et consuetudinibus approbatis et approbandis Terrae Cracovien: tamdiu, quoadusque omnes aliae consuetudines judicariae universarum Terrarum Regni nostri praedicti, per Nos vel Successores nostros Poloniae Reges, aut eos, quorum integresset invicem coequarentur. Casu vero quo aliquis terrigenarum nostrorum Drochicien. praedictorum, aut quispiam alius, in Judicio Terrestri vel Castrensi Drochicien: sententiam contra se latam reprobaverit, qua mediante crederet sibi quomodolibet praedictum iri, extunc instituitur et ordinamus, ut in ejusmodi praedictio, liceat unicuique taliter condemnato, a sententia Judicis et Capitanei nostrorum praedictorum, veluti iniqua et erronea, ad Nos et Successores nostros Lithvaniae Duces, cum parte sua adversa legitime appellare, et coram Nobis Successoribusque nostris, cum eadem parte adversa justitiam suam experiri meliorem, Judicio et Capitaneo illaesis, quietisque propterea manentibus, prout in Terris Masoviae, et praesertim, in Terra nostra Plocen: teneri observari est consuevit. De poenis vero judicialibus, per partes victas legitime juris, ad sortem nostram et Successorum, officialiumque nostrorum, et etiam partis vicentis, ex vi perlucrorum, vel quomodolibet aliter spectantibus, per Officiales nostros Castrenses, et Terrestres, praesentes et futuros Drochicien: exigendis, ac de kmethonibus eorundem terrigenarum nostrorum, Drochicien: fovenitur manu tenentur. Mellificiis quoque seu apiasteriis, ac injuriariis et damnis quomodolibet inde secutis, et justitia vicinis, cum subditis nobilium et terrigenarum pro quacunque re ministranda, cujuscunque ritus utrinque aut conditionis essent, necnon captivandis et non evocandis ad quodcunque judiciorum nostrorum ejusdem terrigenis de proprio eorum Districtu Drochicien: pro quibuscunque eorum excessibus, totoque processu judicario, ac inscriptionibus, et aliis rebus quibuscunque, per singulos Judices et Capitaneos nostros Drochicien: pro tempore existentes, non aliter volumus observari, nisi quemadmodum jure ipso Polonico juxta constitutiones Praedecessorum nostrorum, in toto Regno hactenus teneri et observari solitum est, ac consuevit. Ordinamus etiam ac instituitur, ut in singulis citationibus literalibus, Terrestribus, sigillum Terrestre Districtus Drochicien: infra depictum equum selatum uno homine armato, litera Sacra ad perpetuam memoriam nominis nostri praecincto, in se continens, applicaretur subinprimereturque toties quoties fuerit opportunum. Quod quidem

sigillum supra descriptum, praesenti privilegio nostro ipsi Districtui Drochicien: et incolis ejus pro tempore existentibus, quoad praefatam necessitatem judicariam, ac pro armis Terrestribus Drochicien: de nostrae celsitudinis clementia tribuendum, concedendumque duximus, prout tribuimus et concedimus perpetuis temporibus, per eos quorum interest observandum. Ut itaque praemissa omnia per Nos concessa, robur obtineant perpetuae firmitatis praesentes literas nostras scribi, sigillique nostri Magni Ducatus Lithvaniae jussimus et fecimus appensione communiri. Actum et datum Vilnae die Dominico Laetare, anno Domini 1516, praesentibus ibidem Reverend: in Xsto Patre Domino Alberto Episcopo, ac Magnificis et Generosis, Nicolao Radziwiłowic Palatino Vilnensi et Cancellario, Gregorio Oszczykowic Trocensi, et Mareschalco Curiae, Alberto Gasztold Polocensi, Joanne Zabrzezinski Novogrodensi, Palatinis, Andrea Dowoynowie Succamerario, Georgio Chlinicz Capitaneo Brestensi, Joanne Sczytowic, Nicolao Jundyłowic, et Joanne Hlebowic, Mareschalco, cacterisque Dignitariis et Officialibus Curiae nostrae, circa praemissa testibus fide dignis, sincere Nobis et fidelibus nostris dilectis. Datum per manus praefati Magnifici Nicolai Radziwiłowic Palatini Vilnen: et Magni Ducatus Cancellarij, sincere Nobis dilecti. Sigismundus Rex significat.

Relatio ejusdem Magnifici Nicolai Radziwiłowic, Palatini Vilnen: et Magni Ducatus Lit: Cancellarij.

CONSTITUTIONES

CONVENTUS PETRICOVIENSIS,

DE ANNO DOMINI 1519.

Poena contra evocantes ad forum spirituale pro re mere saeculari.

Ut ordo debitus in juribus et judiciis observetur, et temeritas nonnullorum in evocandis hominibus ad judicia impertinentia coerceatur, statuimus quod saecularis saecularem ad forum spirituale pro re mere saeculari citans, aut actioni suae personae spirituali cedens, poena viginti octo marcarum puniatur, cujus media pars Nobis, altera parti, cedit; quae quidem poena, Judicio Castrensi repetetur: poena vero contra spirituales evocantes saecularem, pro re ad forum ecclesiasticum non pertinente, in synodo generali proxima constitui debet, et interim Domini Episcopi Officialibus suis committere et providere tenebuntur ut saeculares personae, ad judicium spirituale, pro re mere saeculari non evocentur.

Notarii Terrestres, circa positionem librorum, praesentes esse debent.

Notarii Terrestres sint praesentes circa posi-

tionem librorum Terrestrialium, moniti secus facientes, poena statuti puniantur: et electio de more ad Palatinum et nobilitatem devolvatur.

388 **Termino Curiali, Nobis in Terris Majoris Poloniae existentibus, nemo, nisi de eisdem Terris citari ad Nos debet: et similiter Nobis in Terris Minoris Poloniae agentibus, non nisi ex Terris ejusdem nobiles ad Nos citabuntur.**

Quia terminus, ut vocant, Curialis, alias *Nadworny Rok*, multis hominibus difficultates afferre solet: propterea, quod interdum hi, qui negotia publica apud Nos obcunt, passim et temere ab unoquoque citari solent, et in actionibus publicis impediri: statuimus; quod deinceps Nobis in Terris Minoris Poloniae existentibus, nemo, nisi in eisdem Terris domicilium habens, citari ad Nos termino Curiali poterit, pro summa in statuto descripta. Et similiter, Nobis in Terris Majoris Poloniae agentibus, non nisi ex eisdem Terris, Nobiles, citari ad Judicium Curiae nostrae debebunt. Causae vero coram Nobis non terminatae ad Districtum rei, seu citati remittentur, quos Judex Terrestris judicabit, etiam in terminis particularibus, de quacunque summa, pro qua coram Nobis actio fuerit incepta.

De terminis ad querelam non transponendis.

Termini ad querelam, vigore mandati facti, non transponantur simul cum alijs terminis, sed semper in duabus septimanis judicentur, et non habeant dilationes, nisi unam; hoc est, nisi in secundo termino tanquam peremptorio judicari possunt: haec tamen constitutio moderabitur et concordabitur per Commissarios suprascriptos, in omnibus deinceps Terris observanda.

De Capitaneis et tenentarijs ut violentias nobilitati in limitibus non inferant.

Capitanei et tenentarij bonorum nostrorum violentias nobilitati in limitibus non inferant, nec eosdem limites per Commissarios nostros factos, vi destruant.

Limitationes bonorum non secundum literas et signa in eis descripta, sed juxta senum testimonia fieri debent.

Quia multae literae et privilegia reperiri solent, partim abusa, partim etiam incerta: statutum Serenissimi olim Domini Regis Alberti renovamus: ut videlicet limitationes bonorum fiant non secundum literas et signa in eis descripta, ad instantiam petentium, et re oculis non subjecta, sed juxta senum testimonia, praesertim cum illius Majestas tam benigna, et liberalem constitutionem fecerit, ut cognitionem et distinctionem bonorum nostrorum, Dignitarijs et Officialibus Regni, subditis nostris, committeret.

Poenae contra non possessionatos Capitaneos, et eorum Officiales.

Capitanei, et eorum Officiales, sint in Terris, ubi ipsa Officia gerunt, possessionati juxta an-

tiquum statutum; alioquin suis Officijs privari per Nos debebunt.

Unus particularis Conventus in Terra Sandomiriensi celebrandus.

Unus duntaxat particularis Conventus, in Terra Sandomiriensi, juxta antiquam consuetudinem, celebretur. Conventu Skrzynnensi, qui ex speciali concessione nostra annis superioribus agebatur, abolito penitus, et sublato.

Praescriptio viginti annorum virginibus monialibus, ad bona haereditaria repetenda, concessa.

Praescriptio virginibus monialibus ad bona haereditaria repetenda fiat a professione religionis viginti annorum: aequum enim videbatur, favore religionis; ut cum illis praescriptio statui debuit, et nuptiae decennium habeant, ipsae, ut sponsae Christi, et quae in claustris conclusae, et educatae, tam cito rerum suarum cognitionem habere non possunt, duplum habeant.

Judices cum Subjudicibus providere debent, ut inscriptiones diligenter per Notarios in libros inscribantur.

Judices cum Subjudicibus provideant, quo inscriptiones juste et diligenter per Notarios in libros inscribantur, et non mutantur; ad quod et ille, qui actionem habebit, et res sua illi erit curae, intendant.

De taxa membranarum.

Notarij Terrestris non plus, nisi medium grossum pro membranis, juxta antiquam consuetudinem, sub poena quatuordecim marcarum, recipiant.

De testamentis non confirmandis.

Testamenta contra statutum per Nos antea editum condita deinceps non confirmabimus; quae confirmata sunt, jure impugnari debebunt.

Poenae contra recipientes pecuniam, ad servitium militare.

Quicumque ad servitium militare pecuniam acceperint, et pro ea non satisfecerint, nulla citatione praemissa, per Capitaneos capiantur; et tamdiu in carcere detineantur, donec ibi, et tempore servitij, quod facere debuerant, expleant, et pecuniam acceptam restituant: sive illi possessionati, seu non possessionati extiterint. Et qui praefinitam conscriptionis diem neglexerint, arbitrio nostro, aut Campiductorum nostrorum punientur.

Judices Terrestris et Castrenses, Subjudices, et Notarii, iurati esse debent.

Judices Terrestris et Castrenses, Subjudices, et Notarij sint iurati; et imprimis terrestribus terminis juramentum praestent, sub poena privationis officij. Terrestris videlicet Judices, coram Palatinis suis, aut Castellano illius Terrae: Castrenses vero Judices, coram Capitaneis aut

Vice-Capitaneis locorum; sententia tamen eorum, si quando retractata fuerit, honori et bonae estimationi ipsorum non nocebit.

De pixidibus brevibus non deferendis.

Nemo deinceps tempore pacis, seu eques, seu pedestris, pixides breves, quas *Rocanice* vocant, deferre audeat, ab hac tamen constitutione Terras Russiae liberas esse volumus, quae parata arma contra insultus hostium habere solent et debent.

Non habentibus literas super telonea.

Non habentes literas, aut illas amittentes super telonea, longo tempore possessa, quaerent in ea gratiam nostram et Successorum nostrorum.

Poenae contra rusticos vagos.

Rustici vagi, qui ad diem tertium post suum in civitates vel oppida ingressum servitio seu artificio se non applicuerint: volumus et statuimus, ut per Officium civile capiantur et detineantur, vinctique compede ad faciendos aggeres et fossas civitatum vel artium adhibeantur, ne et furta vel latrocinia ex eis multiplicentur, et nobilitas servorum et laboratorum penuria prematur, id quod et alijs omnibus in bonis suis facere licebit.

391 De inscriptionibus bonorum, factis coram Officio Castri Siradien: et Lancien:

Inscriptiones et resignationes bonorum in Terra Siradiensi et Lanciensi coram Judicio et Officio Castrensi factae, sint firmae et validae, ac robur perpetuae firmitatis obtineant, sine quavis introductione in librum Terrestris, quemadmodum in Capitaneatu Majoris Poloniae observatur.

CAUTIO

D. SIGISMUNDI REGIS

IN PERSONA IOANNIS BALINSKI, QUOD POSTHAC NONNISI TERRARUM PRUSSIAE INDIGENA, ET VERNACULAE LINGVAE PERITUS, IN IPSARUM TERRARUM CONSILIUM RECIPI ET ADMITTI DEBEAT. ANNO 1519.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque etc. Dominus et Haeres. Manifestum facimus tenere praesentium, universis et singulis, quibus expedit, quod cum alias Nos volentes Generosum et fidelem Nobis dilectum Joannem Balinski, ob meritorum suorum exigentiam, amplioribus honorum fastigijs evehere, ei Castellanus Gedanensis Dignitatem in Terris Prussiae ea vice contulisset, mandavimus eum in ipsarum Terrarum Consilio recipi et admitti. Verum, cum praemissa privilegij earundem Terrarum obstere dicantur, ex eo quod idem Joannes indigena illarum Terrarum non existens, ipsarum etiam linguae imperitus, praesenti nostro decreto declaramus, et in verbo nostro Regio affirmamus, intentionis nostrae non fuisse nec esse, per praedictam nostram collationem et mandatum

memoratis privilegij aliquatenus derogare, aut quomodolibet ea tollere vel abrogare. Decernimus igitur praedictam nostram collationem et mandatum, quatenus dictis privilegij aliquomodo adversetur, Terris nostris Prussiae in aliquo non praejudicare, aut ad similia permittenda in consequentiam seu exemplum in posterum trahi non posse neque debere, dictosque Terrarum Prussiae Consiliarios eundem Joannem in Consilium recipien: nostroque mandato paren: ab hujusmodi privilegij recessisse censi aut judicari a quoquam non debere neque posse, nolentes eos aut Terras praedictas, ob nostrae complacentiae obsequia, hac duntaxat vice Nobis impensa, praedictum aliquod aut jacturam reportare. In quorum omnium testimonium has nostras literas fieri jussimus nostro sigillo communitas. Datum in Brzeście Cujaviensi feria quarta ipso die Beati Andreae Apostoli: annorum, Domini millesimo quingentesimo decimo nono, Regni autem nostri tredecimo. Christophorus de S. Palatinus et G. Cracovien: ac R. P. Cancelli. *ss.* Ad relationem Magnifici Christophori de Szydlowiec Palatini et Generalis Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarij etc.

CONSTITUTIONES

CONVENTUS BYDGOSTIENSIS,

ANNO DOMINI MILLESIMO QUINGENTESIMO VIGESIMO.

Motio generalis belli.

Statuimus et ordinamus; quod dum bellum generale juxta statuta antiquiora, per Nos et Successores nostros indictum fuerit, extunc trinae literae restium, seorsum sive successive mittantur, et ultimis literis restium, nominabitur dies Conventionum particularium in Districtibus; pro quo tempore Castellani Districtuum tenebuntur cum nobilitate convenire, et constituere inter se unanimiter diem et locum; ita, quod nobiles Districtuum, cum suis Castellanis, ad locum generalis belli designatum procedant: et Castellanus, in professione, de nobilitate, conquerentibus super damnis et injurijs, justitiam faciat; inobedientes autem, Nobis et Successoribus nostris deferat: quodsi deferre neglexerit, extunc damna passis persolvat. Si vero idem Castellanus aegritudine vel aliqua alia causa absens fuerit, vel transire non poterit, extunc in locum suum, alium idoneum nobilium deputabit ad praemissa.

Castellanorum facultas in Conventibus particularibus, et professione bellica.

Item statuimus; quod in eisdem Conventibus particularibus, licebit eisdem Castellanis, aegrotos ad bellum proficisci non valentes cum aliquibus nobilibus revidere, et tandem Nobis et Successoribus nostris deferre; ac deinde coram Nobis et Successoribus nostris, nomine talis aegroti, testes quatuor nobiles idonei nomina-

buntur; qui testes quatuor, vel alij electi nobiles testes nominandi jurare debent super vera infirmitate, cum eodem aegroto convalescente. Sed si ipse infirmus cum quatuor testibus non juraverit super vera infirmitate, extunc talis negoti bona impetrata debent secundum donationem nostram, vel Successorum nostrorum, suum effectum sortiri, et nihilominus talis aegrotus expeditionem debitam faciet bellicam.

De conformandis juribus et consuetudinibus Regni.

Diversitas constitutionum, diversas inter homines controversias generat et diversos Judices causas judicantes, diversa intelligere et sentire cogit. Supplicationibus itaque crebris Nuntiorum Terrestrialium moti, in proximo Generali Conventu futuro, omnibus consuetudinibus juribusque et statutis vetustis, et omnibus Palatinatibus congregatis reformationem omnium constitutionum per deputatos et deputandos jurisperitos Regni nostri, favente Deo aggrediemur. Doctoribus etiam juris pontificii et legum adhibitis, qui a loco Conventionis Generalis proxime celebrandae, non discedant, donec eandem Regni iurium et constitutionum debitam emendationem fecerint. Et tales per Nos deputatos et deputandos, expensis nostris providebimus; alios autem nobiles viros, jurisperitos, quos nobilitas ex Palatinatibus adjungat, suis expensis providebit: ita tamen, quod omnes Palatini Terrarum, sub poena in constitutionibus nostris expressa, consuetudines Terrarum, pro eadem proxima Conventione, Nobis praesentent.

Poena turbantium Conventus.

Statuto hoc praesenti etiam sancimus, quod quicumque in Conventibus rixas facientes, gladios evaginaverint, poena marcarum viginti Polonicalium puniantur: si vero aliquem vulneraverint, extunc poena statuti antea promulgati puniantur: sed si aliquem occiderint, poena capituli puniantur: et contra tales Capitanei locorum, inquisitionem et executionem facere debent, sub poena centum marcarum Polonicalium: hi vero qui crimine patrato aufugerint, ex Regno sunt banniendi, et infames pronunciandi: prout et infames eos declaramus.

Poena absentium a bello.

Absentiam a praesenti bello inobedientium nobilium, merito punire debuimus severa et consveta punitione contra tales semper observata: petitione tamen Terrestrialium Nuntiorum supplicii tribuentes, differre eandem decrevimus, ad Conventum Generalem proxime celebrandum, et praesentibus differimus.

De kmethonibus fugitivis.

Quoniam aequitate Dei svadente, tenemur cujuslibet justitiae et indemnitati prospicere, hujus statuti decreto sancimus; ut nemo audeat profugum kmethonem, alicujus ecclesiastici, seu etiam nobilis suscipere; qui a domino suo, ob prae-

sentis belli inflictam sibi calamitatem, fugeret: sed sine strepitu juris, quilibet teneatur ad requisitionem, suo domino, sive ecclesiastico, sive saeculari sponte restituere. Si vero requisitus quisquam, talem kmethonem profugum restituere nollet, et se permiserit ad Judicium Castrense trahi; in primo termino convictus cum poena eundem restituere tenebitur, et Judicio Castrensi licebit in primo termino pro hujusmodi kmethonibus, justitiam facere, et quod justum est decernere. Quae praesens constitutio de kmethone fugitivo duntaxat ad unius anni decursum durabit.

De laboribus kmethonum.

Statuimus et ordinamus: quod omnes kmethones omnium villarum nostrarum Regalium, spiritualium et saecularium subditorum Regni nostri, secundum decretum Conventionis Thorunensis Generalis, proxime praeteritae, debent dominis suis laborare unum diem in septimana, exceptis villis nostris, desuper privilegiatis, quae expresse speciali privilegio docerent, quod loco laborum, censum pecuniarum auxerunt; tales duntaxat privilegijs gaudent: alij, ut praemissum est laborabunt.

De salario Officialium Judicij Terrestris.

Statutum per Nos, Consiliariosque nostros status utriusque, et Nuntios Terrestris, de salarijs Judicum, Subjudicum, et Notariorum Terrestrialium editum, in suo robore permanere, et in executionem extendi volumus, et praesenti constitutione districtius mandamus.

Prohibitio transitus per Marchiam.

Constituimus etiam in eodem Conventu, occludendum esse transitum, tam universis Regni subditis, quam etiam extraneis mercatoribus per Marchiam; omnesque negotiatores, sub omnium ipsorum honorum amissione, in et extra Germaniam, cum quibuscunque mercibus, et bobus, via praefata ire non debent; sed ea via per Glogoviam et alia loca, qua antiquitus ire solitum est. Sed quoniam in Terras Domini Ducis Stolpensis, per novam Marchiam ire hinc inde solitum fuit, Nos autem nolentes, nec nostris, nec ipsius Domini Ducis Stolpensis subditis, et alijs mercatoribus, negotiationem et transitum hinc inde prohibere, volentesque, quantum possibile fuerit, hoc prohibere, ut nemo, tam in Regnum nostrum venies, quam etiam ex eo transiens, aliqua loca Domini Marchionis attingeret: et hic scire non valentes debitam locorum positionem, per quae transitus utrinque commodius posset constitui; committimus Magnifico et famatis, Lucae de Gorka Castellano Posnaniensi, et Capitaneo Majoris-Poloniae generali: cum Consulibus Posnaniensibus, constituere et publicare transitum et loca, per quae, tam ex Regno nostro, per Terras et Dominia ipsius Domini Ducis Stolpensis, quam etiam ex ejus Terris et Dominijs, cum mercibus, (sale excepto) et pro

STATUTA

QUAE EXSTANT COMITIJS THORUNENSIBUS.

396

Kmethones unum diem, plus minusve, septimanatim laborent.

Item, commoditatibus subditorum nostrorum consulere volentes, de omnium Consiliariorum nostrorum Status utriusque ac Nuntiorum Terrarum Regni nostri consilio et consensu, statuimus et decernimus perpetuo observandum: quod omnes et singuli coloni, seu kmethones, omnium et singularum villarum, tam nostrarum quam subditorum nostrorum, cujuscunque status existentium, qui prius diem in septimana non laboraverunt, Nobis et dominis ipsorum, de quolibet laneo unum diem, septimanatim laborent: et ad laborandum sint adstricti demptis his colonis: qui censu pecuniario, aut frumentario, seu quacunque alia contributione seu datione, dominis suis labores jam antea recompensarunt. Et hoc specialiter proviso: quod haec constitutio non extendat se, contra hos colonos: qui ratione possessi agri, plures fortasse dies in septimana, dominis suis, et Nobis laborare consueverunt. Nam haec lex, pro his tantum constituta est: qui minus quam diem, in septimana, Nobis et dominis suis laborare soliti erant.

De eadem captivatione nobilium in civitatibus obmissa crimina.

Quia nobilium et civitatum Regni nostri damosa fuit exorta differentia, super his nobilibus: qui in recenti crimine, pro violentia in civitatibus et oppidis, capiebantur: proinde Nos tam gravi negotio ad praesens, propter Prussiae bellicam occupationem, pro perpetua ordinatione intendere non valentes: nihilominus providentes tranquillitati subditorum nostrorum, de unanimi consilio Consiliariorum nostrorum omnium, et Nuntiorum Terrestrialium Regni, statuimus et ordinamus: quod dum aliquis nobilis in civitate nostra vel oppido nostro aut aliquorum spiritualium et saecularium subditorum Regni nostri, pro crimine violentiae, per Officium Civile captus fuerit: extunc talis nobilis pro violentia captus, detineri debet in praetorio civitatis vel oppidi, ubi capiatur, quo facto, Officium civitatis vel oppidi illius, ubi talis violator captus fuerit, nullum penitus iudicium faciet: neque aliquam poenam exiget, de eodem nobili: nisi prius ad eorum requisitionem Capitaneus, vel Vice-Capitaneus Castrensis, illius jurisdictionis nostrae Regalis, sub quo civitas talis vel oppidum situm fuerit, praesens interfuerit eidem Civili Judicio: quod ministrari et fieri debet, pro violentia contra dictum nobilem. Et ubi Capitaneus, vel Vice-Capitaneus noster, ad unam sententiam, cum Officio, illius civitatis vel oppidi, ubi talis nobilis detentus fuerit, concordati fuerint: extunc praefatus nobilis, juxta hujusmodi sententiam Capitanei nostri, aut ejus Vice-Capitanei, et Officij Civilis, condemnari et puniri

397

alijs rebus, pro quibus ex usu, vel necessitate, eos in Regnum nostrum venire contigerit, eadem via, et non alijs obliquis, transitus pateat; sub mercium et equorum, in secus facientes, privatione, qui viam ipsam evitantes, ubique locorum prohiberi et arrestari poterint. Quam hujusmodi constitutionem, Domino Duci Stolpensi, ipse Magnificus Lucas de Gorka literis suis declarare debet; ut subditis suis haec publicari faciat, praecipiatque, pro bona vicinitate, ut se in ea re hoc modo gererent et cum Dominia sua attigerint, ut similiter eis per ipsa viam constituat et designet, qua possent transire.

395

Prohibitio salis extranei, sub poena infra scripta.

Etiam innitentes veteri statuto de extraneo sale edito, commodo fisci nostri Regij et Reipublicae providentes: prohibemus usum salis extranei cujuscunque, tam Hallensis, quam grandinosi; hoc est *krupiastey*, quod per mare adduci solet, in locis universis Majoris-Poloniae, in quibus ex antiqua consuetudine uti solitum erat eodem sale. Deinceps vero sale nostro Regio Ruthenico, loco illius extranei utantur: ita tamen, quod Ruthenici salis depositorium Bydgostiae constituemus; ut ex eodem Bydgostiensi depositorio, ad loca illa, in quibus extraneo sale uti solitum erat, pretio porrigatur. De quo ita constituemus; ut in eodem depositorio, singulae tunnae salis, bene refertae, tantae quantitatis, ut sal nostrum Regium Thorunij vendi solet, una scilicet Polonicali marca pecuniae emantur.

Quia vero hujusmodi porrectio salis Ruthenici, ad depositorium Bydgostiense non poterit tam propere fieri: concedimus et admittimus, ut interim sale illo solito extraneo utantur, quoad illius tandem usum vetare commiserimus, et Capitaneis eum submovere praeceperimus: ut potest quum salis Ruthenici sufficientia huc ad depositorium Bydgostiense convecta fuerit. Publicatum vero esse debet sex septimanis, antequam usus salis illius extranei cessabit; ut illud omnes divenderent, nec eo amplius uterentur. Tali modo, a die publicationis, post decursum sex septimanarum, nemo illud in Regnum invehere, sub omnium honorum et mercium suarum amissione: et nec quisquam eo uti audeat, sub poena duodecem marcarum pecuniarum, per eos, apud quos repertum fuerit, irremissibiliter solvendarum.

Etiam considerantes, quod licet constitutum fuerat, ut in Kraina et Paluki, universi incolae, sale et zuppis Cracoviensibus, uti deberent: comperit tamen habentes, raro, vel potius nunquam, sale ipso Cracoviensi, sed extraneo, vulgariter *krupiasta* dicto, uti, non sine incommodo nostro, et gravitate zupparum nostrarum. Itaque statuimus ut deinceps ipsi subditi nostri, de Paluki et Kraina, sale nostro Ruthenico, adinstar aliorum subditorum, ubi sal Saxonicum vendi consueverat, pretio superius expresso utantur, sub poenis superius expressis.

debet. Si vero talis Capitaneus noster, vel ejus Vice-Capitaneus, non poterit se concordare super sententiam, cum Officio Civili, contra talem nobilem: extunc ipse captivus, interea temporis in decenti captivitate civili detineri debet tamdiu: donec a Majestate nostra Regia informationem Capitaneus noster, et illa civitas, vel oppidum habuerit: quomodo talis nobilis captivus sententiari, et puniri deberet: praescriptione tanta temporis non obstante: qua se praedictus captivus tueri non valebit. Si vero in aliqua civitate vel oppido, Officium Civile contra praemissa aliquid attentaverit: extunc per Capitaneum nostrum Castrensem, sub cujus jurisdictione et districtu, talis civitas vel oppidum consistit, Proconsul pro tempore existens, cum uno Consule capi, et decollari, et capite privari debent.

CONFIRMATIO

D. SIGISMUNDI REGIS OMNIUM PRIVILEGIORUM ET LIBERTATUM, QUAS D. EJUS GENITOR CASIMIRUS REX TERRIS PRUSSIAE CONCESSERAT.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Omnium rerum, quae sempiternae memoriae commendari debent, nulla certior firmitudo inveniri potest, quam ut literis posteritati mandentur. Caetera enim facta, quantumvis memorabilia, alijs modis aeternitati dicata, aliquot quidem saeculis durare possunt, sed quae literis memoriae conservantur, nunquam intereunt, ipsaque vetustate fiunt augustiora. Atque ita Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Culmen: Elbingen: Pomeraniaeque, etc. Dominus et Haeres. Manifestum facimus his literis nostris, universis et singulis, tam praesentibus quam futuris: quod accedentes ad conspectum nostrum Domini Praelati Terrarum nostrarum Prussiae spirituales et saeculares, Barones et nobiles, principalium civitatum nostrarum, videlicet, Thorunen: Elbingen: et Genaden: Proconsules et Consules, ac apud Nos earundem civitatum nominibus Nuntij sincere et fideles Nobis dilecti: inter caetera Nobis humiliter supplicarunt, ut eos circa jura, libertates, praerogativas, concessionem, donationes et exemptiones per clarissimae memoriae Dominum Casimirum Regem, Parentem nostrum desideratissimum concessa, et concessas, conservare, manutenere, tueri et defendere, ac ea et illas confirmare, approbare, ratificare, laudare, ac demum renovare dignemur. Nos igitur Sigismundus Rex superscriptus, qui naturae benignitatisque nostrae instituto ea, quae ad ornamentum, dignitatem, amplitudinem atque conservationem Dominiorum, et subditorum, quibus divina dispensatione sumus praefecti, spe-

clare Nobis videntur, grati, libentissimique concedimus, ac praesertim cum ipsi Domini, Praelati et Barones, et tota ferme nobilitas, et supra dictarum civitatum cives, et alij multi incolae et subditi nostri, quamvis semper antea, ut sub imperium et protectionem divi parentis nostri Casimiri redierunt, nunc tamen maxime, cum hoc bellum, quod nuper cum Illustri Domino Alberto Marchione Brandenburgensi: cum Magistro Ordinis S. Mariae in Prussia gessimus, eorundem subditorum nostrorum propulsandam, caedes et injurias, constantissimi et integerrimi Nobiscum perferentes manserunt. Auditis itaque et bene intellectis hodie superscriptis privilegijs, et juribus ac praerogativis, concessionibus aut donationibus, ad laudem et gloriam inprimis Dei Opt. Max. omniumque Sanctorum ejus, et ad universarum Terrarum nostrarum Prussiae incrementum, tranquillitatem, quietem, stabilitatem, atque conservationem, supra scripta privilegia ac jura, praerogativas, concessionem, donationes et exemptiones, ac omnia et singula in ipsis contenta, cum omnibus et singulis eorum punctis, clausulis, et continentijs prout jacent, ex certa nostra scientia et voluntate ex consilioque Consiliariorum nostrorum ad praesens in hoc novissimo Conventu Nobiscum existentium, pro solita benignitate nostra Regia, approbamus, ratificamus, renovamus, et acceptamus, laudamus, et confirmamus, ipsaque et ipsas perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. Promittentes in verbo nostro Regio, ac sub fide boni, legalis et ingenui Principis, pro Nobis et Successoribus nostris, Nos omnia superscripta, in praesentis privilegijs expressa, firmiter et inviolabiliter observare tenore praesentium mediante, in cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus appendi jussimus, et ad meliorem cautelam Nos manu nostra propria subscripsimus. Actum et datum in civitate nostra Thorunensi, feria sexta proxima ante Dominicam Jubilate, anno Domini millesimo quingentesimo, vigesimo primo, Regni vero nostri, anno decimo quinto. Praesentibus Reverendiss: et Reverendis in Christo Patribus Dominis:

Joanne de Lasko Archi-Episcopo Gnesnen: et Primato, et Sedis Apostolicae Legato nato, Matthia de Drzewica Vladislavien: Episcopo, Raphaelo de Leszno ecclesiae Praemislien: et Laurentio Miedzileski ecclesiae Camenecen: designatis et electis Episcopis: necnon Magnificis Nicolao de Dambrowica Castellano Cracovien: et Regni nostri Campiductore supremo, Christophoro de Szydłowic, Palatino et Capitaneo Cracovien: ac Regni nostri Cancellario, Joanne de Lubranz Posenianen: Joanne de Kalinowa Calissien: Stanislawo de Kościelec Bresten: et Capitaneo Mariaeburgen: Palatinis. Luca Gorka Posnanien: et Majoris Poloniae Capitaneo Generali, Nicolao de Szydłowic Sandomirien: et Regni nostri Thesaurario, Joanne Wietwinski et in Carnischin Plocensi, Stanislawo de Sprowa Zarnovien: Castellanis, ac venerabilibus Joanne Lataalski Gnesnen: Cracovien: ac Lancicien: ecclesiarum Praeposito, Andrea Sloriczki Praeposito S. Floriani in Kleparz extra muros civitatis nostrae Cracovien: et Custode Sandomirien: Nicolao Oleśnicki Canonico Cracovien: Paulo Graszowski Praeposito Omnium Sanctorum in Cracovia,

et alijs quamplurimis Dignitarijs, Officialibus et Curiensibus nostris: ad praemissa testibus fide dignis sincere et fidelibus dilectis. Datum per manus praefati Magnifici Chrystophori, de Szydłowic in Smielow et magna Opatow, Palatini et Capitanei Cracovien: ac Regni Poloniae Cancellarij, tum Siradien: Sochaczovien: Gostinen: etc. Capitanei, sincere Nobis dilecti.

Sigismundus Rex spt.

Christophorus de S. Palatinus et Capitaneus Cracovien: ac R. P. Cancell: ssp.

CONSTITUTIONES

CONVENTUS PETRICOVIENSIS,

DE ANNO DOMINI 1523.

Ut Palatini officia sua, in constituendis rebus venalibus diligenter exercent.

Quia mercatores, artifices, et alii qui rebus ad usum humanum necessariis mercantur, eas ipsas pro arbitrio suo et hominum necessitate, et praesertim ingruente expeditione bellica, plus aequo aestimare et vendere solent in magnum nobilium et totius populi gravamen: volumus ut Palatini officia sua in constituendis rebus venalibus, diligenter, juxta vetus statutum exercent. Quos Capitanei locorum, ne eisdem officiis obeundis minime impediant, sed illos omni ope sua adjuvent, utque ipsi Palatini, ita rebus pretia imponant, ut non pluris vendantur post emissas literas restium, quam alias per mercatores et artifices vendi consueverunt.

De furto prohibendo, et furibus coercendis.

Item ad continenda furtiva, et vagos homines coercendos, Capitanei locorum, diligenter curabunt homines otiosos et vagabundos, nullisque servitiis aut artificijs addictos, in suis Capitaneatibus perquirere et cohibere. Nobiles vero in bonis suis tales coerceri per Capitaneos permittant, alioquin citati illos coram Capitaneis statuere teneantur.

De militibus mercenarijs, in Russia militantibus, qui damna in bonis nobilium inferunt.

Quia milites mercenarii in Russia militantes, consueverunt post exactum servitium plurima damna in bonis, tam spiritualium, quam etiam nobilium committere; statuimus, quod qui ex ipsis militibus damna aliqua, tam spiritualibus, quam etiam nobilibus intulerint, ad ea resarcienda accepta a Nobis stipendij solutione teneantur.

Contra Teloneatores, telonea et foralia a nobilitate et ejus subditis ultra debitum exigentes.

Quia nobilitas queritur Teloneatores modum telonei excedere: volumus, ut ipsi Teloneatores nostri, tam aquatica, quam etiam terrestria telonea exigentes, quando aliquid ultra debitum a nobilitate exegerint, id totum citati unicuique resarcire et restituere cogantur Foralia etiam, juxta antiquam consuetudinem et statuta Regni, non exigant a nobilitate et eorum subditis, cum frumenta et res suas domesticas, ad victum spectantes vendunt, aut etiam emunt aliquid pro suo domestico. Qui vero ad revendendum aliquid emunt in civitatibus vel oppidis, illi foralia solita et licita solvere tenebuntur: a rebus vero maechanicis, quas subditi nobilium ducunt ad civitates et oppida utputa rotis, sentellis, cantaris et alijs id genus, foralia moderata accipiantur juxta antiquam consuetudinem.

De progressu ad bellum.

Item ut expeditio bellica ordinato modo fiat ad tuitionem Regni, non ejusdem destructionem cedat, veteri ordinationi et statuto innitentes: statuimus ac ordinamus, ut Castellanus, ad bellicam expeditionem, cum nobilibus sui Districtus profecturus, quatuor vel ad minus tres dies, in loco ad conveniendum designato, in Districtu suo expectet, et qui nobiles ad diem illam non convenerint, aut cum eo profectionem suam non continuaverint, soli vero absque illo Castellano suo proficiscentes, si damnum cuiquam fecerint, duplum ejusdem damni solvere damnum passis tenebuntur et debebunt, idem autem Castellanus, cum suo Districtu proficiscens, stativa faciet cum nobilibus non in villis, nec oppidis, sed prope illa, juxta statuta Regni. Et si rustici seu coloni commeatum et alia necessaria ad exercitum illius conducere noluerint, ipse Castellanus ad vicinas villas familiares suos, vel aliquos probos nobiles mittet, qui necessaria ipsa omnibus qui pro illis se contulerint distribuunt, et curabunt, ut parata pecunia exolvantur, modo et ordine infrascripto videlicet fenum, quantum unus equus portare seu trahere potest, solvatur uno grosso, quod duobus equis afferetur, seu adducetur, duobus grossis: quod quatuor equis, quatuor grossis: cassula siliginis una tribus grossis, avenae unus chornus uno grosso, cassula vero avenae, duobus grossis solvatur, porcus, duodecim grossis, aries seu muto tribus grossis, anseres, gallinae, et pulli, prout in antiquo statuto descriptum est, solvantur.

De faciendis limitibus, inter bona nostra Regia et subditorum nostrorum tam spiritualium, quam saecularium.

Quoniam impediri plerumque solent, et differri limites inter bona nostra Regia, et bona incolarum Regni nostri, tam spiritualium, quam saecularium, statuimus, ut Capitanei et tenentarii nullis injurijs afficiant subditos nostros ra-

402
tione limitum, et si quis illorum id fecerit, ex Officio Capitaneali coram Nobis respondebit. Nos vero deputabimus Commissarios nostros, qui faciant limites, ac illorum iudicium inhibitionibus nostris non impediemus; assessores, seu Commissarios, nec etiam Revisores post limites factos designabimus, sed quidquid Commissarii nostri decernerit, illud ratum et firmum esse debet. Praeterea, cum Commissarii nostri conveniant ad locum limitum, sive Capitaneus, seu Tenentarius noster exiverit, sive non; suo eduxerit senes, sive non; ipsi Commissarii nihilominus limites ipsos prosequi et finire debent, Capitanei nostri ac etiam illius qui queritur de injuriis limitum contradictione, seu motione et appellatione, ac etiam absentia minime obstante. Praeterea Commissarii nostri praedicti, duabus septimanis antequam simul conveniant ad faciendos limites, Capitaneum seu tenentarium nostrum de tempore et loco sui conventus certiorum faciant, per ministerialem et duos nobiles, ac etiam per literas suas proprias, et mandatum nostrum. Si autem dignitarij ad limites ipsos designandi, essent pauci in illa Terra, seu Palatinatu, in quo limites fieri debent, aut forte essent absentes, eo casu ex vicino Palatinatu, vel etiam ex remotiore Commissarios designabimus, ad ipsos limites faciendos, non alios tamen, nisi tales, qui in illis Terris ubi limites essent faciendi, possessionati fuerint.

Renovatio statuti contra homicidas ad quatuor annos.

Quia post intermissum statutum nostrum de homicidiis, in magnam audaciam et insolentiam subditi nostri acti, passim homicidia, absque ulla Dei et humanitatis ratione committunt, nec jam quispiam etiam in templis, nedum domibus tutus esse possit. Volentes hanc enormem licentiam coercere, statutum ipsum nostrum in Conventu Petricoviensi de anno Domini 1510, contra homicidas editum, sed postea intermissum, in omnibus punctis, et toto ejus tenore, vigori et auctoritati pristinae restituimus, illudque ad quatuor annos proxime sequentes, debita executioni demandari volumus.

Ut Doctores medicinae apothecas et aromatarias, diligenter quotannis reveideant.

Quia plerique sunt aromatarij, qui non habitis rebus ad medicinas necessarijs, unam pro alia ponere solent, vel ex rebus vetustis et evaporatis ipsas medicinas conficiunt, unde plerique homines venire solent in magnum vitae suae discrimen: statuimus et decernimus, ut deinceps Doctores medicinae in civitatibus ubi degunt, apothecas et aromatarias diligenter singulis annis reveideant, eisque ipsi aromatarii omnia exponere et ostendere teneantur, sub poena privationis apothecae. Doctores vero tales aromatarios, vel contumaces, vel non habentes res necessarias et valentes, Nobis, vel Consulatu deferre et manifestare tenebuntur, sub gratia nostra.

FORMULA PROCESSUS

403

JUDICIARIJ, TERRARUM CRACOVIENSIS, SANDOMIENSIS, LUBLINENSIS, RUSSIAE, BEZSENSIS, ET PODOLIAE,

Quam deinceps ab omnibus Dignitarijs, Praefectis, Iudicibus, Subjudicibus, et alijs Officialibus nostris, et Terrestribus ac Castrisibus, generaliterque ab omnibus subditis nostris Terrarum praedictorum: volumus et decernimus, in omnibus judicijs et actibus iuridicis scribendisque dicis, seu citationibus, firmiter observari.

Inprimis igitur, pro consuetudine, volumus observari, ut in citatione Terrestris, sufficiat ponere tantum de titulo nostro Regio: videlicet; Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, etc. et nos plus.

Item, quia eadem citatio Terrestris, sigillo Terrestris, sui Districtus, sit obsignata.

Item, ut in ea citatione exprimat nomen actoris et rei, pro quo reus fuerit citatus: ita, ut citatus intelligat, propter quid sit per actorem evocatus. Ubi autem debite non intellexerit, tenebitur actor ibidem coram iudicio in sua propositione suam intentionem citato declarare. Et si quis in ejusmodi citatione omiserit titulum, vel nomen actoris, aut rei: vel si citatio ipsa sigillo adulterino fuerit obsignata: talis actor luendo solvendoque ibidem mox, pro hujusmodi insufficientia suae citationis sex scotos parti, et totidem iudicio, in instanti, ibidem proponere poterit ex eadem sua citatione: insufficientia illa non obstante: et citatus tenebitur sibi ad objecta respondere.

Omnes autem alias poenas accessorias, videlicet propter defectum literae unius, aut totius dictionis, vel alterius cujuscunque defectus in citatione, sive ex quacunque alia causa, quam citatus actori objeceret, volens dilationibus et diffugijs laborare, etiam a coadjutoribus antea solvi solitas, penitus annullamus: exceptis poenis, post decretum negotij principalis fieri solitis.

Debet autem Judex praesidens, a partibus comparentibus: ante sententiae prolationem, inquirere: an haberent aliqua sua munimenta vel documenta, defensionisque juridicas, ad causas prosecutionem opportunas: ne homines simplices, ruditate sua, in causis suis succumberent: et licebit utrique partium introducere res subsidiarias et verbales, et literatorias, ante prolationem sententiae.

Et protestationes memorialium, seu captiosae, nullum deinceps sint robur habiturae, quae solebant fieri ante prolationem sententiae; sed pro re principali decreta tantummodo, fiet memoriale.

Licebit quoque utrique parti omnia, quae opus habet allegare, reponereque, ante sententiae prolationem.

Debet autem ministerialis, propter mortam

suam, cum uno nobili, in persona actoris misso, ponere citationem indifferenter; vel apud nobilem citandum, in Curia ejusdem: vel apud Vldarium, aut kmethonem, sive apud hortulanum; publicando nihilominus citationis positionem in Curia terrigenali, quae si defuerit in eadem villa, extunc villanis idem ipsum ministerialis notificabit: ut ad notitiam citati deveniret.

In villis vero desertis, possessionatis deficientibus, citatio in lignum recisum posita, terraeque infixae publicetur; vel in viciniore, vel in parochia ejusdem villae desertae. Et ut positio citationis praecedat terminum una integra septimana.

Citatus, evadendae poenae contumaciae luitionem, poterit sibi differre primum terminum simpliciter infirmitate.

Item secundum terminum tanquam peremptorium, poterit differre, reponereque idem citatus, vera infirmitate a Deo permessa, per certum nuntium suum, nobilem possessionatum ejusdem Terrae, ad iudicium missum: juraturus metertius dictus citatus, in terminis sequentibus, cum alijs duobus paribus suae conditionis; quod tunc temporis fuit infirmus, vera infirmitate a Deo sibi permessa, quanto sibi Nobilis N. terminum, vera infirmitate a Deo permessa reposuit.

Si vero citatus reponens, in termino sibi assignato non comparuerit, permiseritque se in lucro condemnari: et postea comparens in termino concitatorio ad satisfaciendum, negaret se reponere illi nobili commississe; extunc juxta suam negationem, metertius jurare debet, quod illi nuntio suo repositionem hanc termini minime commiserit.

Praestito autem hujusmodi juramento idem citatus, ibidem mox respondere teneatur, super citationem actoris.

Si autem dictus reponens, negans hanc termini peremptorij repositionem, super suam allegatam aegritudinem, modo praemisso, non juraverit: vel se a termino hujusmodi juramenti absentaverit, talis succumbet in causa sua ipso facto.

Ulteriores vero dilationes ejusdem infirmitatis, penitus a modo abrogamus.

Idem volumus de actore intelligi: cum liceat actori quod et reo praeter simplicem infirmitatem: quae actoribus non convenit eo, quod actores semper habent terminos peremptorios, et propter hoc semper debent esse ad comparandum parati: poterint tamen et actores in faciendis documentis habere dilationem, cum citato idipsum sit permissum.

405

Volumus autem: ut liceat unicuique, alium quempiam, pro quacunque summa pecuniae, vel injuria haereditaria et personali aut bonis quibuscunque, toties quoties, citare ad Iudicium Terrestris: ubi citatus parere respondereque tenebitur et debet: non excipiendo se ad terminos generales, ob summae magnitudinem. Vel potius licebit Iudicibus Terrestribus etiam pro

magna summa judicare, cum licebit unicuique partium appellare.

Et si citatus, in secundo termino peremptorio, temere, sine repositione termini, non paruerit: actor eum condemnabit in lucro, juxta continentiam suae citationis; tamen in talem condemnationem citatio debet inseri, sive acticari.

Post hoc, debet condemnatus per actorem concitari, alias, *ma bydz przypowieszczon*, ad satisfaciendum sibi pro his omnibus, pro quibus ipsum citatum condemnavit in termino peremptorio. Quodsi ipse citatus in tali termino concitato non comparuerit, extunc actor faciet astitionem termini concitati: ex qua astitione obtinebit damnum, juxta suam aestimationem in citatione expressam, habebit jam conjunctam cum summa principali, sive essentiali in citatione expressa sine juramento.

Tandem, in eisdem terminis, et in continenti, debet sibi actori iudicium addere Ministerialem Terrestris, tanquam victori, ad intromittendum eum in bona citati, sive victi; in summa perlucrorum, tam summae principalis, quam damni et poenis inde sequentis. Quae poenae concernunt actorem et iudicium, ex condemnatione in lucro, et ex astitione termini concitati: et dabit iudicium sibi literas perlucrorum, remittendo ipsum, in defectu intromissionis, ad loci Capitaneum.

Sed si citatus, in termino concitato comparuerit; et voluerit attentare actorem, jurare super damnis: extunc licebit actori super summam damni jurare, sive super integram, sive etiam super minorem, quod erit in ejus arbitrio: non tamen augendo summam.

Si vero quis concitatus comparens, negaverit se de sui citatione scivisse, casu quo ministerialis actori ad testificandum deesset protunc, circa iudicium, talis negans, tenebitur jurare; quod talis citatio, super quam condemnatus est, non pervenit ad ejus notitiam, nec sibi de ea quidquam constat: et nihilominus mox ibidem actori respondere tenebitur, super contenta citationis: et si postulaverit ab actore citationem, ad respondendum, actor tenebitur sibi communicare citationem suam.

Si vero citatus personaliter, coram iudicio, sive in primo termino, sive in secundo paruerit: factaque responsione ad objecta actoris, in causa sua succubuerit: et nihilominus a iudicio rebelliter recesserit: victori pro re decreta, sive lucrata non satisfaciendo, talis rebellis in poena quatuordecem marcarum pecuniae condemnatur, et illi victori dabitur ministerialis ad intromittendum eum in convictis, sive lucratis, in bona convicti, tam in summa principali, quam etiam in damnis, et poena expressa, procedetur contra victum, prout supra.

Si vero citatus jure victus consentiet actori, sive victori intromissionem, et admittet pacificam possessionem in bona, super quibus perlucra perducta sunt, dando sibi in loco bonorum, in praesentia incolarum, possessionem, et eorum obedientiam: extunc ministerialis; post

406

factam intromissionem, faciet recognitionem cum nobilibus, ad acta Castrensia Districtus illius; quod victus talis, admisit intromissionem et possessionem in bona praefata, sic, ut praemissum est, perlucrata: quam possessionem, si deinde victus impedire quovis modo niteretur, hujus possessionis defensio, ad loci Capitaneum pertinebit, tanquam violenter expulsi et spoliati.

Si vero victus intromissionem victori denegaverit: tam post tale, ut praemissum est, decretum: quam etiam post astitionem termini concitati, contra non comparentem; extunc idem ministerialis, qui fuit, victori de jure ad intromittendum additus, cum nobilibus sibi adjunctis, coram loci Capitaneo, aut ejus Officio Castrensi, facere debet personalem relationem praefatam: scilicet N. jure convictum, parti se vincenti, intromissionem jure decretam, temere denegasse. Extunc idem Capitaneus loci, et eo absente, suos vices gerens, vigore praefatae remissionis, de Judicio Terrestri factae, citabit victum, literis suae innotescentiae, ad videndum et audiendum se victorem praefatum, in bona talia, ex vi perlucrorum, jure Terrestri obtentorum, et in summa, sive summis ibidem expressis, auctoritate brachij Regalis, intromitti. Sub hac forma.

Tibi Nobili N. innotescimus, providum N. Ministerialem Terrestrem N. cum certis nobilibus, secum comparentibus, coram Officio nostro Castrensi, personalem fecisse relationem: quomodo, dum nuper additus fuisset ad Judicium Terrestre N. Nobili N. actori, jure vincenti, ad intromittendum ipsum, vigore suorum perlucrorum, in bona tua haereditaria N. quorum literas sub sigillis ejusdem Judicij Terrestris, coram nobis et Officio nostro obtulit, et produxit, prout hoc ipsum Judicium Terrestre, ad nos, et Officium nostrum, tanquam brachium Regale remisit: et tu existens jure convictus, tanquam rebellis, intromissionem temere sibi denegasti, quo facto, executio ipsorum perlucrorum, ad brachium nostrum Capitaneale, quin potius Regale, cujus vice fungimur in hac parte, est devoluta. Propter quod tibi mandamus vigore Regio, et nostro ex Officio quatenus coram nobis, aut nostro vicegerente, sive Officio Castrensi, feria tali et tali, N. et in Castro N. legitime compareas ad videndum et audiendum, nos auctoritate brachij Regalis, in vim executionis, praefatam partem, jure vincenti in bona tua praedicta, et juxta perlucrorum, ejus continentiam potenter intromitti, tuerique prout ad nostrum pertinet Officium: alias contumacia tua non obstante, nos ad ea quae nobis ex Officio nostro incumbunt procedemus.

Quodsi talis victus, ad talem avisationem loci Capitanei, in termino sibi praefixo, coram Officio Castrensi comparuerit, et metu poenarum, sive vadorum interponendorum, victori intromissionem et possessionem in talia bona se daturum obtulerit: extunc loci Capitaneus ministerialem addet, et vadia triplicata super vi-

ctum imponet: ut jam, in instanti, ipse victus victori in bona praefata, in quibus talia perlucra perducta sunt, intromissionem de facto daret, et pacificam possessionem admitteret: nec cum in ipsa possessione quovis modo inquietaret, per se, vel submissas personas, sub eodem vadio triplicato.

Quodsi talis victus victori possessionem non admiserit, vel quovis modo praepediverit, extunc loci Capitaneus movebitur manu forti et armata, et tenebitur ipsum victorem in bona partis victae intromittere; eundem victum de bonis praefatis potenter eijciendo, et vadia triplicata super eodem decernet: et idem faciet Capitaneus, si victus in termino innotescentiae non comparuerit, quod videlicet cum triplicato vadio victorem intromitteret, cujus vadij medietas pro Capitaneo loci cedere debet, et propter hoc Officialis Castrensis ab intromissione hujusmodi nihil recipiet a victore.

Quodsi victus esset adeo fortis, quod per Capitaneum sua temeritas non poterit prohiberi, quod videlicet brachio Regali contravenire niteretur: extunc in instanti debet citari per Officium illud Capitaneale ad Judicium Castrense, peremptorie, ad audiendum se, ut rebellem, et juri communi Regni contravenientem, de Regno ac Dominij sibi subjectis banniri et proscriptum pronuciari. Quod si in tali termino comparuerit, metu bannitionis et proscriptionis, debet satisfacere pro vadijs interpositis, et Capitaneo et parti, et possessionem pacificam, sub similibus non praepedire victori.

Similiter et omnes complices eidem victo palam patrociantes citari debent ad bannendum, et de Regno una cum ipsorum praefato principali, jure convicto proscriptum se decerni, contra quos, prout eorum principalem Officium Capitaneale procedere debet.

Qui vero essent impossessionati per Officium illud Castrense comprehendantur, et in turrim conijciantur, quorum punitio in arbitrio et gratia nostra consistat.

Et statim post factam bannitionem, in quantum idem victus, bona sua jure amissa defenderet, executioni brachij Regalis se opponendo, extunc juxta Regni statutum, universa nobilitas Terrae Districtus ejusdem, in quibus bona victi consistunt, una cum Capitaneo loci movebitur cum apparatu bellico contra victum rebellem, ita, quod poterit de bonis ejus repelli et rejici.

Et si talis rebellis poterit in persona sua comprehendendi, talis cum complicitibus suis comprehendatur, et mancipatus turri includatur, et ipsius vita in gratia nostra consistat.

Quodsi aliquis Capitaneus in facienda hujusmodi executione negligens esset, aut remissus, extunc victori toties, quoties succumbet poenam quinquaginta marcarum pecuniae usualis, et aliam similem poenam nostrae Regiae Majestati. Pro quibus poenis, in praesentiam nostrae Regiae Majestatis citatus, in primo termino, tanquam peremptorio parere, ac pro poenis prae-

missis parti et fisco nostro luitis satisfacere similiter, toties, quoties tenebitur et debebit. Et nihilominus sub eisdem poenis executioni satisfacere teneatur, ad maximam in duabus septimanis gradus superius expressos explendo.

Similis etiam progressus debet observari in Indicio Castrensi, secundum materiam subjectam, in articulis duntaxat Castren: ubi statim ex termino concitato astito addatur ministerialis ad intromittendum cum replicatis vadiis.

Debet autem Officium Castrense unicuique semper paratum esse in recenti crimine, in administranda justitia, et exequenda re judicata, exceptis duntaxat festis solennioribus, et diebus Dominicis non expectatis terminis Castren: quae causae non debent differri ad terminos Castrenses, sed sine celebratione terminorum debent exequi.

Casu vero, quo aliquis jure victus existens, sententiam Iudicis suscipere noluerit: volumus id pro jure observari, uti liceat unicuique a sententia Iudicii Terrestris vel Castrensis, non per viam motionis Iudicis, sed simpliciter verbo appellare ad terminos generales tempore Quadragesimae, annis singulis toties, quoties in locis ad id deputatis celebrandos, quibus terminis, Barones Regni, videlicet Palatinus, Castellanus, et caeteri Dignitarij et Officiales Terrae illius interesse tenebuntur, sub poenis in statuto contentis, et in defectu terminorum generalium, pars appellans contra appellatam, in Conventione Generali Regni extunc in proximo celebranda causam hanc suam vigore appellationis suae hujusmodi poterit prosequi, et iustitiam suam experiri, Judice a quo provocatum seu appellatum fuit, sine quavis reprehensione remanente. Nihilominus judicium a quo appellatur, tenebitur partibus litigantibus dare in scripto propositiones et responsiones et eorum controversias ex actis suis, terminumque praefigere in terminis generalibus, vel in defectu terminorum, coram Regia Majestate, prout supra.

Poterit autem quilibet appellare de terminis praedictis generalibus ad Regiam Majestatem, tanquam jurium omnium Regni Dominum superiorem, pro justitia consequenda.

Item volumus, ut dum sententia redarguta, per judicium appellationis fuerit reprobata, victus appellanti actori, seu victori, ratione expensarum tres marcas pecuniarum exsolvet, quae alius Judicibus redargutae victoriam reportantibus, in vim emendae solvebantur, ita, quod si sententia a qua appellatum est, retractabitur et destruetur, extunc appellans suas tres marcas reaccipiet, quodsi talis sententia approbabitur et confirmabitur, appellans amittit tres marcas, quas victor accipiet.

**De bonis redimendis, de manibus dominae dotalitio-
nalis, secundo maritatae.**

Cum primum mulier sedem sibi vidualem per secundas nuptias violaverit; volumus, ut talis citari poterit, aut in Judicium Terrestre, vel ad

actorum Terrestrium primam et proximam positionem, talis vidua citata in proximo termino non comparens, poenam contumaciae luet parti et judicio exsolvendam, in secundo termino, sicut peremptorio tenebitur citata cum literis suis reformatoriis legitime comparere, ad tollendum pecunias a parte se redimente in literis suis reformatoriis, per expressum contentas, et condescendere bonis illis redemptis parti se redimenti, dando illi reemptori certos pro se fidejussores, bene possessionatos nobiles, in hunc modum, quod ea muliere defuncta, dotalitium alias *przywianek*, ad successores primi mariti devolvatur, vel potius restituatur.

Si vero talis mulier citata in secundo termino non paruerit, extunc judicium illud dabit illi redimenti bona illa reformatoria in possessionem, et pecunias ad redemptionem pertinentes, juxta inscriptionis reformatoriae continentiam in Cancellaria Terrestri conservabit, tam diu, quousque ipsa Domina dotalitialis in judicium rursus veniens, certos pro se fidejussores, super dotalio ejus, ad propinquos primi mariti revertendo, modo supra scripto statuerit, avisando citatione sua literali illum reemptorem, et evocando eum ad hoc idem judicium, ad levandum pecunias dotis, et dotalitij, suorum praedictorum, et ad suscipiendum a se praefatos fidejussores, super dotalio praenominato, post mortem suam revertendo.

Si vero quis in aliquo alio bona quaecunque juris decreto fuerit assecutus, in quibus scilicet bonis, uxor eiusdem victi habuit reformationem suam dotalitialem, talem reformationem volumus illaesam permanere. Et talis convictus pro *golota* debet reputari, jure *golotarum* deinceps conveniendus, casu quo executioni rei judicatae contraveniret.

Et quia multae querelae fiebant ad notitiam nostram deductae, contra Notarios Terrestres Terrarum praedictarum, quomodo ipsi a notis et acticationibus controversiarum, et aliarum, quarumcunque rerum, plus solito subditos nostros depactare defacto conveverint, similiter a quaerendis notis, actis judicialibus insertis, quapropter statuimus et ordinamus statutis Regni vetustioribus inhaerendo, quod singuli Notarii Terrestres ab una controversia et causa non plus percipiant, quam per unum grossum, talis autem causa et controversia debet intelligi ex una citatione.

Item volumus, ut quilibet actor condemnando citatum absentem in contumacia, solvat duntaxat duos grossos, quorum unus cedit Notario, et alter grossus judicio praesidenti.

Item volumus, quod victor solvat a quolibet decreto pro se lato judicio quinque grossos, quorum tres Judici, et unus Subjudici veniet, Notario vero similiter unum grossum ab eiusdem decreti acticatione solvere quilibet teneatur.

Item Notarius a sigillatis membranis recipiet per medium grossum, et a minutis extractis non sigillatis, per unum grossum.

Item pro litera judicialis sigillis Judicis et Subjudicis obsignata decem grossi, prout in quibusdam Terris hactenus fuit observatum.

Quodsi Notarius ultra praemissam ordinationem contra vim statutorum quidpiam ab aliquo depactaverit, talis eidem depactato, id quod indigne extorserit, restituere teneatur, cum poena trium marcarum, et judicio totidem exsolvenda, in qua peremptorie debebit idem Notarius condemnari, et satisfacere victori mox teneatur, sub aliqua poena quatuordecim marcarum, vel si Notarius Terrestris inscribere in acta judicialia ea, quae Judex cum Subjudice decernendo praeceperint, noluerint, vel ipse Notarius rebelliter de sede judicialia abierit, acticare nolens ea, quae ad Officium ejus pertinebant, per quod partibus aliquid poterit praejudicari, talis Notarius, per judicium Regiae Majestatis delatus, privatione sui officij punietur.

Item pro kmethonibus fugitivis non in villis haereditariis, sed in terminis Terrestribus sive Castrensibus, juxta statutum causae omnes judicentur, arrestando omnes profugos ministeriali et nobilibus in bonis eorum, ad quos domicilia sua dominis suis invitis transtulerint, juxta consuetudinem antea observatam.

411 Processus judiciarius observandus circa faciendos limites.

Et licet varii quoque fuere modi in bonorum utrinque haereditariorum limitatione, hucusque in Terris nostris Cracoviensi, Sandomiriensi, Lublinensi, Russiae, Belzensi, ac Podoliae, territorisque earundem Terrarum pro jure observati, tamen Nos conformem deinde limitationem bonorum ejusmodi haereditariorum fieri, ac in omnibus Terris praedictis, pro consuetudine cupientes, de unanimi Baronum nostrorum consilio, pariter et assensu Nuntiorum Terrarum praedictarum: statuimus et ordinamus, ut quilibet citans in jus Terrestre pro graniciebus faciendis, taxam pecuniariam non apponat, sed simpliciter actor citabit reum pro actoratu, alias o *powodstwo*, sub forma superius scripta inter formulas citationum.

Si vero citatus in primo termino non paruerit, in poena contumaciae condemnatur.

Si autem in secundo et peremptorio termino idem citatus non paruerit, in lucro actoratus per actorem condemnatur, per quam condemnationem jam obtinebit actoratum contra citatum decreto judiciali accedente.

Facta igitur tali condemnatione in lucro, judicium remittet actorem cum obtentione actoratus ad campum, Succamerarium Terrestrem, sive ejus Officium, veluti executorem prosequendae hujusmodi limitationis.

Succamerarius autem per suam literalem innotescantiam, sive citationem debet citare partes ad sui, sive officij praesentiam, ad locum limitum, sive differentiae pro certo termino peremptorie terminum assignando, mandando reo condemnato, ut compareat ad instantiam actoris

ad videndum et attentandum ipsum actorem officium ducere, et ad sipandum et faciendum granicies sive limites inter bona praefata, et attentandum audiendumque, ipsum actorem jurare cum testibus supra justa ductione et sipatione granicierum.

In quo quidem termino campestri, non licebit citato aliquas controversias facere coram Succamerario, vel eius Officio, super actoratu, quem jam Judicio Terrestri amisit, sed actor ducet officium, juxta suam voluntatem et suam conscientiam, facietque granicies, scopulos sipando et alia signa metalia faciendo, non obstante quavis contradictione citati, nec quibusvis documentis literariis, vel signis evidentioribus, si quae protunc ostenderit. Quibus finitis, circa finalem et accialem scopulum, jurabit actor cum sex testibus sibi in genere similibus, super vera et justa limitatione, ita videlicet, quod nihil terrae et haereditatis citato ademit, et ab eo alienavit.

Quodsi in tali termino campestri citatus non comparuerit, sed contumax extiterit, nihilominus Succamerarius, vel ejus Officium, tenebitur actorem sequi, et facere granicies, juxta ductionem ipsius, nihilominus circa ultimum et accialem scopulum actor jurabit cum testibus, non obstante absentia citati, tantummodo in praesentia Officij Succamerariatus. Quas granicies, sic ut praemissum est, factas, et juramento actoris comprobatas, Succamerarius aut ejus Officium, decernet perpetuo duraturas et tenendas. Cujus quidem decreti et totius processus talium granicierum seriem, Succamerarius per suas patentes literas, referat Judicio Terrestri in terminis Terrestribus, extunc immediate celebrandis, quas literas Succamerarij per actorem praesentatas, Judicium Terrestre, ad acta Terrestria acticabit ad perpetuam rei memoriam.

Poterit tamen citatus terminum talem campestem, vera infirmitate differre, similiter et pro majori, et non aliter.

Si vero citatus sive victus aliquem testium inductorum in termino campestri super nobilitate inculpaverit, volens per hoc limitationem ipsam actori impugnare vel praepedire, extunc pro tali inculpato, dabunt testimonium alij testes, videlicet illi quinque, simplici verbo, quod est possessionatus, habet videlicet bona terrestria, et habetur pro nobili inter vicinos et servitia bellica cum nobilitate peragit, et tale testimonium sufficet sibi protunc, quod videlicet debet admitti ad juramentum cum actore praestandum, tamen Succamerarius reservabit sibi cum inculpatoe juridicam actionem in foro competenti prosequendam.

Si vero essent alij nobiles habentes vicinas haereditates, quarum parietes adiacerent et essent contiguae haereditatibus, inter quas tales granicies fieri deberent, putarentque se habere interesse, ex vi contiguitatis ad tales granicies, tales etiam vicini collaterales, etiam per actorem, pro uno et eodem termino cum principali,

ad Judicium Terrestre aditentur, et similiter cum principali, ita et cum eis per actorem procedetur, ne in termino campestri granicies possent impedire.

Si quis autem scopulos erectos, vel alia signa metalia, vel in parte, vel in toto disiecerit, annihilaveritque violenter, talis violator a quolibet scopulo aciali luet parti contra se agenti, per tres marcas pecuniae usualis, ab aliis vero scopulis disiectis, et signis quibuscunque metallibus destructis et annihilatis, luet per sex scotos.

Et nihilominus teneatur idem violator Officium Succamerarii ad locum granicierum violatarum sumptibus suis educere, et eosdem limites a se disiectos restaurare et denuo erigere, quod facere tenebitur post avisationem per ministerialem et nobiles, ex parte talem iniuriam passi, intra octo septimanas, sub poena quatuordecim marcarum parti, et totidem judicio succumbenda. Qua poena soluta in aliis octo septimanis tenebitur granicies, ita ut praemissum est restaurare renuerit et noluerit, toties quatuordecim marcas praefatas parti, et totidem iudicio succumbet ad solvendum in quibuslibet octo septimanis.

Si quis in solo alieno, sive in haereditate aliena sine Succamerario, et eius Officio signa granicialia suapte sponte et temere erexerit et fecerit, talis etiam pari modo a quolibet scopulo aciali tres marcas, et ab aliis per sex scotos; prout supra succumbet ad solvendum; et nihilominus scopulos et signa omnia metalia, taliter inofficiose facta, officiose per Officium videlicet Camerarij destruet, dissipabit et annihilabit, ita, ut post, nullum praejudicium parti injuriam passae ex eorum vestigiis evenire possit, quod facere tenebitur, sub poena quatuordecim marcarum parti, et judicio totidem: et similiter contra talem procedetur in octo septimanis, prout et contra violentum destructorem granicierum, ut supra descriptum est.

Si vero plures essent participes, seu consortes unius et eiusdem haereditatis, citati per quempiam alium pro faciendis graniciebus, et inter tales citatos essent aliqui cohaeredes minorenes, aequae citati, extunc contra tales judicium procederet, tam Terrestre, quam Officium Succamerarij, non obstante ipsorum minorennitate. Ad quam quidem limitationem, Judicium et Officium Succamerarii procederet, nihilominus Succamerarius vel eius Officium reservabit eis actionem pro eorum interesse, cum actore granicierum, dum videlicet annos discretionis assequantur, tunc licebit illis jure agere cum illis, a quibus putarent sibi esse praeiudicatum, tamen non nisi pro sorte et interesse ipsos concernente agent.

Forma citationis ad Judicium Terrestre contra vicinos habentes contiguos parietes cum haeredibus, seu bonis limitandis.

Citat vos ad aspiciendum parietem vestrum,

si quem vos habere praetenditis villae sen haereditatis ipsius N. contiguum, quae bona sua haereditaria praefatus N. vult distingvere et dislimitare graniciebus, signisque metallibus cum bonis N. Nobilis N. haereditariis, pro quibus graniciebus citavit praefatum N. tanquam principalem, et vos adcitavit tanquam collaterales, ut staretis et actoratum sibi N. actori agnosceretis, vel attentaretis sibi decerni per judicium actoratum contra praefatum N. principalem, et vos tanquam collaterales, ad praemissa judicialiter responsuri.

Forma ad citationis ex Officio Succamerarij contra collaterales sive habentes parietes contiguos. 414

Vobis nobilibus N. et N. etc. haeredibus de N. mandamus, quatenus coram nobis aut Officio nostro Succamerariali, in loco campestri, inter haereditates N. Nobilis N. actoris ex una, et Nobilis de N. citati partibus ex altera, ubi videlicet praefatus actor N. nos, seu Officium nostrum, locabit feria tali et tali, etc. ad instantiam praefati N. actoris compareatis: qui vos adcitavit, alias *przypozywa*, ad aspiciendum parietem vestrum, et ad videndum attentandumque ipsum, vigore actoratus, contra praefatum N. principalem, et contra vos, tanquam collaterales, in Judicio Terrestri N. obtenti, ducere Officium, et prosequi granicies seu limites, faciendo scopulos, et alia signa metalia, circa talia fieri consveta: et attentandum ipsum jurare cum testibus, super justa sipatione granicierum. Ideo, ut staretis, et praemissa judicialiter attentaretis; quia nos non obstante vestra absentia, sive contumacia, ad praefatam limitationem, ex Officio nostro procedemus.

Constitutiones celebrationis terminorum in partibus Russiae.

Insuper ordinavimus, et pro consuetudine observari volumus; ut in Terris Russiae sexies in anno termini Terrestres celebrentur: nec licebit Judicibus, et alijs ejusdem Officij Officialibus, suapte sponte, sine legitima causa, vel legali impedimento, puta belli aut Conventionis Generalis, terminos differre, sed temporibus inferius deputatis et assignatis, sub poenis contra Judices negligentes, et Officia non exercentes statutis, ipsi termini Terrestres celebrentur: quorum prima celebratio erit primo die feriali post festum Epiphaniarum, si fuerit juridica, quam videlicet dies Dominicus aut aliquod festum celebre non praepediret. Secunda celebratio post festum S. Matthiae Apostoli, in vere etiam, die feriali juridica proxima. Tertia celebratio erit prima seu proxima die juridica post festum Sancti Adalberti. Quarta celebratio post festum S. Joannis Baptistae, etiam proxima feriali die juridica. Quinta post festum S. Bartholomaei Apostoli, feria proxima juridica. Sexta, prima die post festum SS. Simonis et Judae Apostolorum juridica: et sic quotannis observabitur. Sed quia in civitate Premisliensi, ubi juridica Terrestria

celebrantur, nundinae sive annuale forum pro festo Epiphaniarum peragitur, propter quod termini quiete non possent eodem tempore iudicari: eapropter termini Terrestres Premislienses postponentur una septimana post tempus celebrationis terminorum in alijs Terris: videlicet incipiendo primam celebrationem, prima die post octavas Epiphaniarum, et sic deinceps post terminos Leopolienses, semper una septimana celebrabuntur.

Formula inscriptionis, suspensionis termini per iudicium, ad interrogandum, sive ad deliberandum, aut ex quacunque causa partibus praefixi.

Judicium, motu proprio, ex certis respectibus, causam inter Nobiles N. actorem, et N. citatum ad terminos proximos Terrestres differt cum toto ipsius causae effectu, partibus praefatis terminum assignando talem, qualem hodie habere debuerunt in praefatis terminis Terrestribus hic in N. proxime celebrandis, nullius partis jure laeso, imo utriusque partium integre conservato. Et idem erit ad Conventionem.

Forma suspensionis termini, de consensu et voluntate partium.

Nobiles N. et N. actor, et N. de N. citatus, habent talem terminum ad terminos proximos Terrestres, juxta ipsarum partium citationem, vel citationes, et totum actoris processum et effectum causae, qualem hodie habere debuerunt, earundem partium jure illaeso, imo in toto conservato.

Item, si actor amiserit citationem ante contestationem litis, sive ante terminos, ad quos citavit reum, extunc poterit citare reum alia citatione adinstar prioris, quae sive in sua narratione a prima amissa discrepaverit, sed eundem effectum in se contineret, et summam, talis citatio habebit locum in iudicio, nec actor ob hoc aliquam poenam luet, sed citatus aequae sicut ad illam primam amissam sibi respondere tenebitur. nec poterit citatus actori obijcere, quod dedisset citationem super citationem, et idem erit, si post contestationem litis amiserit, nam poterit etiam adcitare, sive denuo citare, sine aliqua poena. Et si idem habuerit citationem, sive propositionem actatam, extunc valebit sibi pro citatione, et non tenebitur citationem citato ostendere, sufficet adcitatio illius; et si citatus amiserit citationem, extunc actor post propositionem suam, ad postulationem citati, tenebitur sibi accommodare suam citationem ad respondendum, quam restituet actori post responsionem.

PROCESSUS

VARIARUM RECOGNITIONUM ET INSCRIPTIONUM IN JUDICIO TERRESTRI.

Judices diligenter considerare debent, aetatem, discretionem, bonam aut adversam corporis valetudinem, ejus qui aliquam facit inscriptionem.

Notandum, quod iudicio praesidentes, debent diligenter intendere et considerare, personam recognoscentem aliquam inscriptionem, si habeat debitam aetatem, aut discretionem bonam: quodsi aliter; non suscipiatur inscriptio. Etiam debent considerare, si est sanus corpore: tunc potest scribi; sanus mente et corpore: sed si aeger corpore existat, compos tamen rationis, prout est in re: scribatur ita, videlicet; aeger et languens corpore, tamen sanus mente et compos rationis.

Formulae inscriptionum perpetuarum.

Comparens personaliter coram iudicio, Nobilis N. haeres, de N. sanus mente et corpore existens, publice ac per expressum recognovit; quia bona sua haereditaria, videlicet villam N. cum totali ipsius villae haereditate, et omnibus ad eam pertinentibus, et quovis modo spectantibus, et proventibus; nihil juris, dominij, et proprietatis, et quorumvis usufructuum, praedictus N. in praefatis bonis, pro se, et suis successoribus reservando, seu excipiendo; ita late et longe, circumferentialiterque, prout praefatorum honorum, villae N. haereditas, se in suis metis, et limitibus extendit, Nobili N. de N. pro centum marcis pecuniae monetae et numeri Polonicae, vendidit perpetue et in aevum, prout solus habuit, tenuit, possedit, nullis exclusis, per praefatum N. et ejus successores, cum omni jure, dominio, et proprietate, ac titulo haereditario, perpetue et in aevum tenenda, possidenda, et ad usus beneplacitos convertenda: et jam extunc praedictus N. praefato N. dedit realem intromissionem, et actualem possessionem, per Ministerialem Terrestrem N. de N. in praedicta bona, videlicet villam N. et ejus haereditatem totalem: et debet praedictus N. et ejus successores, praefatum N. cum successoribus, occasione praemissorum, tueri, evincere, et eliberare, pacificareque, ab omni impetitione juridica; ab omnibus personis, per praescriptiones Terrestres, prout ad quamlibet personam praescriptio pertinet, toties quoties sibi N. opus fuerit, sub damno Terrestri nulla re exquisita ipsum evadendo. Et si talis venditio deberet fieri in vim reemptionis, alias *na wyderkaw*, tunc in loco competentis addantur duntaxat haec verba: videlicet in vim reemptionis, alias *na wyderkaw*. Et si venditor haberet uxorem, cuius reformatio extenderet se ad talia bona vendita; constituetur per maritum ad acta, et cum consensu amicorum, ad minus duorum, ex linea paterna consanguineorum, consentiet ad talem inscriptionem, quo ad ejus reformationem.

Inscriptio census in vim reemptionis, alias *na wyderkaw*, personis spiritualibus, quae non nisi cum consensu Regiae Majestatis prius obtento, fieri debet.

Comparens personaliter coram iudicio, Nobilis N. de N. haeres, sanus mente et corpore, publice per expressum recognovit; quia honorabilibus viris N. et N. etc. Mansionarijs ecclesiae cathedralis Cracoviensis, modernis, et pro tempore existentibus, duodecem marcas pecuniae, census annui, pro trecentis marcis pecuniarum, monetae et numeri Polonicae, perpetue et in aevum, in vim tamen reemptionis, alias *na wyderkaw*, vendidit et inscripsit, ac vendit et inscribit, in et super bonis suis haereditarijs, videlicet villa N. ac kmethonibus, tabernatoribus; et alijs quibusvis incolis praefatae villae N. quas quidem duodecem marcas pecuniarum, praedictus N. et ejus successores, tenebitur, seu tenebuntur, singulis annis pro quolibet festo Sancti Martini, praefatis honorabilibus viris Mansionarijs N. et N. modernis, et pro tempore existentibus, per proprium nuntium mittere, et ab illis etiam quotannis post solutionem quitantiam recipere: et tenebitur, praesentibusque se obligat praefatus N. cum kmethonibus ejusdem villae incolis, ad acta spiritualia, Vicarij seu Officialis in spiritualibus Cracoviensis, pro festo S. Andreae proximo stare, et se ad solutionem, cum praefatis kmethonibus, praefati census annui duodecem marcarum, sub censuris ecclesiasticis, obligare. Etiam praefatus N. obligat se et suos successores, occasione praefati census, ab omnibus inscriptionibus prioribus, si quae sunt, et omni impetitione juridica, praedictos Mansionarios modernos, et pro tempore existentes, tueri, evincere, et eliberare, ab omnibus personis: ita, quod praefati Mansionarij moderni, et pro tempore existentes, possent pacifice et integre, quolibet anno, praefatum censum duodecem marcarum, sic ut praemissum est, percipere sine quovis impedimento. Quae omnia superius expressa, et in praesenti inscriptione contenta, praefatus N. tenebitur, et sui successores tenebuntur complere, sub vadio centum vel N. marcarum, praedictis Mansionarijs et eorum successoribus solvendo: pro quo vadio citatus, vel successores ejus citati, in primo termino, tanquam peremptorio, stare debet, sive debent, nulla re exquisita, sive iudiciaria, sive extra iudiciaria illos evadendo, vel terminum differendo, sub amissione suae causae: sed in eodem termino tenebitur, et tenebuntur, praedictos Mansionarios, ab omnibus impedimentis evincere, eliberare, et omnibus in praesenti inscriptione contentis satisfacere. Quodsi nollet, aut neglexerit, vel ejus successores neglexerint, extunc in instanti, pro praefato vadio satisfacere tenebitur, sive tenebuntur: et satisfaciendo pro praefato vadio, utique omnia contenta, in praesenti inscriptione complere debent, toties quoties, praefati Mansionarij censum praefatum ad tempus praedictum habere non possent, et illis dedit realem intromissionem in

praefatum censum per Ministerialem Terrestrem N. de N.

Inscriptio commutationis.

Comparens personaliter coram iudicio Terrestri Nobilis N. haeres de N. ex una, et Nobilis N. de N. partibus ab altera, sani mente et corpore, compotesque rationis existentes, publice, et per expressum recognoverunt, talem inter se fecisse bonorum haereditariorum, perpetuam et irrevocabilem commutationem, dantes sibi invicem bona pro bonis, et Terram pro Terra: quod videlicet praedictus N. dedit et commutavit sua bona haereditaria, videlicet villam N. cum ipsius villae totali haereditate cum omni jure, dominio, et proprietate, ac titulo haereditario cum praedicto N. de N. qui pro ejusdem N. haereditarijs bonis, videlicet villa N. etiam cum totali ipsius villae haereditate, illi dedit et commutavit bona sua haereditaria praefata, videlicet villam N. cum ipsius villae totali haereditate, cum omni jure, dominio, et proprietate ac titulo haereditario: ita, quod praefatus N. praedicta bona, videlicet villam N. cum legitimis suis successoribus tenebit, habebit; et haereditarie possidebit: ita late, longe, circumferentialiterque, prout dicta bona seu haereditas praefatae villae N. in suis metis et limitibus, ab antiquo est distincta et limitata: cum omnibus ad ipsa bona spectantibus et pertinentijs, nihil excipiendo. Et similiter praedictus N. praedicta bona sua, videlicet villam N. cum ipsius villae totali haereditate, cum omni jure, dominio, et proprietate, tituloque haereditario, et cum legitimis suis successoribus tenebit, habebit, et haereditario possidebit: ita late, longe, circumferentialiterque, prout dicta bona, seu haereditas villae N. in suis metis et limitibus ab antiquo est distincta et limitata, cum omnibus pertinentijs ad ipsa bona spectantibus, nihil excipiendo. Et jam praefati commutantes, dederunt sibi invicem, in praefata bona commutata, realem intromissionem, et actualem possessionem: et debent, tenebunturque se, et eorum successores, invicem, occasione praemissorum bonorum, tueri, defendere, et invicem se eliberare, pacificareque, ab omni impetitione juridica, ab omnibus personis per praescriptiones Terrestres, prout ad aliquam personam praescriptio pertinet, sub damno Terrestri, toties quoties alteri ipsorum commutantium, vel eorum successoribus opus fuerit.

Donationis.

Comparens personaliter coram iudicio, Nobilis N. haeres de N. sanus mente et corpore existens, publice et per expressum recognovit; quia bona sua haereditaria, videlicet villam N. cum totali ipsius villae haereditate, ac cum omni jure, dominio, et proprietate, tituloque haereditario; necnon cum omnibus ad ipsa bona pertinentibus, et quovis modo spectantibus et utilitatibus universis, nihil juris, dominij et proprietatis, et usufructuum et utilitatum, in praedictis

bonis, pro se et suis successoribus reservando, seu excipiendo: ita late et longe, circumferentialiterque prout praefatorum bonorum haereditas se in suis metis et limitibus extendit, prout ea solus tenuit, habuit, et possedit, Nobili N. de N. nepoti suo, ex fratre germano, dedit, donavit, perpetue et in aevum, irrevocabiliterque per praefatum N. et ejus successores, tanquam veros et legitimos haeredes, praedicta bona tenenda, habenda, et perpetue possidenda, et ad usus beneplacitos convertenda. Et jam praedictus N. praedicto N. exnunc dedit realem intromissionem et actualem possessionem per Ministerialem Terrestrem N. de N. in praefata bona. Et fiat tuitio sub eo tempore toto, sicut in inscriptione perpetuae venditionis superius continetur.

Inscriptio inter conjuges, ad tempora vitae.

Comparentes personaliter coram judicio, Nobilis N. de N. et N. de N. conjuges, sani mente et corpore existentes, et usi amicorum consilio, publice et per expressum recognoverunt; quia omnium bonorum suorum haereditariorum et obligatoriorum, mobilium et immobilium, quae nunc habent, et in post habebunt, invicem et mutuo concesserunt sibi usumfructum ad tempora vitae, tali videlicet modo: quod si praefatum N. prius quam praedictam N. mori contigerit; extunc ipsa N. bona omnia, tam mobilia quam immobilia praedicti N. obtinebit et possidebit, cum omni jure, dominio et proprietate, nihil excipiendo; illisque utifruetur ad tempora duntaxat vitae suae: post mortem vero praedictae N. bona praefata tam mobilia quam immobilia, totaliter, pleno jure ad successores praedicti N. devolventur, sine quovis impedimento et contradictione, successorum praefatae N. Et similiter, si contigerit praedictam N. prius mori, quam ipsum N. extunc praefatus N. bona omnia, tam mobilia quam immobilia, praefatae N. obtinebit et possidebit, cum omni jure, dominio, et proprietate et omnibus eorundem bonorum pertinentijs; illisque utifruetur ad tempora vitae duntaxat suae: post mortem vero praedicti N. bona praefata, quaecunque ipsam N. concernebant, ad successores praedictae N. totaliter devolventur, sine quovis impedimento et contradictione successorum praefati N.

Inscriptio obligationis de facto.

Comparens personaliter coram judicio Nobilis N. de N. haeres, publice et per expressum recognovit, quia Nobili N. de N. bona sua haereditaria, videlicet villam N. in trecentis marcis, pecuniae bonae, monetae numeri polonicae, obligavit, inscripsit et praesenti inscriptione invadiat, obligat et inscribit: ad festum Nativitatis Christi proxime venturum: et a festo Nativitatis Christi proximo, in defectu exemptionis, et summae praefatae solutionis ad aliud festum Nativitatis Christi: et sic ab anno ad annum, annis se sequentibus usque ad plenariam et in-

tegram praefatae summae trecentarum marcarum exolutionem, et praedictorum bonorum N. exemptionem: per ipsum N. de N. praedicta bona N. tenenda, habenda, et possidenda, cum omni jure, dominio, et proprietate, modo obligatorio, nihil juris, dominij, et quorumvis usufructuum vel utilitatum in praefatis bonis N. pro praedicto N. et ejus successoribus, usque ad debitam exemptionem, penitus reservando, seu excipiendo; sed ita late, et longe, prout solus praedictus N. dedit, et dat exnunc in praefata bona N. realem intromissionem, et actualem possessionem, per Ministerialem Terrestrem N. de N. Et debet, tenebiturque praefatus N. et sui successores tenebuntur ipsum N. et ejus successores, occasione praedictorum bonorum, ab omni impetitione juridica, et quibusvis inscriptionibus, et juribus prioribus, tueri, defendere, evincere, et eliberare, toties, quoties sibi, aut ejus successoribus opus fuerit, usque ad exemptionem bonorum praedictorum. Nec debet praedictus N. et ejus successores, praedicto N. et ejus successoribus, in praefatis bonis obligatis injuriari, aut quovis modo, pacificam possessionem praepedire, sub vadio aliarum trecentarum marcarum, pro quo vadio, si se citari permiserit, aut successores permiserint, in primo termino tanquam peremptorio parere tenebitur, et tenebuntur: et illo termino intercedere, evincere, eliberare, injuriamque per se, vel submissas personas, in praefatis bonis illatam, resarcire. Quodsi in praefato termino intercedere, evincere, eliberare, damnumque resarcire noluerit, aut neglexerit; extunc pro praefato vadio satisfacere tenebitur in eodem termino, nulla re exquisita, nec colore excogitato, neque judicialiter, neque extrajudicialiter; abrenunciando omnibus juris remedijs, et dilationibus, nullisque evasionibus modis vel cautelis, terminum praefatum differendo, nec quovis modo ipsum N. vel ejus Successores evadendo. Quod vadium debet converti in summam essentialem, sine corporali juramento: nec poterit quidquam in auxilium sibi contra ipsum N. et ejus successores accipere, sub amissione suae causae: videlicet solutionis praefati vadij, quo soluto, utique inscriptioni praesenti, et in ea contentis satisfacere, toties, quoties sibi N. et ejus successoribus opus fuerit.

Inscriptio certi debiti, ad tempus certum obligati.

Comparens personaliter coram judicio, Nobilis N. de N. publice et per expressum recognovit, quia Nobili N. de N. centum marcas pecuniarum, certi et liquidi debiti, sive mutatae pecuniae, monetae et numeri Polonicae tenetur, praesentibus obligatur, hinc ad festum Nativitatis Christi, proxime venturum, solvere et complere. Casu quo non solverit, aut solve- re neglexerit, extunc in crastino ejusdem festi Nativitatis Christi proxime venturi, debebit, tenebitur, praesentibusque se obligat sibi N. dare realem intromissionem, et pacificam posses-

sionem, in villam suam haereditariam, sive obligatoriam, dictam N. per Ministerialem, quemcunque sibi praefatus N. elegerit: etiam sine alicujus additione Officij. Et data sibi intromissione, et pacifica possessione, debet et tenebitur ipsum tueri, et defendere et eliberare: ita quod praefata bona, pacifice et quiete, ab omni impetitione juridica quarumcunque personarum, posset tenero et possidere: quae tenebit, habebit, possidebit, modo obligatorio, in praefatis centum marcis, a praefato festo Nativitatis Christi, vel potius ab acceptione possessionis, ad aliud festum Nativitatis Domini proxime venturum; et a festo Nativitatis Christi proxime venturo, ad aliud, annis se sequentibus, usque ad plenariam solutionem praedictarum centum marcarum: cum omni jure, dominio et proprietate, ac cum omnibus utilitatibus ex eisdem bonis, seu villa praedicta provenientibus, nihil excipiendo: et tenebitur dictus N. praefatum N. occasione praemissorum tueri, defendere et eliberare, sub vadio aliarum centum marcarum. Quodsi tueri, et defendere et eliberare noluerit; aut neglexerit; vel in praefatis bonis, per se, vel submissas personas, quovis modo injuriatus fuerit, et se occasione praemissorum, pro praefato vadio citari permiserit, vel sui successores permiserint, extunc in primo termino parere tenebitur, et tenebuntur: et in illo termino tueri, evincere, eliberare, bonaque praefata pacificare, ab omnibus personis, prout ad aliquam personam praescriptio pertinet. Quodsi in praefato termino praemissa non fecerit, seu facere neglexerit: aut injuriam, si quam intulerit, resarcire nollet; extunc in eodem termino, pro praefato vadio, satisfacere tenebitur, et tenebuntur, nulla re exquisita, nec colore excogitato, neque judicialiter, neque extrajudicialiter terminum praefatum differendo; neque quovis modo ipsum, vel ejus successores, pro praefato vadio evadendo. Quod vadium debet converti in summam essentialem, sive principalem, sive corporali juramento nec quidquam sibi contra ipsum, aut ejus successores recipiendo sub amissione suae causae. Nihilominus soluto vadio, praesenti obligationi et in ea contentis, satisfacere eidem N. et successoribus ejus tenebitur, toties quoties sibi et ejus successoribus opus fuerit.

Inscriptio arendae.

Comparens personaliter coram judicio, Nobilis N. de N. haeres N. sive tenutarius, publice et per expressum recognovit; quia bona sua haereditaria, sive obligatoria, videlicet villam N. Nobili N. de N. pro decem marcis, pecuniae bonae, monetae et numeri Polonicae, arendavit ad tres duntaxat annos: a festo Nativitatis Christi proximo continue se sequentibus. Quas decem marcas, praefatus N. praedicto N. tenebitur solvere ad quodlibet festum Nativitatis Christi seorsum, in loco N. et praefatus N. tenebitur praefatum N. quietare ad acta Castrensia Districtus illius: et sic quolibet anno, usque

ad expirationem praefatae arendae. Quae quidem bona praefata, videlicet villam N. praedictus N. arendator tenebit, possidebit, illisque utifruetur, vigore praefatae arendae, et nullo alio jure: cum omni jure, dominio, omnibusque usufructibus, ad praedicta bona quoquo modo spectantibus, usque ad decursum trium annorum, a receptione possessionis; vel potius ad certum tempus, prout supra: et jam praefatus N. dedit sibi arendatori realem possessionem in praefata bona, tenebiturque ipsum tueri, protegere, in praefatis bonis arendatis, ad omni impetitione juridica, usque ad expirationem arendae, sub damno Terrestri. Et hic idem stans praefatus N. arendator, etiam recognovit se arendasse praefata bona, apud praefatum N. juxta continentiam praesentis inscriptionis. Quae bona recognovit, non alio genere, tantummodo jure arendae praedictae se tenere et possidere.

FORMULAE CITATIONUM.

Citatio pro debito inscripto.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, etc. tibi Nobili N. haeredi de N. mandamus, quatenus in terminis Terrestribus, in N. protunc celebrantibus, ad instantiam Nobilis N. de N. compareas: qui te citat pro eo; quia non vis sibi solvere centum marcas pecuniae certi debiti, quas debuisti sibi solvere ad tempus jam praeteritum, et non solvisti: prout de hoc inscriptio in actis Terrestribus N. latius canit: et in totidem ipsum damnificasti: judicialiter responsurus. Datum.

Pro debito non inscripto.

Pro eo quia tu non vis solvere centum marcas pecuniae, monetae et numeri Polonicae, certi debiti: quas sibi debuisti solvere ad tempus jam praeteritum, et non solvisti: et in totidem cum damnificasti: judicialiter responsurus.

Pro excisione gaj, aut sylvae, vel mericae.

Pro eo, quia tu violenter excidisti sibi robora in gajo, sive sylva ipsius: in haereditate N. valoris decem marcarum: et in totidem ipsum damnificasti: judicialiter responsurus.

Pro arboribus fructiferis.

Pro eo, quia tu excidisti sibi violenter decem arbores fructiferas: videlicet N. et N. in haereditate ipsius villae N. valoris quinque marcarum: aut prout judicium decernet, et in totidem ipsum damnificasti; judicialiter responsurus.

Pro vulneribus.

Pro eo, quia tu fecisti super ipso initium litis, et intulisti sibi violenter tria vulnera cruenta, et duo livida: quae Ministerialis Terrestris N. de N. cum Nobilibus in tempore vidit. Quae vulnera pensat sibi ad quadraginta marcas pecuniae vel prout jus decernet: pro quibus vult te convincere; judicialiter responsurus.

Pro capite occiso.

Pro eo, quia tu occidisti patrem ipsius, Nobilem N. de N. quam occisionem Ministeriali Terrestri N. de N. et Nobilibus obduxit, et super te protestatus est: quod caput patris sui praefati, pensat sibi ad centum viginti marcas, et ad poenam carceris, aut prout iudicium decernet; et vult te pro eodem convincere: judicialiter responsurus.

Pro propinquitate.

Pro eo, quia tu possedisti et tenes propinquitatem ipsius, videlicet villam N. et ejus haereditatem, ad quam ipse est propinquior quam tu post Nobilem olim N. Patrum suum germanum. Quae bona praefata existimat sibi ad ducentas marcas pecuniae: et in totidem ipsum damnificasti: judicialiter responsurus.

Pro divisione.

Pro eo, quia tu non vis cum ipso dividere bona haereditaria N. quorum medietas ipsum N. concernit, et ipse tecum vult: quod sibi pensat ad centum marcas pecuniae et totidem damni; judicialiter responsurus.

Pro redimendis bonis obligatorijs.

Citat te ad recipiendum pecunias, quas te in bonis ipsius haereditarijs, videlicet villa N. praetendis habere inscriptas, et ideo, ut stares, et inscriptionas tuas coram iudicio ostenderes, et pecunias reciperes; sibi que tanquam haeredi, de bonis ipsius praefatis, judicialiter conscenderes. Datum.

Citatio suprascripta, potest fieri etiam ad actorum positionem, non expectata celebratione terminorum: et hoc fiet in arbitrio actoris.

Pro kmethone profugo, sive quovis alio subdito.

Pro eo, quia tu non vis sibi extradere laboriosum N. kmethonem ipsius, de villa N. ad villam tuam N. profugum; quem apud te in villa tua praefata N. arrestavit, per Ministerialem Terrestrem N. de N. quem sibi pensat ad decem marcas, et totidem damni: judicialiter responsurus.

Pro cautione fidejussoria.

Pro eo, quia tu sibi fidejussisti, pro Nobili N. de N. solvere, viginti marcas pecuniarum, ad tempus jam praeteritum; quas viginti marcas, nec ipse N. principalis, nec tu, tanquam pro eo fidejussor, solvistis: pro quibus te citat, et in totidem ipsum damnificasti: judicialiter responsurus.

Pro receptiione foeni, aut frumentorum.

Pro eo, quia tu recepisti sibi violenter decem cassulas foeni, in prato ipsius haereditario, villae N. laboris ipsius: quod foenum pensat sibi ad viginti grossos, et totidem damni; judicialiter responsurus.

Pro consultatione et depastione frumentorum.

Pro eo, quia ta immisisti de industria, et violenter, familiam tuam, cum equis et pecoribus, in et super haereditatem ipsius N. et conculcasti sibi frumenta diversi generis, laboris ipsius; quae sibi pensat ad triginta marcas pecuniarum, et totidem damni: judicialiter responsurus.

Citatio ad paratam citationem post mortem patris, aut cujusvis antecessoris, cui nondum venerat terminus.

Qui te concitat, alias *przypozywa*, ad paratam citationem, Nobilis olim N. patris praedicti, Nobilis N. legitimi, qua te praefatus olim N. pater ipsius citaverat, videlicet pro eo. Et inferatur citatio patris, et taliter concludatur. Et praefata actio concernit praedictum N. tanquam filium legitimum, praedicti N. ideo ad praemissa praedicto N. tanquam successor: judicialiter responsurus.

Dum pater, aut alius antecessor, lite contestata, sive scripto termino, aut condemnato reo, mortuus fuerit.

Qui te concitat, alias *przypozywa*, ad paratam citationem et actionem, et ad paratum terminum. Si terminus est translapsus, tunc scribatur; ad translapsum terminum, qui sibi translapsus est in termino, etc. Et ad omnes actus judicarios, Nobilis olim N. patris praedicti N. et ad eum punctum, in quo cessavit causa, morte praefati Nobilis olim N. patris praedicti N. ad quam actionem ipse N. est propinquior, et eum concernit, tanquam filium, post patrem, prout citatio ad processum causae ipsius, in actis Terrestribus N. latius disponit, videlicet occasione summae centum marcarum. Ideo te concitat, alias *przypozywa*, ad attendendum ipsum procedi ad ultiores gradus, et processum judicarios. Si nondum erat lis contestata, concludatur; ad praemissa judicialiter responsurus. Sed si post condemnationem in lucro, vel post latam sententiam; extunc ita concludatur: ad praemissa judicialiter attentaturus procedi ipsum contra te, ad ultiores gradus.

Citationis translapsae adcitatio.

Qui te concitat, alias *przypozywa*, ad paratam citationem translapsam, quae sibi est translapsa in terminis Terrestribus in N. jam praeteritis, qua te citaverat pro eo, etc. Et eo inseratur citatio; et concludatur: judicialiter responsurus.

A kmethone, sive alio quovis subdito.

Ad instantiam laboriosi N. de N. kmethonis, et subditi Nobilis N. de eadem N. haeredis, qui te citat pro eo, quia tu recepisti sibi violenter bovem, valoris trium marcarum pecuniae, et ipsum in totidem damnificasti: judicialiter, responsurus; et dominus ipsius praefatus N. stat pro poena sua trium marcarum, juxta praefatum N. subditum suum. Dat.

Granicierum.

Qui te citat ad faciendum granicies seu limites, inter bona ipsius N. haereditaria, villae N. ab una, et tua etiam haereditaria, villae N. partibus ab altera, et ad attendendum sibi N. decerni actoratum, vigore praesentis citationis; judicialiter responsurus.

Pro non administratione justitiae.

Pro eo, quia tu non vis sibi justitiam ministrare, cum laborioso N. kmethone et subdito tuo, de villa tua N. qui sibi excidit robora diversi generis in gajo ipsius in haereditate villae N. quam non administrationem justitiae, pensat sibi ad decem marcas pecuniae, et totidem damni.

Secundae citationis post condemnationem in poena contumaciae.

Citat, te secundo, prout te condemnavit in termino primo, in terminis Terrestribus, in N. jam praeteritis, in poena contumaciae, juxta suam primam citationem, qua te citavit pro eo, etc. Et inseratur citatio originalis, et concludatur; judicialiter responsurus.

Conditionis, alias *przypowiastu*, post condemnationem in lucro.

Qui te concitat, alias *przypowieszcza*, ad solvendum et satisfaciendum pro his omnibus, pro quibus te condemnavit in termino peremptorio, in terminis Terrestribus in N. jam praeteritis, juxta suam citationem, in lucro, pro toto, qua te citaverat, pro eo etc. Et inseratur citatio, et concludatur loco responsurus; judicialiter satisfacturus.

427 Citatio ex Officio Succammerarij, ad campum post condemnationem citati in lucro in Judicio Terrestri.

Tibi Nobili N. haeredi de N. mandamus, quatenus coram nobis, aut Camerario nostro, feria secunda post festum Sancti N. nunc instans proxima, in loco campestri, inter bona haereditaria Nobilis N. dicta N. et tua etiam haereditaria dicta N. ubi videlicet praefatus N. actor nos, seu nostrum Camerarium locabit, ad attendendum et videndum ipsum, ducere nos, sive Officium nostrum, ducereque et sipare granicies, scopulos, de terra erigendo, et alia signa metalia sive granicialia faciendo; attentaresque et aspiceres ipsum, cum testibus praestare juramentum, tanquam actorem, super vera et justa ductione et sipatione praefatarum granicierum; prout praefatum actoratum contra te obtinuit, condemnando te in lucro actoratus in Judicio Terrestri N. in terminis jam praeteritis: cum quo actoratu ad nos, sive nostrum Officium, ad campum est remissus, praemissa judicialiter attentaturus. Datum.

Citatio Castrensis ad Querelam.

N. de N. Capitaneus N. tibi Nobili N. de

N. innotescimus, Nobilem N. de N. contra te, coram nobis in querela deposuisse, quomodo tu ipsum de pacifica possessione bonorum N. violenter expulisti et depercussisti: quare vigore Regio et nostri Officij Capitaneatus, mandamus, quatenus coram nobis, aut Officio nostro Castrensi N. feria secunda post festum N. in Castro N. compareas, querelis praefati N. et ad alia protunc tibi objicienda, responsurus. Quod sive comparueris, sive non, nos ad ea, quae ad nostrum officium spectant, procedemus. Datum in Castro N.

Concitatio, alias *przypowiast*, post latam sententiam, pro re decreta.

Qui concitat, alias *przypowieszcza*, ad satisfaciendum et solvendum sibi centum marcas per Judicium Terrestre N. in terminis Terrestribus in N. proxime praeteritis sibi super te decretis, et ad attendendum ipsum jurare super damnis exinde secutis: ideo ut stares, et pro praemissis omnibus et pro poenis satisfaceres. Datum.

NUNDINAE

428

IN POLONIA PER GERMANOS INSTITUENDAE.

Sigismundus universis subditis nostris cujuscunque status et conditionis fuerint in Regno nostro ubilibet existentibus, sincero et fideles dilecti. Non incognitum est vobis, Nos propter varias et multiplices injurias et gravamina, quae ex Silesia et Marchia, Regno et subditis nostris inferuntur, omnia itinera in ipsam Silesiam et Marchiam, de consilio universi Senatus nostri et instantia regnicolarum nostrorum ad decennium a festo Resurrectionis Domini proximo futuro computando inhibuisse, simul ac vobis strictissime mandasse, ut hoc toto decennio nemo vestrum auderet illuc in Silesiam et Marchiam res et merces aliquas tam grandes, quam exiguas cujuscunque qualitatis fuerint, (praeterquam sal nostrum) vehere et inferre, sed nec ad alias quascunque remotiores partes easdem res et merces de Regno nostro, per ipsam Silesiam, aut Marchiam deducere: et boves etiam ad alia aliqua bona extra ipsum Regnum nostrum, (praeterquam ad ea, quae per Nos designarentur) quovis modo praetextu vel colore pellere praesumeret, nedum sub amissione ipsorum bonorum et mercium; verum etiam omnium bonorum suorum confiscatione. Proinde cum ipsum festum Resurrectionis Domini jam appetat, a quo executio ejus inhibitionis, ac edicti nostri inchoari debet: consulere volentes, tam subditorum nostrorum, quam etiam hominum externorum commoditati, nundinas, seu fora annua publica, pro vendendis et emendis bobus, in oppidis Regni nostri infra scriptis, et finibus ejus existentibus, loco nundinarum in Germania et Silesia prius agi solitarum, designandas et instituendas duximus,

designamusque, ac instituimus praesentibus nostris literis, videlicet in Majori Polonia et oppido *Szrem*, quatuor fora annualia, primum scilicet pro festo Sancti Erasmi, loco nundinarum in *Budsthet* pro festo S. Joannis Baptistae agi solitarum. Secundum, pro festo Visitationis gloriosissimae Virginis Mariae, loco nundinarum *Herfordiensium*, pro festo S. Jacobi celebrari consvetarum. Tertium, pro festo Sancti Laurentii loco nundinarum *Gervasth*, pro festo S. Bartholomaei teneri consvetarum. Et quartum pro festo S. Hedvigis loco aliarum nundinarum, *Budstheten*: pro festo Omnium Sanctorum institutarum. In Minori vero Polonia in oppido *Krzepice*, similiter alia quatuor fora annualia, pro ipsis etiam bobus vendendis et emendis institutus. Primum pro feria secunda proxima post festum Ascensionis Domini, pro nundinis in *Brzeg* pro festo Sanctissimae Trinitatis teneri consvetis. Secundum pro festo Divisionis Apostolorum loco nundinarum in *Nissa*, pro festo S. Jacobi agi solitarum. Tertium pro festo S. Augustini loco aliarum nundinarum in *Brzeg*, pro festo Navitatis Sanctae Mariae institutarum. Et quartum pro festo Sancti Francisci Confessoris pro nundinis in *Swidnica*, ad festum Sancti Galli agi solitas, quo locorum et viarum compendio et pascuorum copia, quae circa duo praedicta oppida, major quam alibi suppeditari fertur possint facilius, tam subditi nostri ad pellendos illuc boves, quam etiam ipsi homines externi ad eos, in eisdem locis emendos, ac inde commodius expellendos adhortari. Conservantes nihilominus, prout conservamus praesentibus in robore suo omnia alia, et singula fora in aliis civitatibus et oppidis Regni nostri, aliis quibuscunque temporibus in venditione et emptione ipsorum bovm, dudum agi et celebrari solita, inhibentes praesentibus, ne quisquam cujuscunque status, conditionis aut praecipientiae existat, ad alia remotiora loca, extra Regnum nostrum, boves ipsos pellere praesumat, sub poena superius expressa, et gravissima indignatione nostra. Ne autem de praefatis nundinis in oppido *Szrem*, quater in anno, in *Krzepice* tot etiam vicibus pro emendis, et vendendis bobus, per Nos institutis nundinis in Germania et Silesia prius celebrari solitis correspondentibus, quispiam suam ignorantiam praetendens, poenam eandem incurrat: mandamus vobis locorum Capitaneis, ac civitatum et oppidorum Proconsulibus, et Consulibus, ut eas ipsas nundinas diebus forensibus, ac festis circa ecclesias Parochiales, per publicas proclamationes, ad universorum et singulorum, quorum interest notitiam deduci faciatis, pro debito officij vestri, et gratia nostra, aliter non facturi etc. Datum Cracoviae feria quarta proxima post Dominicam Palmarum, anno Domini 1524 Regni nostri anno 18.

PAX PERPETUA

INTER SIGISMUNDUM REGEM ET REGNUM POLONIAE, ET MAGISTRUM PRUSSIAE, EJUSQUE ORDINEM CRUCIFERORUM, CRACOVIAE 1525 CONFECTA.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Omnium rerum, quae sempiternae sunt futurae, nulla firmitudo certior excogitari potest, quam ea quae sit literarum monumentis prodita ad memoriam posteritatis. Caetera enim facta humana, quantumcunque memorabilia, alijs modis, quam literis aeternitati consecrata, aliquot quidem saeculorum decursu durare possunt: quae vero literarum officio memoriae mandantur, nunquam intereunt, ipsaque vetustate fiunt augustiora. Proinde Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae ac omnium Terrarum Prussiae, Pomeraniae, etc. Dominus et Haeres. Manifestum facimus universis, quia cum acta essent plurima bella inter Praedecessores nostros Reges, et Regnum Poloniae, ac Magistros et Ordinem dictum S. Mariae Theutonicorum in Prussia, de proprietate ipsarum Terrarum Prussiae certantes, eaque non penitus extincta, inter Nos et Illustrum Dominum Albertum Marchionem Brandenburgensem: et Magistrum ipsius Ordinis recruduissent, cum magno Reipubl: Christianae incommodo et detrimento. Proindeque et Summus Pontifex, et Caesarea Majestas, Serenissimusque Nepos noster Dominus Ludovicus Hungariae et Bohemiae Rex, Nos ad ineundas quadriennales inducias, et arbitralem cognitionem subeundam hortati essent, et induxissent: qua demum magnis impedimentis non secuta, et tempore induciarum expirante venissent ad Nos Illustris Principes Dominus Georgius Marchio Brandenburgensis: in Silesia, Ratisborien: Jagersdorff, in Prussia, Stetinen. Pomeraniae, Cassubarum, Sclavorum Dux, Burgrabius Norinbergen: et Princeps Rugiac. Et Fridericus Dux Lignicen et Brigen: ac inferioris Silesiae Capitaneus, necessarij et affines nostri charissimi, de pace et concordia stabili ac firma sedulo agentes. Tandem post multos tractatus et rationes utrinque expensas, ad infra scriptas condiciones, et capitula ipsius pacis et concordiae devenimus, omniaque et singula condiximus, et utrinque firmavimus, in hunc qui sequitur modum.

In Nomine Domini et Sanctae individuae Trinitatis, Amen. Nos Georgius, Dei Gratia Marchio Brandenburgensis, in Silesia, Ratisborien. Jagersdorff, in Prussia, Stetinen. Pomeraniae, Cassubarum, Sclavorum. etc. Dux Burgrabius Norinbergen et Princeps Rugiac. Et nos Fridericus eadem Dux Legnicen. et Brigen ac inferioris Silesiae Capitaneus recognoscimus et significamus omnibus et singulis praesentem con-

cordiam seu contractum visuris, audituris sive lecturis. Quia nos ex infra scriptis sequentibus rationibus, quae nos tanquam Principes Christianos promoverunt, eandem sequentem concordiam et contractum inter Serenissimum et Excellentissimum Principem, et Dominum, D. Sigismundum Regem Poloniae et suae Majestatis haeredes, et Successores Reges Regni Poloniae, ex una, et Illustriss: Principem et Dominum D. Albertum Marchionem Brandenburgensem: Theutonicum Ordinis generalem Prussiae Magistrum, et ejus ordinem militare, terrigenas et civitatenses, ex altera, partibus, concepimus, tractavimus et composuimus.

Et inprimis id praecipue ac potissimum considerantes omnes dissensiones, bella, contentiones, et conflictus inter R. Majestatem et Dominum Magistrum, ejusque Terrarum incolas hinc ortas et emanatas esse, eo, quod non unus Princeps haereditarius omnium Terrarum Prussiae, gubernator hucusque extitisset, dictaque Prussia diversorum Procerum capitibus gubernata esset, unde Terrarum ipsarum incolae perniciosius inter sese bellis et contentionibus digladiabantur, et proelia commovebant, ex quibus magna effusio christiani sanguinis, damnaque et nocumenta incolis, orphanis et viduis plurima sunt illata. Similiter considerantes, quod praefatus Dominus Magister, frater et avunculus, ac sororius noster retroactis temporibus, quando officio Magisterij fungeretur, multifarias fatigas et labores hucusque subivit apud omnes Status Christianorum Principum, videlicet, Summos Pontifices et Caesarem Majestatem, Sacrum Romanum Imperium et Electores Imperij, necnon apud nobilitatem Germaniae, eosdemque omnes saepius requiren. operam diligentem impendit, sperans eosdem invigiluros, quo ipsae seditiones, et controversiae, ac dissensiones secundum continentiam infrascriptae perpetuae pacis, per Sereniss: Majestatem felicis recordationis Casimiri Regis, olim Thorunij confectae, et juxta compromissum in proximo quadriennio per Caesarem Majestatis et Regiae Serenitatis Hungariae Oratores, in praesentia Sanctissimi Domini Leonis Papae Legati etc. Thorunij factum, componerentur et concordarentur, id tamen ex intervenientibus bellorum motibus, et caeteris varijs admodum arduis negotiis, quibus Caesarea Majestas et Sereniss: Dominus Rex Hungariae hactenus impliciti ac distracti fuerunt, hucusque impeditum et indiscussum permansit.

Nos tamen considerantes hujusmodi ordinationem optimam fuisse, compromissum paucis diebus ad finem et terminum ultimum deducere studuimus. Nam ubi negotia indiscussa permansissent, formidandum fuit, ne Regia Majestas et Regnum Poloniae, ac Magister cum Terris Prussiae iterum ad majores armorum tumultus, proelia et contentiones, ac humani sanguinis effusionem redirent, in damnum et jacturam totius Reipublicae Christianae.

Ad praecavendum igitur hujusmodi mala et

incommoda pacisque studio intendentes, quo in futurum perpetua christiana pax inter Regiam Majestatem et ejusdem Majestatis haeredes Successores Regni Poloniae Reges, et inter Magistrum Prussiae, et ejusdem Terrarum incolas utrinque intervenire ac disponi possit. Considerantes etiam quia et nunc Reverendus Dominus Statilius Praepositus Vesprimien: Serenissimi Regis Hungariae Domini, Domini nostri clementissimi, tanquam dicti compromissi arbitri inter nuntius pacis, ac missus Orator ad S. R. Majestatem Poloniae, ac Magistrum Prussiae fratrem et avunculum, ac Sororium nostrum, quo se ad concordiam et ipsum contractum per Nos factum benevole submitterent, et gratiose ac benigne eidem consentirent, rogavit et requisivit. Nos tanquam mediatores, reconciliatores pacis, ex supradictis causis et rationibus sequentes articulos, quos salubri viae concordiae intendentes christianos decentis, idoneos cognovimus, inter S. R. Majestatem et Dominum Magistrum, utriusque accedente consensu, fecimus et disposuimus et prout infra continetur, ordinavimus et confecimus.

Inprimis, quod omnes dissensiones in ijs bellis inter Regiam Majestatem, Dominum Magistrum, Duces Masoviae, Episcopos Varmiensis, et Culmen: et caeteros omnes, eorumque subditos exortae, per sequentem transactionem in universum sublatae sint, et neutri partium in malo reminiscendo imputari debent.

Item, quod loca, castra et oppida cum omnibus attinentijs et pertinentijs in his bellis utcunque alias utrinque intercepta cum bombardis majoribus, quemadmodum in prima occupatione arcium et oppidorum inventae sunt, restitui: bombardae etiam uncales, quas *hokenbuchs* vocant, eo pacto, ut penes modernos Officiales restabant, similiter reddi debent. Si vero quidquam bombardarum majorum deesset, debent officiales per juramenta interrogari, ut medijs eorum juramentis dicant, quid illic invenerint. Quod autem bombardas in Castro Hollando demolito inventas attinet, debent sine diminutione ad manus Illustris Domini Marchionis Alberti restitui.

Praeterea debent omnes et singuli ex nobilitate, civibus et colonis omnis promissionis et juramenti quibus praesentibus bellis, aut citra, alias, circa haec tempora a suis ad alienos Dominos se contulerunt et obligarunt, liberi et soluti esse et reputari.

Caeterum quod ad neglecta servitia attinet, debet a S. R. Majestate et Duce de Prussia, illis, qui ea neglexerint, ex gratia condonari et bona seu possessiones eorum reddi.

Caeterum quod liberos eorum attinet, qui condemnati ob perpetratum facinus poenas dederunt, bona immobilia utriusque reddantur et patrum facinus honori puerorum nihil noceat, nec apud quempiam in aliquo praepudicet.

Item debet R. Majestas illis de Newmarckt, similiter Marchio Albertus Gilzenburgen: et

Hoensteinen: necnon omnibus civitatibus ecclesiasticis et saecularibus, nobilibus et plebeis utriusque partis subditis, qui ex timore defecerint, parcere et condonare, nullaque indignatione reminisci, nec cuiquam ut hoc vindicet permittere, sed ex clementi voluntate, sub utrisque hinc inde sigillis, et literis sententiam ferre, quod hoc ipsis et liberis eorum in nullam dehonorationem aut incommodum vergere debeat.

Item, quod ad ecclesiasticorum bona et jurisdictionem attinet, debet Dux Prussiae ad requisitionem ecclesiasticorum unicuique justitiam, ut christianum, aequum et justum est, administrare.

433 Caeterum bona, redditus et census sub Duce Prussiae siti, Episcopatum Varmiens: vel ad eosdem ecclesiasticos attinentes, debent vicissim ex omni parte restitui. Si vero Dux vel nobiles sui curatos, vel alios in ecclesiastica beneficia collocare vellent, qui hominibus christiane providerent, eos Episcopus juxta antiquam consuetudinem instituere ac investire debet.

Item si possent Domini Pontifices constanter docere, quod ecclesiastici in Terris D. Ducis commorantes, secus quam christiani, ac contra ordinationem et constitutionem universalis Sanctae Ecclesiae Christianae se gererent, debet Dominus Dux una cum Dominis Episcopis juvare ut tales debita castigatione emendantur.

Item si quispiam civium aut rusticorum duos annos ante proxime gestum bellum, usque huc domino suo se subduxisset, et absque voluntate ejus aufugisset, repetiti debent dominis suis sine omni medio restitui et exinde nulla partium alterutri suos detinere. Qui autem vi ab utraque parte abacti sunt, ii debent publicis mandati literis ad dominos suos dirigi seu remitti.

Item debet Dominus Albertus Marchio R. Majestati et Regno Poloniae juramentum, uti naturali et haereditario domino suo praestare et se imposterum erga ejus R. M. in omnibus sicut Principem vasallum erga dominum suum haereditarium de jure decet obedientem exhibere. Debet praeterea Marchio Georgius suo et fratrum nomine vexillum contingere. Debent similiter Marchiones Casimirus et Joannes sigillis et literis suis intra annum hujusmodi contractum agnoscere et acceptare.

Item debet R. M. ex adverso Marchioni Alberto infra scriptas terras, civitates, castra et vicos, videlicet tria oppida et castrum Konigsberg, Lochsteten, Vargen, Girmau, Pubetten, Rudau, Schaken, Kaymen, Kremitten, Valdaw, Tapiaw, Taplauken, Narbetten, Insterburgk, Allenburgk, Vensterw, Gerdawen, Angerburgk, Nordenburgk, Labiaw, Laukisen, Tilsit, Ragnet, Resitten, Vintergk, Mimmel, Brandenburgk, Krentzburgk, Friedlandt, Domenau, Barten, Luzen, Balge, Heiligenbeill, Zinten, Landzbergk, Preuscheilaw, Bartenstein, Sehesten, Sensburgk, Rein, Rastenburg, Lick, Joansburg, Hollandt, Liebstat, Muhhalusen, Moring, Passenheim, Ortelburg, Osterode, Hohenstein, Neidenburgk,

Soldaw, Gilgenburg, Schippenbeill, Deutscheilau, Preuschmarckt, Lubmuhl, Salfeldt, Risenburgk, Marienwerder, Tirenbergk, Labsaw, Schonbergk, Bowundun, Jorgenburgk, Rosenberg, Gordensee, Neuhaus, Freienstat, Solaw, Fischausen, Bischoffwerder, Medenaw, tanquam Duci in Prussia in legitimum et haereditarium feudum conferre et ejusmodi infundationis literas ab uno fratre ad alium et eorum haeredes tanquam super indiviso feudo juxta tenorem transactionis conficere.

Item si quando memorati quatuor Principes et Marchiones, Albertus, Georgius, Casimirus, Joannes et eorum legitimi feudi haeredes omnes, sine legitimis feudi haeredibus decederent, tunc et non antea debent supra scriptae Terrae Prussiae ad R. M. et Regnum Poloniae haereditarie redire et recidere. Si vero filiae superessent, hae debent Ducalis dotis pecunia a Regia Majestate absolvi et provideri.

Item debet R. M. Marchionem Albertum, suos haeredes, et omnes incolas suprascriptarum Terrarum Prussiae in eorum privilegijs huic transactioni et superioritati R. M. non repugnantibus conservare, et, alios ab iniqua violentia defendere et manutenere.

Item debent tam Ordinis, quam nobilitatis et civitatum praedictarum Terrarum Prussiae mandatarij Nuntij pro se, haeredibusque et successoribus suis consentire et inscribere, quod se ipsos haeredesque et successores suos post obitum quatuor praedictorum Principum, et suorum legitimorum feudi haeredum ad R. Majestatem et Regnum Poloniae ac ipsius haeredes, debita fidelitate et subjectione, uti ad eorum naturalem ac haereditarium dominum, et nullum alium tenere debeant et velint.

Ita denique quod R. M. supra scriptas Terras Prussiae cum aliquo linguam Germanicam calente, et in eodem Ducatu bene possessionato, qui omnia Officia administret, procurare debeat. Etsi M. Regia Consiliarios suos deputaverit, quod nobiles et civitates ecclesiastici et saeculares omnium ordinum Terrarum Prussiae Duci ex Prussia juramentum praestare debeant, quod tunc ex singulis Districtibus duo ex nobilitate, ac civitatibus nomine aliorum omnium, quemadmodum hic praesentes se inscripserunt, literis quoque et sigillis suis hujusmodi concordiam recognoscere debebunt, et quum Principi de Prussia juramentum praestabunt, quod tunc medio hujusmodi eorum praestito juramento, etiam hanc concordiam se servaturos promittant.

Item quod Princeps de Prussia primum et proximum locum in Consilijs, Terrarum Comitibus et publicis Conventibus apud R. M. habere debet.

Item quod Princeps ex Prussia haeredesque et successores Principis ex principatu et Terris Prussiae praedictis nihil vendant, verum si ad hoc ingens urgeret necessitas, debebunt hoc R. M. tanquam domino suo haereditario ante unum annum prius denuntiare. Quod si Majestas sua

emere nollet, extunc ipse Princeps vendendi habeat potestatem; Regalibus tamen Regiae Majestatis feudis et obsequiorum juribus salvis. Et praeterea si Dux ipse Prussiae urgente necessitate premeretur, poterit arces et oppida sua vasallis suis locare et impignorare, ut eadem Terrae unitae et indiscissae, quemadmodum nunc sunt, permaneant.

435

Item quod ad obsequium attinet, ex quo Terra Prussiae in magnum detrimentum pervenit, promisit Regia M. Marchioni Alberto sex annorum libertatem se ex gratia daturam; ubi autem Regia Majestas et Regnum Poloniae a quibuslibet, cujusvis dignitatis aut conditionis illi fuerint, occasione hujus transactionis et concessionis feudi impugnaretur, extunc Dux in Prussia cum successoribus in propria persona, una cum omnibus suis subditis pro summis viribus Regiam M. etiam intra hoc sex annorum libertatis spatium adjuvare, et illi consulere sit obligatus; similiter Regia Majestas et Regnum Poloniae erga Ducem in Prussia, et ipsius Terras in hoc casu facere debebit.

Si autem contingeret, quod Regia M. aut Regnum Poloniae extra hunc contractum ab infidelibus, et alias urgeretur et Regia Majestas Poloniae in propria persona cum omnibus suis subditis in castra proficisceretur, tunc Dux in Prussia cum successoribus suis obligatus esse debet Regiam Majestatem cum centum instructis equis, usque ad terminos Terrarum Prussiae insequi.

Si vero Dux in Prussia a Regia Majestate ultra fines transire requisitus fuerit, extunc hujusmodi centum equites instar aliorum Majestatis aequestrium militum Regijs stipendijs militare debebunt. Casu autem, quo Regia M. urgente necessitate plures quam centum equites a Duce in Prussia educi desideraret, quotquot centenarium numerum excesserint, a tempore exitus domiciliorum suorum, Regio stipendio, ut praemissum est, militabunt. Si vero in facultate Ducis ex Prussia non fuerint plures quam centum equites educendi, non debet propterea ipsum M. Regia ulterius urgere.

Item quod ad jurisdictionem inter Regiam Majestatem et Principem Prussiae attinet ita observandum est, si contingat quod Regia Majestas Principem, aut vicissim Princeps ipse Regiam M. in causis personas utriusque partis concernentibus convenire vellet, debet Majestas Regia Consiliarios suos Marienburgi aut Elbingi collocare, juramentisque, quibus suae Majestati obnoxij sunt, absolvere, et rursus ad juste judicandum obligare. Et quidquid tunc a praedictis Consiliariis Regiae M. et Principi pronuntiatum et decretum fuerit, ratum esse debet, et sine contradictione servari.

Si vero quispiam de sorte seu conditione Principis saecularis aut ecclesiastici status in Prussia supradictum Principem de Prussia super quavis re convenire praetenderet, debebit M. Regia sex ex Consiliariis, et Princeps in Prus-

sia totidem ex suis ad judicium, ut praemittitur obligare, et juramentis adstringere, et quidquid ipsi aequum esse decreverint, et pronuntiauerint, ei utraque pars acquiescere, et sine ulla tergiversatione id ratum habere debebit.

Si autem aliquis, qui de sorte Principum non fuerit, contra Ducem in Prussia quempiam, actionem instituere vellet, hoc coram vasallis Principis facere debebit, quos Princeps ipse collocare, et ad judicium obligare tenebitur. Si quis autem occasione hujusmodi judiciorum in casibus Principis personam attingentibus sibi injuriam factam, aut se gravatum existimaret esse, poterit ad Consiliarios (quos Regia M. et Dux in Prussia quotannis ad festum S. Francisci, cum id necessitas exegerit Marieburgum mittere debebunt) provocare, qui super ea re cognoscendi potestatem habere debent. Quodsi sibi cognitum fuerit appellationem provocantis frivolam et illicitam esse, debebit illa pars judicio decem marcas Pruthenicales pendere, et parti adversae ad refundendum expensas litis et ad parendum priori sententiae obligata esse.

Ubi vero actiones emergerent, incolas Terrarum Prussiae et eorum possessiones utrinque contingentes, unusquisque in eo judicio ubi bona seu possessiones sitae fuerint, aut reus domicilium habuerit conveniri, et ad extranea judicia trahi non debet.

Item neutrius partis subditi, nec etiam eorum bona, ex quo in locis ad quae spectant justitia obtineri possit, in alienis judicijs arestari aut detineri debent.

Item quod deinceps omnes incolae Terrarum Prussiae utrinque reciproca vicissitudine in terra et mari sine impedimento negotiationis exercere, veteribus stratis profisci, et curribus transire, necnon in privilegijs suis hoc casu permitti debent.

Caeterum fora in villis contra fas et antiquam consuetudinem instituta, deinceps ubique aboleri, et in civitates ad quas spectant, reponi debebunt.

Item quod profundum Balgen: ad mare recens Haeb, et ubicunque alias profunda id est ostia maris fuerint, caput Vislae, et omnia flumina omnibus Prussiae incolis, ut in ipsis navigare et trajcere possint, libera sint. Et peregrini mercatores nec in Konigsberg, nec Brunsberg, Elbingum, Gedanum, aut in ullam aliam civitatem proficisci cogantur, sed debent libere non coacti, prout ipsis placuerit velificare, et navigare. Attamen sine antiquorum teloneorum et privilegiorum detrimento.

Item nulla telonea, depositiones, vel alia gravamina in Terris Prussiae contra antiquam consuetudinem et privilegia ab ulla partium institui debent, sed vetera telonea permanere. Si autem ab alterutra partium a tempore transactionis Regis Casimiri telonea essent instituta, ea quoque hinc inde abrogari debent. Si vero successu temporis contingeret, quod Regia M. et similiter Dux in Prussia ad requisitionem

436

437 uterque subditorum suorum alicubi nova telonea aut emporia ad utilitatem Terrarum Prussiae instituere destinarent, tunc debet Majestas Regia Ducem Prussiae vocare in locum opportunum, et ambae partes super ea re concordandi et transigendi potestatem habere. Si etiam aurigae vel nautae hujusmodi telonea praeterierint, non debent eis bona adimi, sed tantum naves currusque auferri.

Caeterum quod ad bona naufragantium attinet, debebit id cum eisdem secundum veterem introductam consuetudinem, ex quo idem in Selandia, Hollandia, et Brabantia consuetum est, etiam observari, ita tamen quod a nautis nihil plus extorqueatur.

Item debet utraque partium adversus alteram nunc et deinceps publicarum stratarum praedones, fures, et alios Terris perniciosos invehentes, ad receptandum et promovendum abstinere. Sed qui unius partis professus hostis sit, debet etiam ab altera parte pro ejus diffidato hoste et damnificatore censerii.

Item quaevis partium potestatem habere debet hostes et noxios suos in bonis alterius partis persequendi, et in quibus judiciis apprehendantur, in illis sisti, et juxta ipsorum demerita justificari debent.

Item Dux in Prussia, praeterea Elbingen: Gedanen: et Thorunen: omnem monetam cedere abstineant, ita quod Regia Majestas intra hinc, et festum Pentecostes sequentis anni diem statuatur, se ratione hujusmodi monetae clare concordandi.

Item quod Dux Prussiae omnibus privilegiis et juribus huic contractui repugnantibus, seu ea sint a Pontificibus Maximis, Imperatoribus, Principibus, vel Regibus Poloniae profecta, nunc et in perpetuum renuntiare, et ea in manus Regiae Majestatis consignare debet. Si autem quidquam in ejusmodi privilegijs contineretur, quod huic transactioni non repugnaret, sed Duci Prussiae et Terris occasione finium et aliorum jurium et privilegiorum necessarium esset, debebit Majestas Regia ejusdem tenoris sub literis et sigillo Majestatis suae ea denuo concedere.

Item quod Regnum Poloniae et Terrae Prussiae pro se et eorum successoribus sufficienter se inscribere debent, quod hanc institutam transactionem in omnibus suis partibus, punctis et articulis fideliter perpetuo et irrevocabiliter servare, nec unquam contravenire, aut agere debeant, aut velint, hoc puncto singulariter adjuncto, si casus mortis Principum, quos Deus pro suo arbitrio conservet, se offerret, quod Terrae Prussiae Majestati Regiae et Regno Poloniae et nulli alteri adhaerere debent.

Postremo si quisquam cujusquam dignitatis aut conditionis existeret, huncque contractum impugnare vellet, debent tres Marchiones, quos haec concordia pariter attingit, una cum Duce de Prussia cum omnibus, quos ad hoc permovere poterunt Regiam M. juvare, et super hoc respondere.

Huic suprascriptae christianae concordiae et unitati Regia Majestas Poloniae, et Dux Prussiae in omnibus articulis, clausulis, conditionibus, punctis superius expressis Regiam ac Ducalem dignitatem, christianamque bonam fidem perpetuo et fideliter interponentes, inviolabiliter pro se et successive posteritatis eorum haeredibus, Successores Reges Poloniae et Duces Prussiae, ratam et firmam habere et observare polliciti sunt ac promiserunt. Pro majori praefatorum fide et securitate Regia Majestas, similiter Dux Prussiae hujusmodi pactum, concordiam et unionem manu eorum propria subscripserunt, et sigilla ipsorum nostris adhaerentia subappendi fecerunt, et hujusmodi contractus binae literae concordationis seu unionis, sub eodem verborum tenore confectae, cuilibet parti unae praesentatae sunt. Datum et actum Cracoviae Sabbatho in vigilia Palmarum, quae fuit octava mensis Aprilis, anno Domini 1525.

Nos itaque Sigismundus Rex Poloniae: de consilio et consensu Consiliariorum nostrorum Regni Poloniae, omnes et singulos memoratos articulos, ut praemittitur, medio Illustrissimi Principum praenominatorum, Georgij Marchionis Brandeburgensis, et Friderici Ducis Legnicen: inter Nos, et Illustrum Dominum Albertum Marchionem Brandeburgensem Magistrum ac Ordinem ejus in Prussia actos, conductos, et conclusos in omnibus et singulis eorum punctis, clausulis, et continentis, prout jacent, acceptamus, ratificamus, approbamus, laudamus, et confirmamus, ipsosque perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. Promittentes in verbo nostro Regio, ac sub fide boni, et legalis, ac ingenui Principis, pro Nobis, atque Successoribus nostris Regibus Poloniae ac Regno et dominiis nostris, quantum Nos et illa concernunt: Nos omnia suprascripta in praeinsertis literis atque articulis conductis et conclusis expressa, firmiter et inviolabiliter observare, exequi, et adimplere, neque aliis quoquo modo contravenire de jure vel de facto, directe vel indirecte, omni dolo et fraude penitus seclusis. In quorum omnium et singulorum fidem robur et testimonium praemissorum praesentes literas manu nostra propria subscripsimus, illasque sigillo nostro Regio et Consiliariorum nostrorum sigillis communiri fecimus. Datum Cracoviae, die Dominico Palmarum, anno D. 1525, Regni vero nostri anni 19.

Praesentibus Reverendiss: ac Reverendis in Christo Patribus Dominis:

Joanne de Lasko, Archi-Episcopo Gnesnen: Legato nato et Primate, Petro de Thomice Cracovien: et Posenien: ac Regni nostri Vice-Cancellario, Matthia de Drzewica Vladislavien: Raphaelae de Leszno Plocen: Mauritio Varmien: Andrea Krycki Praemislien: Joanne Culmen: Jacobo Chelmen: Laurentio Camenecen: Episcopis; ac Magnificis, Generosis, Venerabilibus, Nobilibus, Strenuis ac Famatis, Nicolao Firley de Dabrowica Castellano Cracovien: et exercituum Regni nostri Capitaneo generali, Christophoro de Szydłowicz Palatino et Capitaneo Cracoviensi et Regni nostri Cancellario, ac Siradien: Gostinen: novae Civitatis Kor-

439

czyn et Sochaczovien: Capitaneo, Andrea de Teczyn Sandomirien: ac Belzen: Chelmen: et Rathuen: Capitaneo, Jaroslaw de Lasko Siradien: Andrea de Opporow Bresten: Georgio de Baysen Palatino Marienburg: et Capitaneo Mevensi, Georgio de Konopat Pomeraniae et Capitaneo Swecen: Palatinis, Nicolao de Szydłowicz Sandomirien: Regni nostri Thesaurario, ac Radomien: Zatorien: Oswiecimen: Capitaneo, Joanne Comite de Tarnow Woynicen: Joanne Wiczewski Plocen: et Capitaneo Bratianen: Joanne de Tarnow Biecen: et Capitaneo Pilsen: Nicolao Cikowski de Woslawice Polanecen. et Burgrabio Cracovien: Stanislaw de Chodecz Mareschalco Regni nostri et Capitaneo Leopoliem: Petro Kmita de Wiánice Mareschalco Curiae nostrae ac Scepusien: ac Praemislien: Capitaneo, Nicolao Rusocki Biechovien: ac Lancicien: Praceden: Capitaneo, Castellanis, Achatio Czema Succamerario Pomeraniae, Capitaneo Schlochovien: Joanne Latalski Gnesnen: Cracovien: Posenien: et Lancicien: Joanne Karnkowski Skarbimirien: Stanislaw Gorecki Calissien: et Custode Plocen: Praepositis, Joanne Choielski Cracovien: Joanne Gorski Posenien: Stanislaw Tarlo de Czekarzewice Lublinen: Archi-Diaconis, Stanislaw de Oleńica Cantore Gnesnen: Canonici Cracoviensib: Secretarijs nostris, Nicolao Tomicki Praefecto stabuli nostri, ac Costensi, Pisdrensi et Conicicensi Capitaneo, Sylwestro Ozarowski, Succamerario nostro et Capitaneo Zavichosten: Stanislaw de Pileza Capitaneo Grodecen: Joanne Tarlo Structore mensae nostrae, Simone Chlewicki Magistro coquinae nostrae, Martino Wolski Thesaurario Curiae nostrae et Burgrabio Cracovien: Conrado Hilfeldt Proconsule et Joanne Lisman Consule Thorunen: Joanne de Loe Proconsule, et Joanne Alxuanze Consule Elbingen: Eberhardo Ferber cive Gedanen: Capitaneo Dirschovien:

caeterisque Dignitarijs, Officialibus, Proceribus et Aulicis nostris testibus circa praemissa fide dignis sincere Nobis et fidelibus dilectis. Datum per manus praefati et Reverendi in Christo Patris Domini Petri Tomicki Cracoviensis et Poseniensis Episcopi et Regni nostri Vice-Cancellarij sincere Nobis dilecti.

440

APPROBATIO

PACIS PERPETUAE PER REVERENDISSIMUM EPISCOPUM POMEZANIENSEM D. ERHARDUM ET MAGNIFICOS GENEROSOS NOBILES ET SPECTABILES DOMINOS LEGATOS NOMINE ORDINUM DUCATUS PRUSSIAE, CRACOVIAE ANNO 1525, NONA DIE APRILIS FACTA.

Nos infra scripti Erhardus electus Pomezanien: Fridericus Dominus de Heydek Ordinis Theutonicorum in Prussia, Henricus de Kittlicz, Georgius de Kunheim nomine Nobilium, Nicolaus Richau Magister civium civitatis antiquae, Crispinus Schonberg Consul in Kneiphoff nomine majorum et minorum civitatum in Prussia: palam facimus et recognoscimus: quia cum retroacto tempore multa gravique bella inter Sereniss: Poloniae Reges et inclytos Theutonici Ordinis Magistros magnos, tantis odijs inveteratisque dissidijs in utriusque populi et Polonici et Pruthenici calamitatem gesta sint, ut parum hactenus profuerint contractus et pacis foedera Summorum Pontificum, Imperatorum, Regumque auctoritate semper interposita, cujus mali origo hinc dimanavit. Quod Prussiae Terra (nam de ejus propinquitate tantopere pugnatum est,) rectore haereditario caruit, cum hinc Reges Polon: illinc Magni Magistri et Milita-

ris Ordo jus suum praetenderent, mallentque armis, quam pia christianaque concordia negotium transigere. Proindeque pervenit eorum malorum non parva portio ad nostram usque aetatem: si quidem paucis abhinc annis oborto, iterum ea de re bello, concurrentibusque infestis signis Sereniss: Rege Sigismundo et Illustriss: Principe Alberto Magno Magistro, quantae vastitate utraque terra affecta sit, ostendunt ipsae ruinae et calamitas miserorum. Sunt vastati agri, abducti coloni, effusus sanguis christianus, vim passae mulieres, stupratae virgines, prophanatae Sacrae aedes, praeterea alia scelera et bellorum incommoda perpetrata quae etiam audire, nedum fieri in populo christiano mens horret. Cujus belli immanitate moti, et miserorum fortunam miserti, Summus Pontifex, Sacratiss: Caesarea Majestas, Sereniss: Hungariae Bohemiaeque Rex ad inducias quadriennales utramque partem pijs rationibus flexerunt, eo proposito, ut quadriennio illo induciarum, veterem discordiam omnino tollerent, et pacem firmam inter nos finitimas gentes componerent. Erat spes bona nobis, fore, ut aliquando concordia pro discordia veniret. Caeterum cum christianus orbis undique bellorum tumultu varijsque perturbationibus vexaretur, factum est, ut tam pium consilium tantorum rectorum Rerumpublic: de concordia statuenda impediretur, quandoquidem quadriennium induciarum irritum abiit, ut ejus fine pro pace bellum videretur renasci: quod sane ita erat in manifesto, ut aut ipsum nova cum calamitate christianorum fuisset suscipiendum, aut in contractum Thoruniensem cui titulus est perpetuae pacis, conjurandum. Quando igitur versaremur inter duo ejusmodi pericula, ut aut arma patriae nostrae intoleranda deinceps forent capessenda, aut necesse esset consentire in concordiam et praedictum contractum perpetuae pacis, nec in aliam partem se flecti permetteret Sereniss: Rex Polon: et inclytum ejus Regnum: respexit Deus propitijs oculis in pias preces calamitate afflicti populi, deditque ex improvise pios ac prudentes pacis per alium modum procuratores Illustris: Principes et Dominos D. Georgium Marchionem Brandenburg. etc. et D. Fridericum Ducem Legnicen: etc. quos vetus discordia et periculum redeuntis belli non minus movit, quam si eorum res ageretur, quum sint utriusque partium sanguine et affinitate conjunctissimi. Hi Divina inspiratione invenerunt articulos transactionis et pacis cum justos, tum christianos. Qui si bona fide custodiantur, non erit amplius timor de periculo renascituri belli.

Imprimis autem sua providentia curarunt, quo restingeretur fons unde hactenus tot mala fluxerunt, scilicet ut habeat Terra Prussiae Principem haereditarium, qui justis de causis Superiorem recognoscat Serenissimum Regem Poloniae et inclytum ejus Regnum. Quandoquidem certis jam indicis et argumentis haud fallacibus jam tandem evidenter cognovimus, fundum et

441

solum Terrae Prussiae intra fines limites, et circulo ditionis inclyti Regni Poloniae contineri et concludi. Quando autem nihil potius esse debet christianis pectoribus, quam cum omnibus, si fieri possit inprimis vero cum vicinis in pace et tranquillitate vivere, quam nobis Magister noster Christus et ejus discipuli tanta cura et studio commendarunt. Volentes accurrimus, ad per tam pios Principes oblatas pacis condiciones, qua hactenus indigni usi sumus, et nunc Divina comiseratione donamur: idque eo libentius fecimus, quod nos ad eandem transactionem amplectendam Clarissimus Vir Dominus Joannes Statilius Praepositus Vesprimien. Secretarius et Orator Domini Ludovici Regis Hungariae et Bohemiae, Regis Domini nostri gratiosissimi adhortabatur duplici nomine, tum quod ad percutiendum foedus pacis missus esset, tum quod propositi articuli transactionis justae christianiani, a praefato Sereniss. Regis judicarentur, qui ceu alter summorum arbitrorum concordiae statuendae in quadriennialibus inducijs nihil aequae ad se pertinere affirmavit, quam vel in ipsis inducijs, vel post finem earum inter Principes utrinque sibi conjunctissimos et populos vicinos pacem procurare. Ideo consensimus et consentimus in transactionem et concordiam inter Serenissimum Dominum Sigismundum Regem, et inclytum Regnum Polon. ex una, et Illustriss. Principem Dominum Albertum Marchionem Brandenburgensem. etc. Haeredes et Successores ex altera partibus, super feudo, juribus et proprietate praedictae Terrae Prussiae, ac alijs punctis, articulisque per praefatos Illustr. Principes Dominum Georgium Marchionem etc. et Fridericum Ducem Legnicensem. pacis mediatorum anno 1525 die 9 Aprilis Cracoviae ad nostram petitionem et placitum conceptam et confectam, ipsamque in omnibus punctis et articulis, perinde ac si inserta hic esset nostro constituentium, haeredum et successorum nomine laudamus, approbamus, et cum magna hilaritate animique gratitudine suscipimus et amplectimur, pro nobis praefatis constituentibus haeredibus et successoribus nostris, sincera et christiana fide, et sub honore nostro, necnon jurisjurando Sacramento firmiter et constanter promittentes et efficaciter nos obligantes, quod concordiam, transactionemque ut praefertur, in omnibus et singulis articulis et conditionibus fideliter et irrevocabiliter sine fraude et dolo, ratam et gratam habere et perpetuo observare, nec unquam per nos, aut submissas personas quovis praetextu sive colore, publice vel occulto ipsi contravenire volumus nec debemus. Renunciantes praeterea omnibus et singulis juribus et privilegijs, et exceptionibus quibus eandem concordiam impugnare et infringere possemus. Porro si Illustris: Princeps Dominus Albertus Marchio Brandenburgensis: etc. in Prussia Princeps, quem de voluntate praefati Sereniss: Regis Poloniae Sigismundi in haereditarium Dominum suscepimus et praesentibus suscipimus: necnon Illu-

stritatis suae veri et legitimi feudi haeredes masculi et subinde Illustriss: Principes Domini, Georgius, Casimirus, Joannes una cum omnibus suis legitimis feudi haeredibus e vita migraverint, et praefata Terra Prussiae ipsis in feudum concessa juxta inscriptionem praedictae transactionis ad Sereniss: Reges et Regnum Polon: devoluta fuerit: quod nos Sereniss: Regibus eisdem et Regno Polon: cui nos unanimiter, sponte, et ex certa scientia una cum praedicto Principe nostro tanquam superiori domino subjecimus et exnunc subijcimus, nec cuiquam alteri adhaerebimus, obediemus et subjecti erimus, sed eosdem Sereniss: Reges et inclytum Regnum pro dominis nostris quoad utile et directum Dominium, merum et mixtum imperium in perpetua subjectione profitebimur et recognoscemus: salvis tamen semper manentibus omnibus et singulis transactionis articulis, quibus in hoc casu Terrae Prussiae cautum est. In quorum omnium fidem et robur nos superscripti Oratores nomine constituentium et nostro has literas sigillorum nostrorum appensione munivimus. Datum Cracoviae die 9 April: quae erat Dominica Palmarum anno Domini 1525.

REX SIGISMUNDUS

TERRAS PRUSSIAE DAT IN FEUDUM.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, necnon Terrarum Cracoviae, etc. Dominus et haeres. Universis et singulis, praesentibus et futuris harum seriem inspecturis, manifestum facimus: quia, cum olim multae et graves controversiae, multaque et Reipublicae Christianae perniciosissima bella gesta fuissent inter Praedecessores nostros Reges Poloniae, ac Magistros et Ordinem dictum Sanctae Mariae Theutonicorum, super proprietate in Terris Prussiae, Regibus et Regno Poloniae jus summum haereditarium pro virili tuentibus, Magistris vero ac ordine suis veris ac legitimis haeredibus et dominis parere recusantibus, atque ijs tantis controversijs tantisque bellis eo res deducta fuisset, ut Divino favore iustitiae Regni nostri optulante et pax confecta, et Magistri ac Ordo, totaque ipsorum ditio in subjectionem et homagium Regibus et Regno Poloniae devonisset, idque longissimo tempore tentum et observatum esset; successu vero temporis novae controversiae de ipsa proprietate, ac demum bellum inter Nos, Regnumque nostrum, et Illustrem Dominum Albertum Marchionem Brandenburgensem Magistrum generalem, ac Ordinem ejus suscitatum esset, cum maximo Reipublicae Christianae incommodo et detrimento; proinde Summi Pontifices, videlicet, Leo Decimus, Adrianus Sextus, et modernus Clemens Septimus, demum in-

443

victissimus Carolus Romanorum Imperator et Hispaniae Rex catholicus, necnon Serenissimus Nepos noster Dominus Ludovicus Hungariae et Bohemiae Rex, ac plerique Germaniae Principes summo studio apud Nos egissent de concordia et pace componenda. Quae denique concordia cum medio Illustrium Principum Dominorum, Georgij Marchionis Brandenburgensis in Silesia Ratiboriensis: Jagendorff, in Prussia Stettinen: Pomeraniae, Cassubarum, Sclavorum, etc. Ducis Principis Rugiae ac Burgrabij Nurembergen: et Friderici Ducis Legnicensis et Brigenensis et Capitanei Inferioris Silesiae tractata et conclusa esset, venissetque ad Nos ipse Illustris Dominus Albertus Marchio Brandenburgensis, et Magister Generalis cum nonnullis membris Ordinis et subditis suis plenam et omnimodam facultatem ab Ordine et universis subditis ejus habentibus, se Nobis, uti vero et legitimo haeredi et domino suo, ac Terrarum omnium Prussiae subijcientibus, ac casum Terras sibi in feudum dari enixe, et suppliciter, primum ejus Consiliarij Proceres et subditi demum ipse Illustris: Dominus Albertus Marchio a Nobis petivissent: declarans se Nobis et Reipublicae Regni nostri hoc pacto magis ex usu fieri posse, pacemque firmiter futuram. Nos rationem habentes inprimis utilitatis ipsius Reipublicae christianae, quae in tanta infidelium tempestate, non nisi pace et concordia inter se christianorum Principum servari potest, demum obaudire nolentes, ut postulata Sanctissimi Domini nostri Papae, Caesareaeque et Catholicae Majestatis ac Serenissimi Domini Nepotis nostri Domini Ludovici Hungariae et Bohemiae Regis, aliorumque Principum Christianorum, qui hactenus omni conatu hanc differentiam et bellum sistere et componere inter Nos studuerunt, ac denique gratificari et commodare volentes dicto Illustri Principi Domino Alberto Marchioni Brandenburgensi: uti Nepoti nostro ex sorore charissimo, ejusque domui de Onspach annuimus, non gravati precibus ejus Illustritatis et subditorum ipsius, illique et ejus veris masculini generis et legitimis feudi haeredibus ex lumbis ejus procedentibus, terras, civitates, et oppida et arces infrascriptas, in perpetuum et indivisum feudum dedimus et concessimus et ipsum de illis per vexilli nostri traditionem investivimus, harumque serie literarum damus et concedimus: videlicet, arcem Kenigsberg cum tribus civitatibus: item arces et oppida Lochstete, Vargen, Girmaw, Pubetten, Rudaw, etc. ut in praecedentibus concordiae literis sunt descripta, cum omnibus et singulis subditis, vasallis, fructibus, dominijs, superioritatibus, libertatibus et juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, mansis, curijs, molendinis, molendinorum locis, censibus, vectigalibus, redditibus, teloneis, servitijs, feudis spiritalibus et saecularibus, lacubus, fluminibus, piscationibus, aquis, aquarum decursibus, ferarum lustris, ferarum meatibus, venationibus, sylvis, nemoribus, pascuis,

444

pratis, actibus etiam, cum omnibus metallis, quae modo sunt, seu in futuro fieri possunt, auro, argento, cupro, stanno, plumbo, salinis supra et subtus terram, similiter una cum omnibus et singulis eminentijs, juribus et pertinentijs universis, nullis exceptis: sicuti ejusmodi terras priores Magistri generales et idem Ordo habuere et usque ad praesens novissimum bellum gestum usu et fructu tenuerunt, in posterum perpetue et haereditarie incommune et indivisum feudum tenendum, habendum, fruendum, utendum et possidendum. Ubi vero ipse Illustrissimus Albertus Marchio et Dux in Prussia sine legitimis masculis feudi haeredibus, vel ejus legitimi masculi feudi haeredes non relicta prole virili deficerent; extunc supradictae Terrae, civitates et oppida et arces, in omni forma et modo, quemadmodum eas supradictas Illustris Albertus Marchio habuit, ad Illustrem Principem Dominum Georgium Marchionem Brandenburgensem: et ipsius legitimos sexus masculini feudi haeredes venire et devolvi debent. Si vero etiam Marchio Georgius sine legitimis feudi haeredibus masculis, vel ejus haeredes post ejus obitum sine legitimis masculi generis legitimis feudi haeredibus ex humanis decederent, dictae terrae, civitates, oppida et arces, ad Illustrem Principem Dominum Casimirum et ejus masculos feudi haeredes derivari ac devolvi debent. Si autem praedictus Marchio Casimirus sine prole mascula feudi haerede decederet, aut ejus feudi haeredes post ipsius mortem liberos masculos feudi haeredes post se non relinquerent, tunc nominatae terrae, civitates, oppida, et arces in Prussia ad Illustrem Principem Dominum Joannem Marchionem Brandenburgensem: et ejus veros legitimos masculini generis feudi haeredes devolvi debent: ita quod dictae terrae, civitates, oppida, et arces, ubi Divina ordinatione hujusmodi casus futuris temporibus accideret, de fratre in fratrem praedictos, et eorum legitimos feudi haeredes masculos cedant, et devolvantur, sine nostro haeredumque nostrorum et Successorum Regum, ac Regni nostri Poloniae impedimento. Ita tamen cum et quoties se obtulerit ejusmodi casus devolutionis de uno in alterum, praedictos fratres et eorum legitimos feudi haeredes masculos, debebunt illi, et quisque eorum debet Nobis et Successoribus nostris Regibus ac Regno Poloniae infra tempus debitum ac legitimum debitam subjectionem et feudi obligationem ac homagium praestare. Quod si praedicti quatuor fratres de domo Onspach, Divina voluntate sic disponente, sine mascula prole feudi haerede legitima ex lumbis eorum ordine superscripto procedente, aut eorum hujusmodi proles similiter sine masculo feudi haerede legitimo, ex lumbis eorum procedente decederet, tunc omnes et singulae terrae, civitates, oppida, bona, et arces superscriptae ad Nos, Successoresque nostros Reges et Regnum Poloniae sine omni impedimento ac contradictione devolvi ac redire debent.

445

446 Debebit item ipse Illustrissimus Dominus Albertus Marchio et Dux in Prussia ejusque praenominati successores et feudi haeredes pro hac nostra in se beneficentia Nobis et Regno nostro tale obsequium praestare, quod ubi ratione hujus concordiae et concessionis feudi a quocunque ejusvis eminentiae et conditionis Principe seu potentatu impeteretur aut Successores nostri impeterentur; tenebitur ipse Illustris Dominus Albertus Marchio, aut ejus praedicti successores Duces in Prussia, in propria persona Nobis et Regno nostro ubique una cum omnibus suis subditis, et pro summis viribus suis adesse. Quod vicissim Nos et Successores nostri Reges ac Regnum Poloniae in eodem casu facere debemus et debentur.

Ubi autem contingeret, quod Nos vel Successores nostri Reges et Regnum Poloniae, altera quavis ex causa tam ab infidelibus quam a quocunque alio hoste impeteretur, et ipsi in persona propria ad bellum cum subditis nostris proficisceremur, aut Successores nostri proficiscerentur; debebit Illus. Dominus Albertus Marchio et Dux in Prussia, aut ejus praenominati successores, Duces in Prussia, Nobiscum cum centum equitibus armatis proficisci, et intra limites Terrarum Prussiae Nobis servire. Quodsi educere extra terminos Prussiae illum aut ejus successores nostri vellemus, extunc ad eosdem centum equites stipendium tale praebere, quale dari aliis nostris mercenariis equitibus est solitum, tenebimur. Ubi vero Nos vel Successores nostri vellemus ipsum Dominum Albertum Marchionem, aut ejus nominatos posteros, Nobis et Successoribus nostris majori comitatu servire, debemus Nos et Successores nostri ijs omnibus militibus, quos ultra centum praedictos conducere posset, mox post egressum a domibus ipsorum stipendium, quod nostris militibus dabitur, illis, quamdiu servierint, persolvere: si autem plures, quam centum praedictos equites ipse Illus. Dominus Albertus Marchio, aut ejus successores Duces in Prussia, educere non possent, non debemus Nos, aut Successores nostri, ab illo et ejus posteris Ducibus in Prussia, plura, exigere.

Praeterea non debebit ipse Illustris Dominus Albertus Marchio, et ejus nominati feudi haeredes successores Duces in Prussia, quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus, et bonis praedictis vendere. Verum si ad hoc illum et ejus successores ingens urgeret necessitas: tenebitur Nobis et Successoribus nostris tanquam dominis suis haereditariis ante omnia denunciare. Quodsi Nos ipsi emere non curaverimus, aut Haeredes et Successores nostri non curaverint, in hoc casu ipse Dominus Albertus Marchio, et Dux in Prussia aut ejus legitimi feudi haeredes seu Successores, cuicumque voluerint vel potuerint, liberam vendendi habebunt facultatem. Regalibus tamen nostris feudi et obsequiorum juribus semper salvis remanentibus.

Poterit etiam ipse Dominus Dux in Prussia

et ejus feudi haeredes, ubi eos necessitas urgens premeret, ex bonis suis praedictis quantum opus foret, impignorare suis duntaxat subditis et vassallis, ut eadem bona unita et indivisa permanent. Quae etiam omnia et singula suprascripta, et quaecunque alia quae vassallis et feudalis Princeps erga suum naturalem Dominum haereditarium et Superiorem Dominum praestare ac observare tenetur: debebit ipse Illustris Dominus Albertus Marchio et Dux in Prussia, ac ejus feudi haeredes legitimi successores firmiter et inviolabiter adimplere. Nosque vicissim illum et Successores ejus omni gratia et favore Regio complecti, ac illos in juribus et immunitatibus ipsorum ac conservare pro Nobis et Successoribus nostris Regibus et Regno Poloniae pollicemur. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium, sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Cracoviae, feria secunda post Dominicam Palmarum. Anno Domini, 1525. Regni vero nostri, anno 19. Praesentibus, etc.

REX

DABIT ALBERTO DUCI PRUSSIAE QUATUOR MILLA FLORENORUM.

447 Sigismundus etc. Significamus tenore praesentium universis: quia cum Divino favore Illustris Princeps Dominus Albertus Marchio Brandenburgensis: ac in Prussia Stetinen: Pomeraniae, Cassubarum, Sclavorum, etc. Dux, Burgrabius Nurembergen: et Princeps Rugiae, Nepos noster charissimus, post controversiam, ad quam Nobiscum devenerat, tandem ad Nos veniens medio Illustrium Principum Minorum Georgij Marchionis fratris germani ac Fiderici Ducis Legnicen: sororii sui, se Nobis reconciliaverit, magnaque ac evidentia testimonia et indicia de sua erga Nos fide ac propensione exhibuerit, volentes ejus Illustritatem in Terris Prussiae quas illi in feudum dedimus, et quae bellica saevicia magnum detrimentum sunt passae, relevare, ac illum Nobis et Regno nostro majori beneficentia devincere, dandum et donandum illi duximus annuum stipendium, quatuor millium florenorum Rinensium in auro, vel pro singulis aureis 28 grossos integros monetae et numeri Regni nostri praesentis, harumque serie literarum damus, donamus, et assignamus, qui ad terminos vitae Illustritatis suae per Nos et Successores nostros quotannis solventur. Ita videlicet quod primam ratam anni hujus solvere debemus ad festum S. Michaelis proxime futurum, alteram vero ratam ad festa Paschae anni Domini 1527 et deinceps singulis annis sequentibus ad festa Paschae dictam summam quatuor millium flor: Rinensium solvere Nos et Successores nostros Reges Poloniae submisimus, et praesentibus submittimus, ac obligamus, promittentes in verbo nostro Regio pro Nobis et Successoribus nostris Regibus Poloniarum quod eam

448 donationem et firmam habebimus, et illi semper quoad sua Illustritas vixerit satisfacimus, et Successores nostri Reges Poloniae satisficient. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est praesentibus appensum. Datum Cracoviae feria 4 post Dominicam Palmarum, quae fuit 12 Aprilis 1525. Regni nostri 19.

DECRETUM

DUCIS JANUSSII CONTRA DISSIDENTES 1525.

Actum Varsaviae feria quinta ante Dominicam Oculi Conventionem continuando proxima, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto. In praesentia Illustrissimi Domini D. Janussii, Dei gratia Ducis Mazoviae, Russiae etc. necnon Magnificorum, Venerabilium, et Generosorum

Felicis Brzeski Palatini Mazoviae, Capitanei Ciechanoviensis, Laurentij de Prazmowo Cernensis, Joannis Loski de Wola Chynowska Visnensis, Petri Kopytkowski Varsaviensis, Alexij de Lubki Wysogrodensis, Joannis de Krysko Zakrocymensis, Joannis de Obory Ciechanoviensis, Michaelis de Zaliwie Livensis Castellatorum. Nicolai Zukowski Praepositi ecclesiae Collegiatae Varsaviensis, et Ducatus Mazoviae Succamerarij, Pauli de Trąbki Archidiaconi ejusdem ecclesiae Collegiatae Varsaviensis, Thomae Sokolowski Decretorum Doctoris et Custodis, Stanislai de Strzelce Scholastici, Pauli de Popielzino Canoniceorum ejusdem ecclesiae Collegiatae Varsaviensis, Bartholomaei Radziwiłłski de Miastkowo Czernensis, Budek de Naqasino Wysogrodensis, Erasmi de Kobelniki Ciechanoviensis, Joannis de Oyrzanowo Livensis, Pincernarum, Seraphini de Obory de Zalesie Czernensis, Nicolai Wierzbicka Varsaviensis, Petri de Kuchari Wysogrodensis, Varsaviensis, Stanislai de Woystowice Livensis, Jacobi de Ielenica Nurensis, Andrae Kiesielnicki de Bogusice Lomzensis Judicum. Nicolai Oborski de Łęceszyce Czernensis, Stephani de Wodynio Varsaviensis, Adriani de Golymino Wysogrodensis, Joannis Ciszkowski Zakrocymensis, Joannis Wilicki, Ciechanoviensis, Christiani de Cubra Visnensis, Vexilliferorum; Jacobi Głoskowski Czernensis, Stanislai Kownacki Visnensis, Petri Targoma Zakrocymensis, Pauli Brzeski Ciechanoviensis Succamerariorum. Nicolai de Runowo Czernensis, Jacobi de Koźniewo Wysogrodensis, Martini de Czernidla Zakrocymensis, Dapiferorum. Joannis de Niwiska Czernensis, Pauli Pniewski Zakrocymensis Thesaurariorum. Gregorii Uliniecki Czernensis Pincernae, Sciborij de Młacz Czernensis, Mathiae Swiderski Visnensis, Mathiae de Swięcice Varsaviensis, Alexii Cybulski Wysogrodensis, Michaelis de Czernice Ciechanoviensis, Sciborii de Michałowo Nurensis, Subjudicum

et aliorum fide dignorum. Illustrissimus Dominus Princeps, cum toto Consilio suo, ab omnibus subditis suis penitus eradicari, et ne hoc falso errore et dogmate, subditi sui a fide orthodoxa et Sancto ritu Romanae ecclesiae seducantur ex officio suo et auctoritate Ducali ut verus christianae religionis, et fidei Princeps, providere tempestive cupiens, ita decrevit, constituit et conclusit. Ut nullus in toto Ducatu Mazoviae, tam in civitatibus, oppidis, quam eorum in villis, cuicumque conditionis et status existat, praesertim in civitate Varsaviensi libros et falsam doctrinam Lutheri in quocunque ser-

449 mone, sive Latino, sive Alemanico, aut quovis alio, tenere apud se, et in domibus suis habere, legere, ac ipsum falsum dogma Lutheranorum profiteri, sectam portare, tueri, et alijs eandem persvadere praesumat. Ita tamen, ut quicumque de hac secta legitime convictus et probatus fuerit, talis vita privari debeat, et bona ejus omnia quaecunque habet, mobilia et immobilia confiscari et ad thesaurum Ducalem recipi debeant. Quod decretum Dominus Dux mandavit, in omnibus Districtibus et Capitaneatibus publicari, et diligenter per omnes Officiales exequi.

CONCORDATA

REGNI POLONIAE CUM CLEMENTE VII PAPA.

Cum singularem fidei constantiam et integritatem, ac eximiam devotionis affectum, quibus charissimus in Christo Filius noster Sigismundus Poloniae Rex Illustris, in nostro et Apostolicae Sedis conspectu semper claruit et continuo claret, paterna meditatione revolvimus, dignum atque debitum censemus, ut quae ejus consideratione ab eadem Sede provide processerunt, prompta benevolentia nostra muniminis praesidio solidemus, et ut sublato quovis ambiguitatis dispendio, in sui roboris integritate serventur et per amplius fructuosa reddantur, nostri officij partes favorabiliter extendamus. Dndum siquidem per felicis recordationis Leonem Papam X Praedecessorem nostrum accepto, quod licet diversae alternativarum literae, diversis Ordinarijs in Regno Poloniae a Sede praediota emanatae fuissent, dictusque Praedecessor per diversas constitutiones suas, Praelatis et alijs personis ecclesiasticis, ad quas dignitatum et aliorum beneficiorum collatio, provisio, praesentatio, electio, seu alia quaevis dispositio pertinebat, et de quibusvis dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs, canonicatibus et praebendis, necnon alijs beneficijs ecclesiasticis cum cura et sine cura, saecularibus et regularibus, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, quae certis tunc expressis mensibus vacare contingeret, ac si a Sede praefata, vel Legatis ejus, expectativae gratiae, aut super illis speciales, vel generales conservaciones non emanassent, ordinaria auctoritate libere disponere possent concessisset, ac ex tunc quidquid secus super ijs, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari, irritum et inane decrevisset, nihilominus nonnulli speciales vel generales reservationes, et alias gratias in dicto Regno cum derogatione et suspensione literarum alternativarum, et constitutionum praedictarum, et alias extorserant, et in dies extorquere nitebantur, quo fiebat, ut ordinarij Collatores hujusmodi Regni, qui Reipublicae ipsius Regni Consiliarij existebant, et diversa onera sustinebant, quo minus eorum or-

dinaria autoritate super ijs uti, vel juxta alternativas et constitutiones praedictas de beneficijs ad eorum dispositionem pertinentibus, personis idoneis et benemeritis providere possent, impediuntur, in eorum et Reipubl: Regni hujusmodi praejudicium et detrimentum non modicum dictus praedecessor, motu proprio ex certa scientia, necnon consideratione praefati Sigismundi Regis tam in Lateranensi Concilio novissime celebrato, quam alias quascunque constitutiones suas in favorem Ordinariorum editas cum irritantibus et alijs in eis contentis decretis et clausulis innovando, per suas literas perpetuo statuit et ordinavit, ac decrevit, quod nulla beneficia ecclesiastica cum cura, vel sine cura saecularia vel regularia, cujuscunque qualitatis forent, in dicto Regno consistentia, in mensibus, ordinarijs Collatoribus per constitutiones alternativas, aut constitutiones praedictas concessis, pro tempore vacantia, sub quibuscunque specialibus, vel generalibus reservationibus unionibus, expectativis, et alijs gratijs, mandatis, et indultis, quocunque nomine censerentur, et quascunque clausulas etiam derogatorias derogatorias, et alternativas et constitutionibus praedictis, necnon literis Praedecessoris hujusmodi expresse derogantibus, continentibus, etiam Cardinalibus, ac suis, ac pro tempore existentis Romani Pontificis, etiam antiquis et descriptis familiaribus, et alijs cujuscunque dignitatis, status, gradus vel conditionis existentibus, per eundem Praedecessorem, et Sedem praedictam, pro tempore concessis et concedendis minime comprehenderentur, nec comprehendi, aut illa minime acceptari possent, seu deberent; sed dicti ordinarij Collatores, cum illis (dummodo dispositioni Apostolicae generaliter reservata et affecta non existerent) juxta facultatem eis per alternativas et constitutiones praedictas concessam, ordinaria autoritate disponere possent; perinde acsi reservationes, uniones, expectativae, et aliae gratiae, mandata et indulta, cum ejusmodi derogationibus nullatenus emanassent, aut in posterum emanarent, ac nonnulla alia tunc expresse decrevit, prout in ijsdem literis plenius continetur. Cum autem sicut accepimus a nonnullis haesitari posset, an beneficia consistentia in Regno hujusmodi, in dictis mensibus, ordinarijs Collatoribus concessis, pro tempore vacantia sub coadjutorijs ac regressibus, et accessibus, etiam de consensu ipsorum beneficiorum Possessorum, pro tempore concessis, comprehensa censeantur, et comprehendi possunt? Nos ne literae Leonis Praedecessoris hujusmodi ordinarijs ejusdem Collatoribus quoad hoc minus utiles reddantur, sed sumpto hujusmodi haesitationis obstaculo, votivum sortiantur effectum, providere volentes, motu simili non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia, necnon intuitu ejusdem Sigismundi Regis literas Leonis Praedecessoris hujusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis,

autoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus, et innovamus, ac robur perpetuae firmitatis obtinere decernimus. Et ad hoc, ut beneficia praedicta in dicto Regno consistentia, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates etiam majores post Pontificales et Principales, personatus, administrationes vel officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis ecclesijs, et ex quavis causa, etiam ratione familiaritatis continuae commensalitatibus nostrae, ac etiam alicujus Cardinalis viventis, cujus consensus requiri deberet, generaliter reservata fuerint, in sex mensibus, videlicet Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris, et Decembris, ordinarijs per literas alternativas, aut quaevis privilegia et indulta Apostolica, ut praefertur concessa et concedenda pro tempore vacantia, sub ejusmodi coadjutorijs, coadjutorum deputationibus, ac regressibus et accessibus, per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem ad Sedem eandem, etiam de consensu possessorum beneficiorum eorundem sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum praedictis et quibusvis alijs clausulis et decretis pro tempore concessis, minime comprehendi, nec comprehensa censerentur, seipsos ordinarios Collatores de illis in eisdem Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris et Decembris mensibus hujusmodi coadjutorijs, ac regressibus, ingressibus et accessibus non obstantibus, etiam ipsa beneficia in Romana Curia, vel extra eam litigiosa existant, dummodo lis super illis mota, seu pendens, vera et legitime introducta non fuerit; perinde acsi coadjutoriae, regressus et accessus hujusmodi concessi, et illa litigiosa non existerent libere providere, ac alias disponere possint, quodque omnes et singulae coadjutoriae regressus et accessus, etiamsi de consensu possessorum beneficiorum hujusmodi, aut etiam cum derogatione Leonis Praedecessoris hujusmodi, et praesentium literarum, ac alternativarum etiam constitutionum praedictarum pro tempore concessis, nisi etiam ipsius Sigismundi et pro tempore existentis Poloniae Regis, et Loci ordinarij, ac Capituli illius ecclesiae in qua beneficium hujusmodi fuerit, ad id expressus accesserit assensus, nullius roboris, vel momenti existant, autoritate et tenore praedictis extendimus et ampliamus, ac quod dicti sex menses, Februarij, Aprilis, Junij, Augustus, October, December perpetuo futuris temporibus, ordinarijs collatoribus Regni hujusmodi concessi, et reliqui sex menses, dictae Sedi et pro tempore existentis Romano Pontifici reservati existant, et esse censeantur. Quodque et Leonis Praedecessoris hujusmodi, ac praesentes literae, sub quibuscunque renovationibus generalibus, vel specialibus, ac Cancellariae Apostolicae Regularis, hactenus etiam per pia memoriae Adrianum Papam VI similiter Praedecessorem nostrum editis, minime comprehensae fuerint, nec sint, neque comprehensae fuisse, aut esse censerentur, nec in genere vel in specie revocari, suspendi, vel

alias quomodolibet alterari possint, semper validae et efficaces existant, perinde acsi hujusmodi revocationes, constitutiones et regulae, etiam per nos non emanassent, nec in posterum per Romanum Pontificem pro tempore existentem, et Sedem eandem emanarent, ac vim validi pacti, et contractus, ac statuti inter nos et Sedem praedictam, ac dictos ordinarios Collatores initi et jurati habeant: collationesque per nos et Romanum Pontificem, in dictis mensibus, ordinarijs concessis hujusmodi pro tempore factas nullas et invalidas, nulliusque roboris, vel momenti existere, ac eisdem Leonis Praedecessoris praefati, et praesentibus literis, necnon in eis contentis per generalem non obstantibus literis alternativarum et indultis, ordinarijs collatoribus Regni praedicti super conferendis beneficijs ecclesiasticis, in mensibus alternatis pro tempore vacantibus, concessis, aut quascunque alias speciales vel generales, etiam derogatorias derogatorias, et efficaciores et insolitas clausulas pro tempore concessas, nullatenus derogari posse, nec derogatum censerentur, nisi in supplicatione desuper nostra, et pro tempore existentis Romani Pontificis manu signata, de singulis literis hujusmodi, et aliarum datae, ac Pontificatus et causae, propter quam illis derogatur, specialis, specifica, individua et expressa mentio facta fuerit, et aliter factae derogationes nemini suffragentur, et quoties praesentibus derogari contigerit, toties illorum revelatio de novo, et sub quacunque data per Regem et ordinarios praefatos et illos, de quorum interesse ageretur eligenda expediri possit. Et sic et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscunque Iudices et Commissarios, quavis autoritate fungentes, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi, facultate et autoritate iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam etiam per nos quavis autoritate contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Mandantes Summistae pro tempore existenti, sub excommunicationis latae sententiae poena, ut literas revalidationis praesentium, sub data per interesse habentem eligenda, sive alia supplicatione, seu nostra ac Romani Pontificis pro tempore existentis licentia expediat, ad omnem interesse habentis requisitionem.

Quocirca Venerabil: Fratribus nostris, Archiepiscopis. Leopoliensi et Olomucensi, ac dilecto Filio Scholastico Cracoviensi per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium, aut alios, praesentes literas et in eis contenta quaecunque ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ordinariorum praedictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solenniter publicantes, eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant autoritate nostra praesentes literas, et in eis contenta quaecunque hujusmodi firmiter observari, ipsosque ordinarios collatores, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscunque contra

earundem literarum tenorem quomodolibet molestari, contradictores per censuram ecclesiasticam, autoritate nostra, appellatione Apostolica postposita, compescendo, non obstantibus etc. Nulli ergo etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1525. Calendis Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

PRIVILEGIUM

DUCI PRUSSIAE DATUM.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, necnon Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, totius Prussiae, Culmen: Elbingen: Pomeraniae etc. Dominus et Haeres. Manifestum facimus tenore praesentium. Quia licet quasdam Terras nostras haereditarias in Prussia Illustri Principi Domino Alberto, Domino Marchioni Brandenburgensi: et Duci in Prussia etc. iure feudali concessimus, in earumque possessione illum per Consiliarios nostros induci fecimus, et ejus concessionis, ac articulorum et conditionum inter Nos transactarum illi sufficientes nostras literas dedimus, in quibus praeter alia etiam immunitates illi a Nobis concessae sunt descriptae, tamen cum contractus cum illo per Nos factus vellet, ut si quidpiam in privilegijs illis contineretur, quae Nobis restituit, et quibus renuntiavit, quod huic ipsi contractui et transactioni non repugnaret, sed quod ipsi Duci ex Prussia et Terris ejus, occasione finium et aliorum jurium et privilegiorum necessarium esset, quod id Nos sub literis et sigillo nostro denuo concedendas duximus, et tenore praesentium concedimus, ita saepe, ut ipse Dux Albertus, similiter et haeres ejus terram concessam ab omni exactione et servitio, exceptis his quae nominatim in contractu concordiae expressa sunt, liberam teneat ac immunem, et coram nullo alio, si ratione ipsius Terrae impeteretur, quam coram Nobis, aut Successoribus nostris Regibus Poloniae respondere teneatur, atque ut liceat eidem una et haeredibus suis per totam Terram nunc concessam, ad commodum suum passagiam et teloneam ordinare, secundum contractus praescriptum, nundinas et fora statuere, monetam cudere pro contractu formula. Talia et alia jura taxare, directuras per terram in fluminibus et in mari, sicut utile visum fuerit stabilire, denique jurisdictionem potestatemque illam habeat et exerceat in Terris suis, quam aliquis princeps Regni nostri melius habere dinoscitur in Terra quam habet. Quatenus autem initae concordiae et contractui non adversetur, ut bonos usus et consuetudines ponat, assisias faciat, et statuta quibus omnes ejus subditi pace tranquilla gaudeant et utantur. Postremo concedenda etiam

duximus et concedimus tenore praesentium ejus Illustritati, atque nobilibus suis omnibus libertatem ducendi et transvehendi per Regnum et dominia nostra, terra vel aqua, omnes et singulas res quaecunque ad usum et necessitatem propriam ejus Illustritatis atque eorundem nobilium, non autem ad mercaturam exercendam, opportuna et necessaria fore videbuntur, et his pariter omnibus, qui ex alienis Provincijs commigrare vellent, in terram et ditiones ejus Illustritatis, equestris duntaxat conditionis seu nobilibus; liberam damus res omnes illorum proprias secum transferendi per Regnum et dominia nostra, absque solutione cujuslibet telonei, et citra ullum impedimentum, facultatem et praerogativam. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est praesentibus appensum. Actum et datum in civitate nostra Marienburgensi Sabbatho proximo ante festum SS. Trinitatis, anno D. 1526 Regni vero nostri anno 20 ut supra in literis feudalibus Ducis Pomeraniae.

ORDINATIO

CIVITATIS GEDANENSIS.

Manifestum facimus universis et singulis: quia cum accepissemus, in civitate nostra Gedanen: primum factiones intestinas, deinde seditiones et tumultus populares excitatos, ac ingentia facinora commissa: dogmata et religionem damnatam invectam, Deum ac Sanctos blasphematos; Tempia spoliata: Ordinem Ecclesiasticum abactum, jurisdictionem omnem DD. Episcopi loci ordinarij explosam: Sacra omnia profanata: proceres Praefectum et Officiale nostrum ejectum: Consules exauctoratos, Regimen civitatis inversum; Nuntios et mandata nostra contempta: adversus Proceres et Consules nostros primarios, quos ad disponendam ipsam civitatem in adventum nostri praemisseramus, tumultum et insidias esse structas: et alia nefanda perpetrata. Ac proinde volentes Nos in tantos excessus laesae Majestatis Divinae et nostrae, ut justum et christianum Principem decet, animadvertere; et ipsam civitatem nostram tam enormiter lapsam in pristinum statum restituere; venissemus huc ipsi omnibus arduis negotijs praetermissis, eaque omnia, et plura his, quae fama didiceramus, facta comperissemus; cunctis tamen ordinibus civitatis errorem suum recognoscentibus, seseque in omnibus tam divinis quam humanis rebus in gratiam et potestatem nostram dedentibus, ac humiliter Nobis supplicantibus, ut culpam hanc sibi remittere, et civitatem a tanto praecipitio liberare dignaremur: visum fuit clementia nostra dignum, ut potius salutarem medicum, quam severum vindicem tantorum malorum ageremus; ut videlicet his quae noxia forent ejus corporis partim praecisis, partim vel longius ablegatis, reliqua membra opportunis remedijs curata ita consolidarem, ut rursus

in exitialem morbum recedere non possent: ac inprimis, Divino opitulante favore, religione Sancta Catholica, templis monasterijs, caeremonijs, jurisdictione Episcopi, ac omni Ordine, omnibusque rebus Divinis in pristinum statum restitutis: deinde creato Magistratu, accepto ab illo et universa communitate solenni homagio et juramento, refecto omni ordine civitatis, punitis alijs, alijs vero prout melius ex re videbitur proscriptis: denique omnibus restauratis, infrascripta mandata et constitutiones nostras ad ea omnia et singula, quae hic statuimus et ordinavimus, manutenenda, edidimus et promulgavimus.

Ac inprimis, quia traditiones ecclesiasticae, ut a majoribus nostris orthodoxis proditae sunt servari debent: quas si cuilibet expendere, mutare, vel abrogare, cuilibet scripturam pro sensu seu libidine sua interpretari liceret: nihil certi non in religione solum; sed in humanis quoque rebus, quae hoc freno diriguntur, haberi posset: ut jam obscurum non est, quos fructus edat novata religio; quas et quales normas et praecepta tradant ipsi arbitrato suo, qui, in ritus et instituta Ecclesiae Catholicae debacchantur. Statuimus, ut deinceps usus antiquus religionis et caeremoniarum, tot saeculis in omnibus Regnis et Dominijs christianis observatus, et a majoribus nostris per manus Nobis traditus, ac per Nos ut Principem Christianum decet, commode restitutus, diligenter in hac civitate et in omnibus ecclesijs observetur. Quem si quis vituperare, aut illi detrudere praesumpserit, debito modo convictus, puniatur. Cui autem juxta veterem religionem et normam universalis Ecclesiae, ac constitutiones nostras, vivere non placuerit; is intra duas hebdomadas post edictum publicum, civitate exire, et alio commigrare poterit, nunquam deinceps reversurus: alioqui ultra hunc terminum adversus constitutiones nostras vivens, supplicium capitis non evadet.

Statuimus item, ut omnes et singuli monachi, moniales, et sacerdotes apostatae, aliaeque personae sacris addictae, quae contra professionem suam, et contra fidem Deo praestitam, ad concubium et nuptias desciverunt, et prima vota irrita fecerunt, sectas et doctrinas ab Ecclesia Catholica damnatas profitentes, in scandalum et perturbationem Christi fidelium, et in dedecus Ordinis ecclesiastici, intra diem naturalem, seu viginti quatuor horas ab editis publice praesentibus constitutionibus nostris ex hac civitate discedant, et nunquam huc deinceps revertantur, sub poena ultimi supplicij.

Ne autem oves pastoribus suis legitimis orbatae nesciant, cujus vocem sequi debeant, statuimus, quod quilibet parochus in hac civitate, a termino sibi congrue praefixo, apud Ecclesiam suam resideat, officiumque et munia sua obeat. Qui vero idoneus non fuerit ad concionandum, et docendum populum, servare teneatur cum scientia et consensu Consulatus et Officialis Do-

mini Episcopi, Concionatorem doctrinae et vitae probatae: qui sincerum Dei verbum juxta sensum et intellectum Sanctorum Doctorum et Ecclesiae Catholicae, non juxta commenta et interpretationes apostatarum docebit. Qui autem ex plebanis secus fecerit, is per Dominum Episcopum legitime privetur, et alius a Patronis praesentatus sufficiatur.

Et quia nunc solent plerique temere sese ad concionandum ingerere, et praetextu tritici verbi Dei zizania seminare: statuimus, ut nullus deinceps intra et extra civitatem, quibuscunque in locis, tam Sacris et monasticis, quam etiam prophanis, tam publicis, quam privatis, et secretis docere, et concionari audeat, vel ad docendum et concionandum aliquem admittat, statuatur, et conducat, nisi cum scientia et examine de vita et doctrina ipsius Concionatoris, per Consulatam et Officiale Domini Episcopi debite facto: sub poena capitis, et bonorum omnium privatione.

Quia etiam nunc novi religionis censores, veteres orationes et cantica dudum recepta abrogant, et suas precandi formulas et cantilenas sacris ingerunt: statuimus, ut cuncta Officia Ecclesiastica, nempe Horae Canonicae et Missae, juxta veterem Ecclesiae Catholicae ritum et consuetudinem, in hac civitate et ecclesijs peragantur, et ut nullae deinceps orationes, antiphonae, responsoria, cantilena, et id genus insolita, dicantur seu canantur intra Divina, nisi quae ab Officiali Domini Episcopi consulatu fuerint approbata.

Quia item censores ipsi, aliorum cupiditatem et avaritiam insectantes, ipsimet vero a sacris quidem manus non abinent: statuimus, ut quisque vasa, ornamenta, suppellectilem, et alia, quaecunque in usum et ornamentum Sacrorum ecclesijs et monasterijs concessa abstulerit, imminuerit, aut ad usus alios temere converterit, ultimo supplicio, ut sacrilegus, puniatur.

Et ut in hoc depravato tempore ecclesiae suppellectilis tutius conservetur: praesertim ab apostatis, qui convasatis rebus sacris diffugere solent: statuimus, ut Consulatus ad quodlibet monasteriorum hujus civitatis duos probos cives designet, qui omnia clenodia aurea et argentea ecclesiae conscribant, et in scrinio seu loco tuto conservent, ad eaque unam clavem ipsi, et senior, sive Praefectus monasterij alteram habeat: nec nisi mutua scientia et congruis temporibus et festis illa exponant, ac ne pereant provideant: relictis nihilominus pro usu quotidiano et Missae sacrificio calicibus, quot opus fuerint, et alijs quae necessaria videbuntur.

Innitentes autem cum nostris prioribus tum etiam aliorum Regum et Principum christianorum edictis ac decretis, inhibemus, ne quis deinceps libros ab Ecclesia Catholica dissidentes et damnatos, necnon cantilenas, picturas inhonestas, libellos famosos, et alia id genus, quae vel religioni detrahunt, vel bonam famam cuiuspiam aspergunt, velat in hanc civitatem no-

stram, aut illis quoquomodo uti audeat: sub poena exilij, et omnium bonorum privatione. Porro quod ad res civiles attinet ne incendium per Nos extinctum, aliquis in posterum resuscitare queat: statuimus et districte praecipimus, ne quisquam sermones tales, ex quibus seditio et tumultus aliquis tam in personas ecclesiasticas, quam etiam Magistratum civitatis oriri possit, palam et occulte serere audeat: ne item quisquam civium mercatorum et incolarum ejusdem civitatis nostrae Gedanen. aliquid commercij habeat, quovis modo coram, vel per nuncios aut literas, seu etiam personas subdelegatas cum hominibus his, quos ob eorum seditiones et facinora ex ipsa civitate proscriptimus. Ubi vero quispiam ex proscriptis literas vel nuncium ad aliquem civem seu incolam ejusdem civitatis suo vel alterius nomine, aut quovis alio praetextu, miserit: nemo hujusmodi literas legere, aut nuncium audire praesumat; nisi re prius Consulatu declarata, et illo nuncio, et literis ipsis fideliter declaratis. Qui vero in his singulis excesserit, et legitimo testimonio convictus fuerit, poena capitis et bonorum omnium puniatur.

Insuper quilibet Nauclerus, qui in praesens est, aut crit in posterum, apud hanc civitatem, comparere teneatur cum domino et amicis suis coram Consulatu, et de se sufficiens testimonium praestare, quod probus fidelis, et constans homo sit, quodque nulla navi seu hominibus utetur, quos consideraverit civitati infideles aut intolerabiles esse. Ubi vero quempiam ex suae navis hominibus sic affectum cognoverit, talem quamprimum, sive hinc nave soluta redierit, seu aliunde appulerit, senatui deferet, qui in civitate nequaquam tolerari debet. Quodsi tum Dominus quam Nauclerus hujusmodi legem transgressi fuerint, sine ulla gratia, juxta arbitrium Senatus erunt mulctandi.

Statuimus etiam, quod quicumque deinceps in civem Gedanen: adscribi et suscipi voluerit is sufficiens, testimonio docere et probare debet, se libere natum, nullique addictum, seu mancipatum esse: et quod ante, ubicunque degebat, honeste, decenterque se gessit: quo testimonio praestito, suscipi quidem ad jus civile debet vel poterit; non tamen longius quam ad unum annum; ut interim, quibus moribus praeditus sit, et quam idoneus civitati fuerit, cognosci et probari possit. Quod si interea et deinceps omni tempore vel seditiosus, vel aliquibus alijs malis moribus praeditus videbitur, mox per Consulatam jure civili autoritate nostra Regia exuatur, et perpetuo de civitate pellatur.

Statuimus item, quod omnes magistri opifices quorumcunque artificum mechanicorum pro fide et juramento suo diligenter observent, ne quem famulum seu socium advenam suscipiant, et laboribus ac officijs suis adhibeant; donec prius talem novum famulum seu advenam Senatui exhibeant; ita ut coram illo juramentum praestet, quod per omne tempus, quo in hac civitate mo-

rabitur, probe, fideliter, et cum omni subjectione et obedientia, secundum nostras, ac etiam ipsius Consulatus ordinationes et statuta se geret, et conservabit. Si vero quis dictorum magistrorum et opificum secus fecerit, legitime convictus, per Consulatum omnino capitis poena puniatur.

Et quia seditiosorum est, in latebris primum artes et modos ad tumultum excitandum fabricare: statuimus, quod si tres, quatuorve, aut plures, virilis seu muliebris sexus, futuris temporibus, in domibus, templis, hortis, intra vel extra civitatem tales consultationes et tractatus conferrent, quae adversus statuta, decreta et edicta nostra tenderent, vel qui contra poenam seu multam hic per Nos factam et impositam, aut etiam contra communem civium pacem aliquid contenderent, aut quorsum vergerent: qui item hujusmodi conventicula intra et extra civitatem scientes admitterent, vel nuncium aliquem ad tales vel alios deferrent: si quis denique aliquem vel aliquos contra praemissa facientem vel facientes viderit, scieritve, et talem non patefaceret et declararet Senatui; si legitima probatione tam is, quam alii nostrae hujusmodi constitutionis transgressos convicti fuerint, supplicio capitis et bonorum amissione puniantur.

Denique ne quis voluntatis et statutorum nostrorum ignorantiam praetendere possit, mandamus et strictissime praecipimus, quod caupones, tabernarii, quique publica diversoria tenent, et generatim omnes hujus urbis cives et incolae, ad quemcunq; illorum hospitem seu advenam aliquem divertere et venire continget, illi cum primis statuta et edicta nostra, tam ad fidem catholicam ejusque caeremonias et ritum antiquum Catholicae Ecclesiae, quam etiam ad statum hujus urbis pertinentia, referre et declarare tenebuntur; ut quilibet hic et in Dominijs nostris existens se voluntati ac mandatis nostris accommodare sciat et possit, sub poena gravissima per Consulatum exigenda.

Quodsi quispiam hospes seu advena tam pertinax et temerarius fuerit; ut ita certior factus, vel haereses ac nova et impia dogmata profiteri ac seminare, vel alia quaecunq; tam religioni quam etiam ordinationibus nostris tractare et promovere praesumeret, is per Consulatum auctoritate nostra debita, et irremissibili animadversione puniatur.

Caeterum, quod ad regimen et ordinem civitatis attinet, visum est Nobis pro dignitate nostra congruere, et ita in posterum statuimus et habere volumus, quod Burgrabius noster, qui in hac civitate vices nostras in multis gerit negotiis, sive is Proconsul aut Consul fuerit, primum locum ante omnes Proconsules, quando cum illis erit, habeat: quae res tamen facultati et auctoritati Proconsulum, quam de more habent, in negotiis agendis nihil afficere debet.

Volumus etiam et statuimus, quod in posterum omnis qui in Burgrabium, Proconsulem et Consulem electus fuerit, juramentum Nobis de-

bitum coram eo cui id literis comittere volumus, aut Successores nostri commiserint praestare teneatur.

Statuimus item, quod nullus ex civibus hujus urbis per seditionem vel aliquem modum illicitum ad regimen Consulatus quoquo modo se ingerere praesumat, sub poena ultimi supplicij. Et licet concessum sit a Praedecessoribus nostris, quod Magistratus hujus civitatis possit in negotiis magni momenti alios cives prudentiores in consilium suum adhibere, et cum illis, ut res postularet, consulere et concludere: quia tamen certus numerus non erat designatus, et nimia multitudo consulentium nimiam saepe confusionem parit: statuimus et ordinamus, quod deinceps in arduis causis et negotiis, non ultra quam centum cives in hac principali civitate nostra ad consulendum et ad ferenda suffragia cum Consulatu, Scabinis, et duobus Senioribus ex quolibet Capitalium opificum ordine vocari et adhiberi debent. Et quod hujusmodi centum viros semper Consulatus eligendi et nominandi, et vocandi in Praetorium, toties quoties opus fuerit, potestatem et auctoritatem habeat. Ipsi autem cives electi et vocati, cum in Praetorium venerint, modeste pacifice se gerant, et nulla arma seu gladios secum ferant. Quilibet etiam Magister quartarum, faciat quemque ex eisdem civibus suae quartae ordine sedere, et quemlibet eorum hortetur et admoneat, ne quispiam adversus hanc ordinationem nostram quidquam committat, neve cujuscumq; sermonem interrumpat, aut aliud aliquid loqui aut ingerere praesumat, quam id quod a Consulatu fuerit propositum, nec injicere audeat, quod esset adversus constitutiones nostras, et quietum statum civitatis perturbare posset, talis extremo supplicio mulctandus erit. Et sub eadem poena nemo civium extra eum centum virorum electorum numerum sub ipsorum congressu ad Praetorium veniat, aut aliquod regimen sibi sumat, quo communis tranquillitas civitatis commoveri possit.

Quidquid autem in tali congressu et consilio per Magistratum, Proconsules, Consules, Scabinosque ac praedictos centum viros, cum Senioribus quatuor capitalium artificum, pro bono hujus urbis cognitum, constitutum, et conclusum fuerit, id firmiter et inviolabiliter ab omnibus incolis hujus urbis teneri et observari debet. Si vero hujusmodi cives quatuor quartarum in unam sententiam, non coierint; sed duae quartae eorum, contrariam aliis duabus quartis sententiam tulerint, in eo casu Consulatus, nomine et auctoritate nostra, ut Regentes civitatis, cum Scabinis potestatem habeant, id quod utilius et magis necessarium videbitur, definiendi et statuendi. Et cum parti Consulatus ipse cum Scabinis suo suffragio et voce accesserit, id ratum et firmum absque cujuscumq; contradictione esse debeat. Cui, si quis se opposuerit, poena capitis puniatur.

Cum autem cives communitatem repraesentantes, ad Praetorium modo praedicto per Ma-

gistratum vocati fuerint, ut debitus ordo servetur, ut Senior Scabinorum coram Consulatu nomine communitatis praedicto, juxta antiquam consuetudinem de rebus et negotijs conclusis relationem et verba faciat.

Statuimus etiam, quod Consules antiquae civitatis qui ad Consulatum simul electi sunt, cum in Praetorium ad electionem Consulatum vocati fuerint, unum suffragium sive vocem inter se habeant; prout antiquitus fuit observatum.

Item statuimus: quod quotiescunq; Consulatus opus habuerit opera et consilio Scabinorum, illos ad se vocare, et suo consilio adhibere semper habeant facultatem. Scabini vero, quicumque a Consulatu vocati fuerint, ad illam sine ulla renitentia et id totum, quidquid per ipsum Consulatum eis propositum fuerit, et exequi teneantur. Statuimus praeterea, quod pomaria, in quibus mechanici se sagittando exercent, non debent deinceps adeo frequentari et visitari, exceptis tribus diebus in anno festivitatis Pentecostes: quemadmodum in pomario principalium civium fieri solet. Postquam vero praefatos tres convenienti hilaritate absolverint, tum claves restituere debent Consulatu, et ab ipso deinde singulis annis pro hujusmodi conventionione obtinenda, claves ad pomarium requirere et petere debent. Eritque in ipsius Consulatus arbitrio et potestate, hujusmodi conventionem et solatium, juxta temporis necessitatem admittere et recusare.

Gielda quoque nautarum singulis annis diutius patere et servari non debet, quam per unum mensem; incipiendo tribus hebdomadis ante Carnisprivium, usque ad octo dies Quadragesimae. Licebit autem Consulatu tale tempus prorogare, vel contrahere, prout ex usu videbitur.

Statuimus etiam, quod nullus coctor cervisiae in civitate sit, nisi de consensu et voluntate Consulatus. In cujus arbitrio sit, constituere munera illorum, eisque cocturam ipsam cervisiae, quando necessarium fuerit, inhibere poterit.

Permittimus autem, quod usus mercaturae unicuique civi Gedanen: pro facultate sua sit liber, et non impeditus.

Statuimus item, quod Consulatus habeat potestatem, absque contradictione civium antiquae civitatis, in hac principali civitate muros, turres, fossas, valvas, seu quae lingua vernacula *zugbrucken* nuncupantur, et quidquid aliud eidem principali civitati necessarium sit, aedificandi et reformandi. Mandamusque severius, et ita, et non aliter volumus, ut valvae seu portae, quae sunt inter principalem et antiquam civitatem, et suburbium, omni nocte claudantur: et si quis se in hoc opponere voluerit, summa poena puniatur.

Providere volentes, ne seditiosis ansa relinquatur, odia et tumultus adversus Magistratum excitandi: statuimus ne deinceps, nunc quispiam seorsum, nunc communitas ipsa, audeat rationem seu calculum de proventibus civitatis ab ipso Magistratu exigere, aut clandestina consi-

lia vel conspirationes de illo exigendo inter se facere. Verum si quando Magistratus suspectus fuerit Communitati de male administrandis proventibus civitatis, idque necessitas postulare videbitur, Nos ipsi designabimus vel Successores nostri designabunt, Commissarios nostros idoneos: coram quibus et non alijs Magistratus ipse rationem de proventibus facere tenebitur.

Quod vero ad res Ordinarias attinet, statuimus, quod saeculares causae inter personas saeculares, non nisi in foro suo saeculari judicentur, quas Officialis Domini Episcopi sibi usurpare non debet.

Procuratores in hac civitate causas agere volentes, si Judicij spiritualis fuerint, per Officialem Domini Episcopi, si saecularis, per Consulatum Sacramento obstringantur, quod non nisi integre, fideliter, et non animo serendi litis, aut causas, lucri sui ratione trahendi, Officium hoc sint obituri: quorum numerum restringi volumus in utroque foro seu judicio, et similiter publicorum instrumentorum seu Notariorum.

Qui gravi et repentina aegre ditione correpti, testamentum condere voluerint, tunc juxta juris dispositionem Juratos Judicii viros accersere tempestive valebunt, hi probis, integris, et possessionatis aliquibus civibus in testimonium advocatis, testari poterunt; et hujusmodi testamentum, si proxima die juridica per ipsos testes juramento coram Judicio Civili probatum, et libro judicii inscriptum fuerit, perinde valebit, ac si coram juratis Scabinis esset conditum. Juris tamen et consuetudinis facultatem, quantum ad leganda bona, non excedendo.

Ad sistendas vero frivolas appellationes, quae in oppressionem pauperum plerumque interponi solent: volumus, ut in causis, quorum singulae quinquaginta marcarum leges non excedunt, ad Consulatum tantum, et non ultra, fiat appellatio. In causa vero, quae quinquaginta marcas excedit, liberum sit unicuique appellare ad Convantum Generalem terrarum et civitatum Prussiae. Quae si in primo Conventu terminata non fuerit, tunc unicuique ad Nos libere appellare licebit.

Cum civis alium civem in jus vocare voluerit, id non aliter, quam coram bannito judicio facere poterit, quod bannitum judicium singulis duabus septimanis agi et celebrari debet, nisi aliquis dies festus impederit. Et cum reus conventus in primo termino non comparet, poenam octo bonorum solidorum Judici luat: quem actor ad octo dies pro tertio citari faciat: qui si tertio non comparuerit, actor causam suam contra reum obtinebit, usque ad exceptionem auxiliariam: ad quam importandam seu producendam octo dies illi concedi debent. Nemini deinceps dilatio termini ad Procuratorem concedatur, cum Procuratores sint in hoc loco.

Si quis vero diem juridicum acceptare noluerit, id admitti ei debet, sed non nisi ad octo

dies: in quo termino actor querelam suam in scriptis paratam habeat, ubi id Scabini pro causae magnitudine habere postulaverint, et eam ipsam querelam suam idem actor, reo convento, tradat; qui octo dies ad respondendum habebit. Sic quod in his quatuordecim diebus, et querela, et responsum producat, et confirmetur. Et deinde in eodem bannito tempore, debent partes utraeque probationes suas nominare. Ad quas probationes cuilibet parti specialis terminus assignetur; secundum exigentiam probationum, hoc est, ad eam probationem quam habere pars potest, intra urbem octo dies, intra Terras has Prussiae per quatuordecim dies: extra Terras Prussiae tres menses: ultra mare et arenam annum et diem.

463

Postremo, cum quispiam civium habebit aliquid inter Consulatum vel Officium Domini Episcopi, de quo quando velit, is querelam et injuriam suam coram Nobis, aut Posteris nostris Regibus Poloniae, uti suis legitimis et hereditariis Dominis, jure mediante, deponere, et justitiam quaerere debet: neque id cuiquam negari, aut prohiberi possit. Qui vero contrarium fecerit, et querelam suam ad communes cives vel plebem detulerit, ut tumultum et motum popularem excitaret; is legitime convictus, ultimo supplicio puniri debet.

Omnnes autem et singulae constitutiones, et articuli supra nominati, teneantur et observentur diligentissime, sub debito fidelitatis, et subiectionis, ac sub poenis gravissimis, tam a Magistratu, quam ab omnibus incolis, et advenis hujus civitatis nostrae, Gedanen: ad arbitrium nostrorum, aut Successorum nostrorum Regum Poloniae, ita ut per Nos, vel ipsos Successores nostros pro temporum vicissitudine et necessitate mutari, reformari, minui, augeri semper possint. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est subimpressum. Datum in civitate nostra Gedanen: feria tertia proxima ante festum S. Mariae Magdalena. Anno Domini 1526. Regni vero nostri 20.

ORDINATIO

DUCATUS PRUSSIAE GEDANI 1526.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis. Quia consulere volentes multiplicibus erroribus et abusibus, qui cum in Divinis, tum etiam humanis rebus inoleverant in Terris et civitatibus nostris Prussiae, venimus huc ad easdem Terras, omnibus alijs negotijs nostris intermissis, et auspice Domino Deo recte omnia, quae reformatione indigebant, confecimus. Praeterea etiam ad futurum deinceps bonum regimen constitutiones et ordinationem opportunam in ipsis Terris relinquere operae pretium esse duximus. Proindeque de consilio et consensu omnium Consiliariorum et Nuncio-

rum communitatis tam militaris, quam etiam civilis ordinis, infrascriptas constitutiones edidimus et promulgavimus.

Imprimis quisque Palatinus habeat apud se exemplum seu copiam privilegij Terrarum Prussiae, et illud unicuique petenti ostendat, et coram eo legi faciat, quod Nos manutere et secundum ipsius tenorem dignitates, officia, et Capitaneatus solis indigenis conferre dignabimur.

Caeterum cum jus Culmen: quo potissimum Prussia utitur, scripturis saltem autenticis nusquam reperitur esse sancitum, multaque propterea oriuntur incommoda: Venerabiles et Egregios devote Nobis dilectos Tidemannum Gise, Custodem et Canonicum Varmiensem, Matthiam *Slewiczki*, Canonicum Gnesnensem, Achacium Frenut, Canonicum Varmiensem, Franciscum Soldaw, et Philippum Holkner, designavimus: ut hoc anno ad calendas Octobres Marienburgi conveniant, et ejusmodi jus cum ejus constitutionibus passim colligant diligenter, conscribantque, ut deinde typis excussum et evulgatum ad omnium notitiam perveniat, firmiterque a cunctis observetur.

Judicia autem Terrestria in singulis Palatinatibus quotannis bis serventur, ita ut in Palatinatu Culmen: primum Judicium feria tertia post Dominicam Quasi modo geniti. Secundum autem feria tertia post Lamperti celebretur. In aliis autem Palatinatibus juxta veterem consuetudinem celebretur, ex quibus quidem Judicij Terrestribus appellationes ordinarie fiant ad Conventus Generales Terrarum Prussiae. A Conventibus autem Generalibus ad Regium Tribunal nostrum, donec alterutra partium conformes sententias obtinuerit.

Ut autem frivola et temerariae appellationes nonnihil cohibeantur, quisquis a Judicio Terrestri ad Conventum Generalem appellaverit, tres marcas ad Judicium reponat. Si vero a Conventu Generali ad Nos appellatum fuerit, sex marcae deponantur: et si appellans coram Judice appellato succubuerit, in usum publicum Judicii in quo erant repositae cedant; alioquin parti restituantur.

Nec Palatini judicent causas ad jus Terrestre spectantes, nisi de consensu partium, et provocantur ad Judicium Terrestre remittant; exceptis causis jejuniis, quae videlicet valorem decem marcarum non excedant. Haec quidem sine strepitu judicij de simplici et plano ab eis componi possunt. In causis autem sanguinis et de facto recenti depraehensis, indilatam justitiam ministrent: nec partes contententes ad componendum amice inter se controversiam cogant: nec exigant ullas poenas, nisi per judicium decretas. Quarum poenarum tertia pars Judicio Terrestri, reliquae duae partes Palatino loci cedant.

Palatini et Capitanei citati, tam in Judicio Terrestri, quam Conventuum publicorum respondere sunt obligati, exceptis actionibus super bonis nostris Regalibus emergentibus. Capitanei autem

juxta continentiam privilegij Terrarum Prussiae sint indigenae possessionarii, ratione quarum possessionum suarum sint Judicio Terrestri subjecti.

465

Statuimus praeterea, ut communibus Consiliariorum votis Notarius Terrestri nobilis possessionatus, lingvas necessarias callens, et alias, ad hoc officium eligatur: qui cum juratus fuerit, exclusis tam ecclesiasticorum Praelatorum, quam civitatum ac aliorum, Notarius solus secretorum Consilij et Conventuum publicorum judicij intersit, literas et acta judicialia diligenter conscribat, ac jura partium in judicio producta fideliter custodiat.

Ut autem temerariae lites amputentur; Commissarios sive Judices delegatos non deputabimus in causis ad Judicium Terrestre spectantibus, et minus in eo jam pendentibus, nisi per appellationem ordinariam, de qua superius dictum est, a sententia definitiva seu interlocutoria jam lata ad Tribunal nostrum devolutae fuerint; exceptis causis limitum, bonorum nostrorum Regalium: nec Judices delegatos seu Commissarios, a quibus semel appellatum est, in eadem causa denuo deputabimus, aut causam ad illos remitemus. Non enim verisimile aut honestum videbatur, quod Judex pristinam suam sententiam retractet, aut aliter judicet, quam ante judicaverat.

Conventus autem publici seu Generales juxta proximam ordinationem nostram in Prussia quotannis celebrentur. Verno videlicet tempore Deraviae ad diem S. Stanislai: tempore autumnus in Grandenz, ad diem S. Michaelis. Conventus autem peculiariter per Nos instituendos, locum et diem ex nostro arbitrio sortietur.

Ad praedictos Conventus, omnes causae tam ex civitatibus quam Judicij Terrestribus per appellationem devolvantur, et etiam sine speciali commissione nostra judicentur. Deinde vero, et non antea ad supremum Tribunal nostrum remittantur, parte provocante: cui ad prosequendam appellationem a Judicibus legitimus terminus praefigatur. Quam appellationem, si intra unius anni spatium non prosequeretur prior sententia juxta juris communis dispositionem in rem transeat judicatam, et executioni demandetur.

Ante Conventum vero publicum per Nos et Successores nostros singulariter instituendum, in singulis Palatinatibus Culmen: videlicet Marieburgen: et Pomeraniae, fiat nobilitatis Conventio particularis, quam secundum morem antiquum Palatini ex singulis Districtibus Palatinatus sui ad aliquem locum convenientem: ut Nuntij ad hujusmodi Conventum mittendi elegantur, Qui autem vocatus non comparuerit, duarum marcarum pendet. Cujus medietas Palatino ejus loci, altera vero medietas Aerario publico proveniat.

At cum frustra ferantur, nisi legitima executioni demandetur, volumus et irrefragabili constitutione sancimus, ut deinceps unusquisque, cujusvis conditionis vel eminentiae fuerit, rei judicatae sine omni contradictione cum effectu pareat, et obsequatur. Alioquin locorum Palatini

nullo alio a Nobis mandato expectato, legitimam executionem faciant: adjuncto sibi, ubi causae conditio postulaverit, Capitaneo et nobilibus illius districtus: aut etiam si necessitas exegerit, omnibus et singulis nostris vasallis seu nobilibus illius Palatinatus, quos ad assistendum illi sub jurisjurandi debito et amissione feudorum obligatos esse decernimus. Si vero majori potentia sit opus, negotium ad Nos referri volumus: ut opportunis rationibus rebus provideamus. Palatinos similiter ad hujusmodi executiones faciendas, justitiamque oppressis administrandam jusjurandum Nobis praestitum adigat. Quos etiam remissiores fuerint, quinquaginta florenorum Hungarical. poena plecti volumus. Cujus mulctae medietas parti, cui justitia denegata est: altera vero medietas Aerario publico Terrarum Prussiae cedat. Ubi autem quis executioni violenter resistere convictus fuerit, poena banni, sive proscriptionis ac bonorum confiscatione puniatur, ex quibus bonis parti laesae primum fiat satis: quod reliquum fuerit, fisco applicetur.

Statuimus praeterea, ut nullus Capitaneus, nobilis civis, aut quisvis alius cujuscunque conditionis existat, personis, castris, domibus, aut possessionibus alicujus ullam violentiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere praesumat. Alioquin super his convictus, juxta antiquum plebiscitum Terrae Culmensis capitali poena puniatur.

At cum aliquis nobilis decreto publici Conventus, Judicio Palatinorum, aut Terrestri capitur: sub certis poenis, in potestatem, aut carcerem civilem non tradatur; sed ad manus Palatinorum. Si quis autem in civitate, ubi nulla arx est, capiatur: et auctoritate Conventus, Palatinorum, judicij, in carcerem civilem conjiciatur; in potestate eorundem, et non civitatis permaneat. Fidejussoria tamen cautione a carcere hujusmodi liberetur, nisi causa fuerit criminalis; alioquin sub poena viginti florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti laesae cedat, absque ulla remissione persolvenda. Nobiles et eorum subditi auctoritate seu potestate civili non capiuntur, detineantur, aut arestantur: nec vicissim nobiles auctoritate propria capiantur aut detineantur cives, aut eorum subditos: sed unusquisque coram judicio suo ordinario conveniatur, et justitiam requirat.

Praeterea, ne in fluminibus Prussiae praesertim navigabilibus, et item Fehtes, Bree, et Bda, ac etiam Redae in Districtu Puczkovien. obstacula fiant: ut tam piscibus quam navibus et lignis liber transitus permittatur: nisi quis speciale privilegium super hoc habuerit.

Nobiles autem qui habent privilegium piscandi in lacubus nostris Regijs, et testibus fide dignis probare possunt se fuisse in possessione piscandi, et quorum vel limites aut ager stagnis nostris Regijs adjacet; his quidem piscatio permitti debet, sed parvis retibus duntaxat ad usum et mensam eorum propriam: non autem ad vendendum. Ea tamen conditione, ut retia

466

467

Castren. primos in hyeme habeant tractus: et quod tempore, quando pisces, qui Germanice Bressen, Polonice vero *leszcz* vocantur, semen aut foetum emittunt, nulli liberum sit in lacubus nostris Regijs piscari: ne hujusmodi piscium foetura in augmentando impediatur.

Praeterea ut ecclesiastici bona Terrestria ecclesijs adscribenda, et approprianda, sive incorporanda; absque speciali consensu nostro, amodo non nisi a suis vasallis emant, nec obsequia Nobis ex ipsis debita intereant, pro se vero privatim illa emere possunt, quae si in vita sua non alienaverint, aut cuiquam non donaverint, ad eorum propinquos et consanguineos devolvantur.

Similiter, nec civis aut ignobilis quisquam, bona terrestria emat. Si vero jam empta possideat, non per conductitias personas, sed propria servitia, seu obsequia debita, ad bellicam expeditionem de ipsis sub eorundem amissione praestet.

Nec omnino liceat a modo rusticis feras in nemoribus venari, nec laqueos in sylvis, et agris ponere; canes aut retia venatoria habere: alioquin in potestate dominorum sit, bombardas canes, et retia hujusmodi auferre: et pro qualitate excessus mandatum praevicantes in decem marcis pec: domino fundi applicandis, toties quoties punire; exceptis fossis pro luporum captura, quas tamen sine praecedicio cujusvis quilibet cum consensu dominorum suorum habere potest. Simili modo nec Palatini, Capitanei, aut nobiles alter in alterius fundo absque voluntate domini fundi venari: nec in sylvis feras domare, aut cicurare debet, quod *klopfen* vocant, sub amissione retium, equorum, et currum. Bombardis nemo omnino nec in proprijs, nec alienis sylvis sub poena centum floren. Hungaric. irremissibiliter solvendorum, amodo utatur. Cujus mulctae medietas Nobis, altera aerario publico Terrarum Prussiae proveniat.

Volumus item, ut in Conventu Generali proximo per universos Consiliarios harum Terrarum omnium rerum vendibilium aestimatio, et justipretij constitutio fiat: utque diligentior respectus ad mensuras, et omnia pondera habeatur; ut dolus ac deceptiones malitiae vitari possint.

Item, ut Palatini et Capitanei diligentius fines Terrarum observent; ne praedones et grassatores ingrediendo et egrediendo impune grassentur.

468 Item, ne rustici cum cuspidibus, lanceis, gladijs, aut similibus armis publice aut privatim incedant, easque deferant, nisi a dominis suis ad venationem vocati fuerint.

Districtius etiam inhibemus, ne Poloni amodo ab officijs civitatum quarumlibet arceantur: sed pari conditione cum Germanis et alijs nationibus admittantur, non obstantibus hujusmodi officiorum contrariis constitutionibus, sub poena 50 flor. Hungar: qui eos non receperint infligenda: perque loci Capitaneum pro fisco Regio exigenda.

Ex quo item multorum querimonijs accepimus, quosdam officialium nostrorum praesertim Tucho-

lien: praetextu mandati prohibitorij de invectione salis peregrini in Poloniam, innocentibus, si quando finibus Terrae appropinquant salem adimere. Quod quia iniquum est, sub gravi indignatione nostra prohibemus, ne de caetero cuiquam adimatur, nisi ultra fines transgresso.

Nobiles praeterea Districtus Slochow instar rusticorum, ut ligna ad arcem ducant, aut alia servitia rusticalia faciant, cogi nolumus, sed antiquam consuetudinem servandam esse decernimus.

Ad praeccludendas autem varias hinc inde obloquendi vias, et controversiarum occasiones, quae solent oriri a civitatibus et oppidis contra nobiles et tabernatores tam saecularium, quam spiritualium, qui coquunt, et alijs per tunnas vendunt cerevisiam, ita ordinatum est, quod nobiles pro utilitate eorum propria coquere libere possunt ipsam cerevisiam. Et si quid ex illa eis superabundaverit, id vendent ad suas tabernas, verum negotiationem cerevisiae non exercent, quod statui eorum foret indignum. Tabernatores vero, qui ultra miliare distant ab oppidis vel civitatibus, et qui habent in suis privilegijs facultatem coquendi cerevisiam; coquere illam possunt, quantum ad propinandum in eorum tabernis sufficit, nequaquam tamen per integras vel medias tunnas vendendi ipsam cerevisiam potestatem habeant, sub poena decem marcarum; toties quoties huic constitutioni contraverint solvendarum.

Cum etiam mercatores et praesertim peregrini sive exotici homines in nobilitatis ac civitatum injuriam, pelles, frumenta, humulum, linum, et alia mercium genera, in villis ac pagis clam et publice coemere, et negotiationes illicitas exercere soleant, autoritate nostra Regia firmiter prohibemus, ne id de caetero fiat. Statuentes, ut deinceps subditi dominorum merces et res suas vendibiles in proximas civitates ducant, et in foro publico venales exhibeant, legitima tamen dominorum cum pellibus ferarum et bestio- larum sylvestrium habita ratione. Alioquin emptoribus equos et currus, venditoribus autem res venditas a Praefectis nostris adimi et confiscari volumus.

Mandamus insuper, et ita omnino habere volumus, ut Palatini debitores decimarum aratrium et quorumvis ecclesiasticorum proventuum censuras contumaciter sustinentes, ad hujusmodi debitorum solutionem remedij opportunis compellant, ne ecclesiastici proventibus sibi debitis fraudentur.

Postremo ad tollendum errorem et incommoditatem ex varietate, utilitate, et adulteratione monetae provenientem, unanimi consilio decretum et constitutum est, ut abolita in Prussia moneta veteri triplex nova sub nostris et Terrarum Prussiae insignijs cudatur, videlicet grossi, solidi, et oboli, sive denarij, ita ut viginti grossi unam marcem, quadraginta autem grossi, sive duae marcae florenum Hungaricalem constituent. Tres vero solidi grossum et sex oboli solidum. Sitque ea moneta in grani va-

469

lore et aestimatione par Polonicae, et similiter nova cudenda est, aequaliter proportionata, ut scilicet grossus Polonicus Pruthenicum aequet, et solidus ternarios duos, obolus vero obolum valeat. Curatque hujusmodi moneta Pruthenica Regio edicto per totum Regnum, Masoviam et Litvaniam; hoc tamen Illustris Prussiae Dux usque ad festum Sancti Martini proximum in deliberationem accepit.

Quae omnia et singula ut praemissa sunt in omnibus suis punctis, conditionibus et articulis, rata et firma esse volentes, de certa nostra scientia et deliberatione, consensuque tam Consiliarios nostrorum status utriusque, quam etiam Nuntiorum omnium Terrarum nostrarum Prussiae, statuimus et decernimus robur debita firmitatis habere debere, harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appressum. Actum et datum in civitate nostra Gedanensi feria tertia proxima post festum Divisionis Beatorum Apostolorum. Anno Domini 1526, Regni nostri anno 20.

INFEUDATIO

CASTRI BYTOW ET CIVITATIS LUNENBURGENSIS.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus etc. universis et singulis praesentibus et futuris harum seriem inspecturis manifestum facimus, quia vigentibus olim bellis inter Sereniss: felicis memoriae Casimirum Regem Parentem et Praedecessorem nostrum, ac inter Ordinem districtum Sanctae Mariae Theutonicorum in Prussia Illustris olim Princeps Dominus Ericus Stetinen: Pomeraniae, Cassubiae, Vandaliae Dux et Princeps Rugiae, multa in ipsis bellis et controversijs favoris benevolentiae et obsequij sui erga praedictum Serenissimura Parentem nostrum officia exhibere, et suppetias non vulgares illius Majestati defunctae adversus hostes ejus praestare solitus erat, ac ob eam causam illi arcem Bytow una cum oppido ibidem consistente, necnon civitatem Lunenburg cum universis fructibus et proventibus ad illam pertinentibus idem Sereniss: Pater noster ad arbitrium et beneplacitum suum concesserat, ut id ex literis et alijs monumentis abunde constat. Deinde vero ad eam benevolentiam et conjunctionem quae inter Serenissimos Praedecessores nostros et praedictum Dominum Ducem Ericum ac posteros ejus intercesserat, etiam affinitas et necessitudo accessit, quae ad haec usque tempora mutuis officijs et amore coaluit, ita ut praedictas arcem et oppida repetita quidem aliquoties tamen non gravate et Nos et Serenissimi Fratres ac Praedecessores nostri possideri a nominatis Ducibus Pomeraniae circa iurium Regni sui detrimentum ferebant. Cum postremo Nos ad has Terras nostras Prussiae venientes inviseret officiosissime

470

Illustris Princeps Dominus Georgius Stetinen: Pomeraniae, Cassubiae, Vandaliae Dux et Princeps Rugiae Nepos noster ex sorore charrissimus, et suam ac Illustris fratris sui germani Domini Barvini singularem erga Nos propensionem animi et observantiam declaravit, remisitque Nobis et Successoribus nostris de dote Illustrissimae olim Dominae Annae Sorori nostrae a Praefato Serenissimo Domino Rege Casimiro Patre nostro promissa, quatuordecim milia aureorum Hungaricalium, volentes vicissim erga Illustritates eorum uberiores nostros testari, et illas earumque successores Nobis ac Regno nostro arctiori benevolentia et conjunctione devincere, attamen juribus Regni nostri non deesse, illis et earum haeredibus masculis, arces et oppida praedicta Bytow et Lunenburg cum omnibus et singulis eorum subditis, vasallis, fructibus, libertatibus, eminentijs, censibus, proventibus, juribus et pertinentijs universis, sicuti illa ad arbitrium et beneplacitum, ut dictum est, Serenissimorum Praedecessorum nostrorum et nostrum hactenus usu et fructu tenuerunt, de consilio et consensu Dominorum Consiliarios tam spiritualium, quam saecularium Regni nostri tenenda habenda fruenda utenda et possidenda in perpetuum jure feudi pro Nobis et Successoribus nostris Regni Poloniae dedimus et concessimus illos de eis in ipsis arcibus et oppidis Bytow et Lunenburg investivimus, et tenore praesentium damus et concedimus, illosque et eorum haeredes de ampliori gratia et benevolentia nostra ab omni juramento, necnon tributis et exactionibus quibuscumque Nobis et posteris nostris ratione dictarum arcium et oppidorum praestandis dimittimus, et liberos facimus, pollicemur praeterea dictos Principes in praedictis arcibus et eorum pertinentijs quantum in Nobis est defendere et tueri. Tenebuntur tamen et obligati esse debent praefati Domini Duces et eorum successores ad singulas Successorum nostrorum Regum Poloniae Coronationes, vel venire ipsi, vel Consiliarios aut officiales suos mittere, qui hoc ipsum jus feudale de praefatis arcibus et oppidis ad Regnum nostrum pertinens, ita ut jam dictum est recognoscent, et literas ejus recognitionis et renovationis ipsius feudi, quae gratis illis debent dari, a novis Regibus accipient. Quodsi aliqua legitima causa impediti hoc officium et debitum in Coronationibus Successorum nostrorum non fecerint, nihil ea negligentia illis detrimenti adferre debet, dummodo alio brevi tempore post Coronationem id praestare curaverint. Ubi vero ipsi Principes Domini Georgius et Berninus Duces Pomeraniae sine legitimis masculis feudi haeredibus vel eorum legitimi masculi feudi haeredes non relicta prole virili decederent, stirpsque et progenies eorum mascula et legitima deficeret, extunc praedictae arces et oppida Bytow et Lunenburgk cum omnibus suis bonis, subditis, vasallis, fructibus, libertatibus, juribus, eminentijs, et pertinentijs universis ac cum ple-

471

no jure et possessione citra omnem difficultatem ad Nos et Posteris nostris Reges Poloniae redire debebunt, salva tamen jurisdictione interim perpetuo, proventibus, decimis, seu Episcopalibus cum villis bonis et piscaturis ac libertatibus ad Reverendum Ioannem Episcopum et ecclesiam Vladislaviensem ex antiquo pertinentibus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est praesentibus appensum. Actum et datum in civitate nostra Gedanensi die Inventionis Sanctae Crucis, anno Domini 1526, Regni nostri anno 20.

DECRETA

IN CONVENTIONE GENERALI CRACOVIENSI, OMNIUM
REGNI ORDINUM CONSENSU EDITA, ANNO 1527.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae; Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis; quia cum fatali quadam adversitate hactenus contingere non potuit, ut certa stabilis et opportuna defensio, adversus continuos et anniversarios hostes Regni nostri statueretur, ita ut quotannis Nos Conventus agere, et novos semper tractatus de ipsa defensione facere oporteat, factum est, ut penè quotannis ingentia damna Regno et Dominijs nostris inferantur, et Respublica in deterius semper labi videatur. Quare cum per statutam anno superiore debilem ac incertam defensionem, maxima damna Regno nostro essent illata, Regnumque Hungariae summam cladem excepisset, nolentes deesse Reipublicae, tantis discriminibus expositae, et solidiorem aliquam defensionem constituere, indixeramus Conventum Generalem Cracoviensem, in quo una cum universis Consiliariis et Nuntijs, anxie disquirentes, et in medium consulentes, de certo et firmo aliquo defensionis modo, tandem ad infrascriptas constitutiones, omnes convenimus, et ut in executionem devenirent, decrevimus.

Imprimis statuimus Conventus particulares in singulis Palatinatibus Regni nostri, videlicet in Palatinatibus Terrarum Majoris Poloniae, pro feria secunda proxima post Dominicam Conductus Paschae; in Palatinatibus vero Terrarum Minoris Poloniae ad feriam tertiam proximam ad Dominicam Iudica proxime futuram. Ad quos quidem Conventus, Palatini et omnes dignitarij, Castellani, Capitanei, et officiales, totaque nobilitas uniuscujusque Palatinatus convenire debent, sub poenis nostris Regalibus. Et in eis Palatini, Castellani, et Nuntij Terrarum, qui ad hunc Generalem Conventum Cracoviensem erant missi, declarabunt communi nobilitati, quod decreta est in hoc ipso Generali Conventu Cracoviensi taxatio omnium honorum seu feudorum, hoc est, civitatum, oppidorum et villarum totius Regni, praeter bona nostra Regia,

quae libera sunt et non oppignorata, juxta decretum Conventus Petricoviensis ante biennium habiti, quod poni debet hoc anno in executionem.

In ijs autem Conventibus, quisque Palatinus cum Castellanis, officialibus et nobilibus sui Palatinatus eligit; et designabit ad singulos Districtus, unum Castellanus illius Districtus, et duos viros nobiles ejusdem Districtus, sic quod ad singulos Districtus sit electus et designatus Castellanus, et duo nobiles ejusdem Districtus fide digni, probatae virtutis, et bonae conscientiae, ad ipsos fundos, seu bona terrestria taxanda. Quodsi non fuerit in aliquo Districtu Castellanus eligit Palatinus alium dignitarium, seu officialem illius Districtus de consensu dignitariorum officialium, ac nobilitatis quae ibi fuerit, aut majoris partis ipsius.

Eligetur etiam in eisdem Conventibus ad contributiones novissime laudatas colligendas, unus vir nobilis ex ordine nobilium; qui Palatino, seu Castellano et Exactoribus, quorum duo esse debent in quolibet Palatinatu, alter spiritualis per Dominos Episcopos eligendus, alter vero saecularis, qui publicas contributionum pecunias dispensabit et erogabit militibus mercenariis, qui in Terris Russiae sunt militaturj. Designabuntur praeterea in his ipsis Conventibus ad jura reformanda, illi qui prius erant designati; ubi vero aliquis illorum aegritudine, vel morte praeventus, munus hoc obire non posset, alter in locum illius sufficietur.

Exactores in omnibus Palatinatibus habebunt pro mercede, et expensis suis, id quod in Conventu Thorunensi est constitutum, et non plus, videlicet ambo Exactores Terrae et Palatinatus Cracoviensis, spiritualis et saecularis habebunt pro salario seu mercede annua et expensis nonaginta marcas pecuniarum.

Exactores Terrae et Palatinatus Posnaniensis nonaginta marcas pecuniarum. Sandomiriensis, centum marcas pecuniarum. Calisiensis nonaginta marcas pecuniarum pro mercede annua et expensis. Siradiensis octoginta marcas. Lanciciensis sexaginta marcas pecuniarum. Brestensis quadraginta marcas. Iuniwladislaviensis quadraginta marcas pecuniarum. Russiae, centum et decem marcas. Lublinensis quinquaginta quinque marcas. Belzensis, quadraginta marcas. Podoliae, triginta marcas. Plocensis, quadraginta marcas. Terrae seu Palatinatus Ravensis Exactores pro salario annuo et expensis habebunt sexaginta marcas. Terrae Dobrzincensis, triginta marcas pecuniarum.

Palatini vero, seu in eorum absentia Castellani, qui dispensabunt publicas pecunias, habituri sunt pro labore et impensis suis, quisque illorum viginti marcas. Qui vero illis adjungentur ex ordine nobilium, quisque illorum decem marcas pro salario suo habiturus.

Item eligemus cum Capitaneo generali Praefectos militum, hoc est, *Poruczniki*: in quolibet Palatinatu viros possessionatos, et rei militaris

peritos. Ipsi vero Praefecti delictum facient militum in Palatinatibus suis pro arbitrio suo. Quisque Praefectus militum, qui ducentos equites in suo comitatu et praefectura habuerit, aut paulo minus habebit servitium super decem equos, et ad singulum equum stipendium decem florenorum, per quatuordecim scotos quemlibet florenum computando. Reliquis vero militibus solvetur stipendium super quemlibet equum, ad quodlibet quartale anni per sex florenos, per mediam sexagenam. Quilibet autem Praefectus, non per substitutum, sed solus per se ipsum ducere debet, comites seu commilitones suos, tam in eundo ad Terras Russiae, quam in redeundo, et prospicere, ne damna fiant hominibus spiritualibus et saecularibus, aut eorum subditis, neve ab illis stationes exigantur; quae damna si facta fuerint, ipse praefectus pro illis convenietur, et ad solutionem, resartionemque illorum erit obligatus.

Ut autem praefectus possit providere indemnitati suae, cum ob culpam alterius nemo multari debet, reservabit apud se partem aliquam pecuniae commilitonibus suis solvendae, cum ad Terras Russiae cum illis proficiscetur, et similiter cum ad domum cum eis revertetur, ut si in itinere et profectone aliquid comes seu socius ejus, damnum cuiquam homini cujuscunque status fecerit, et resarcire noluerit, ipse pro illo, qui damnum passus est, sub testimonio sociorum suorum satisfaciatur, et posthac eidem militi qui damnum fecerit, de ejus stipendio, id quod pro eo solverit, detrahat et defalcat. Idem praefectus cujuslibet Palatinatus, duabus septimanis ante finitum, seu expiratam servitium suum, et comitivae suae de castris et Terris Russiae discedet, ut comitivam suam sub obedientia sua habeat, et in officio contineat, prohibereque commodius possit, ne damna hominibus et miseris colonis, ac spiritualibus inferantur.

Idem praefecti militum providere debebunt, ut neminem suspiciant ad militiam, nisi ad summum in octo equis, et inferius, in septem, sex, quinque, quatuor, et ut quisque militum, solus per seipsum serviat, non per substitutum, et servos suos.

Item milites mercenarij, cum eorum praefectis cogi non debent ad insolita juramenta per Capitaneum generalem exercituum Regni, obedire tamen eidem Capitaneo debent, et militari obedientia subjecti esse.

Litterae indemnitis non videntur esse dandae praefectis, et eorum comitivis, prout anno ab hinc secundo etiam non erant datae, sed stabilitur pro damnis, et denique damna suscipiuntur a praefectis, et eorum socijs per Capitaneum generalem, seu Imperatorem exercitus, ac per Palatinos et Exactores, ac illis adjunctos persolventur.

Terrae Cracoviensis, Sandomiriensis et Lublinensis, habebunt unum Notarium, hominem industrium et fidum, per Nos designandum, qui conductus publicis pecunijs, militibus mercena-

rijs ad Terras Russiae, pecuniam perferet, ac eam illis numerabit secundum regestra inscriptionis, quae apud se habebit. Terrae vero Majoris Poloniae mittent pecuniam contributionum suarum in Lanciciam, quam inde Notarius per Nos eligendus, perferet in Russiam, et solvet stipendia militibus illic militantibus, secundum regestra conscriptionis, quae illi ex unoquoque Palatinatu mitti debent. De Terris autem Russiae, Exactores portabunt pecuniam militibus, et eam illis numerabunt.

Exactores publicarum contributionum deferre tenebuntur Nobis, si in loco propinquo fuerimus, vel si in remotis ageremus Capitaneo loci, omnes qui negligentes fuerint in solvendis ipsis contributionibus, aut qui illas non solverint, aut integre non extradiderint, et tales cujuscunque status, ordinis, et praecminentiae illi fuerint, Nos sine omni spe veniae poenis debitibus puniemus; et simili poenae, seu muletiae subjacebunt Capitanei, qui executionem non fecerint mandatorum nostrorum et decretorum Conventualium.

Villae et tabernae, quae ex quadam negligentia, seu conniventia Exactorum et Capitaneorum, publicas contributiones hactenus non solverunt, ad solutionem illarum omnino compellantur, et similiter molendina, quorum tertias mensuras tenentarij bonorum nostrorum exemerunt, et illas a se emptas, seu in summis pecuniarum obligatas tenent, solvant contributionem, quae *szos* dicitur, sicut reliqua omnia molendina in Regno nostro, seu illorum molendinatores eam solvere solent, contraria consuetudine, quae corruptela potius dici debet, penitus non obstante.

Et quia moneta Swidnicensis, quae universo Regno nostro inestimabilem jacturam facit, et detrimentum hactenus cohiberi non potest, ignorantia simplicium hominum, et licentia eorum, qui decreta et prohibitiones nostras transgrediuntur: decrevimus cum universo Senatu Regni nostri, non solum prorogandam, et custodiendam diligentius oclusionem viae in Silesiam, sed etiam eandem monetam prorsus ex Regno extirpandam, ita quod deinceps nemo illam recipere, expendere, aut in Regnum et dominia Nobis subjecta inferre audeat, sed quisque intra hunc annum, alias hinc ad duodecimum diem Martij anni futuri, illam extra Regnum exportet, aut permutet, per modum cambij, aut modum emptiois, seu quocunque negotiationis genere, sub poena nostra Regia quatuordecim marcarum, et amissione hujusmodi pecuniae. Et qui illam intra hoc tempus permutare et alienare a se non posset, expendat illam et permutet intra spatium hujus anni, sed non carius quam quemlibet ejus medium grossum, per quinque denarios, aut ad officinam nostram monetariam portet, pro qua dabitur bona moneta, et solventur similiter illi pro quolibet medio grosso Swidnicensi quinque denarij. Post exactum autem annum, ea ipsa moneta, per quam splendor et decus Majestatis nostrae Regiae imminuitur, omniumque statuum, et ordinum ho-

minibus, non mediocri damnum infertur, nullo modo recipiatur; sed tanquam falsa ac noxia ab omnibus vitetur, et apud quemcunque hominem cujuscunque status et conditionis reperta fuerit, et perdere illam debeat, et poena quatuordecim marcarum puniri, sic quod apud quemcunque duo grossi illius in una marca inventi fuerint, totam illam marcam perdat absque spe alicujus veniae.

Constituemus etiam custodes in finibus Regni, qui custodiant, et diligenter inquirant, ne deinceps ea ipsa moneta Swidnicensis in Regnum inferatur. Qui quidem custodes apud quemcunque illam invenerint, recipere illam possint et debeant.

476 Quia vero praeter ipsam externam monetam Swidnicensem, magna etiam vis falsae monetae, tam in Regno nostro, quam etiam alibi excussa est, et excuditur, in maximum damnum et detrimentum Reipublicae, Regni, et Dominiorum nostrorum. Proinde ne malefactores cudendi illam deinceps, et importandi in Regnum occasionem habeant, providebimus et braccatores constituemus in civitatibus et oppidis, qui illam signent, et notam seu signum percussione illi imponant, quo facilius cognosci ab omnibus et vitari possit.

Capitanei autem locorum exactam diligentiam facere debent, ut praedicta constitutio, tam de Swidnicensi, quam etiam falsa moneta ab omnibus strictissime et inviolabiliter observetur.

Ad corrigenda autem tam enormia, et tantas falsitates, a quibus etiam nec nobiles aliqui, ut ca est hujus temporis malignitas sese continent, statuimus, quod accusatus, seu inculpatus de falsa moneta aliquis vir nobilis cujuscunque status et dignitatis, citari debet ad praesentiam nostram, ex officio nostro, et si convinci poterit per duos testes nobiles, in simili crimine falsae monetae deprehensos et condemnatos, ac ultimo supplicio affectos, qui confessi sint, illum reum ejus criminis esse, et falsam monetam cudisse, aut consilium, auxilium, patrocinium, ad illam excudendam praestitisse, ac in ea confessione perseveraverint, et morte sua confirmaverint, talis poena capitis plectetur, bonaque ejus confiscabuntur, quae Nos pro Nobis et fisco nostro retinebimus, ad praeccludendam viam calumnijs hominum, et nemini illa conferemus, alias vita, salus, et status ejus ipsius nobilis inculpatus, et hoc modo convicti, erit in gratia nostra Regia. Si vero testes contra illum testificantes, non fuerint nobiles, sed alterius inferioris ordinis et conditionis domestici, seu extranei, qui in eo ipso crimine deprehensi, et contra illum testificantes et non reclamantes, seu confessionem suam non revocantes, ultimo supplicio affecti fuerint, in eo casu nobilis ille accusatus, seu inculpatus expurgabit se cum octodecim viris nobilibus bonae famae sibi in genere similibus, quos Nos ipsi deligemus, ex ter octodecim, hoc est quinquaginta quatuor testibus nobilibus, quos ille qui se expurgaturus est, statuere co-

ram Nobis debeat in sex septimanis, a die indictae et decretae sibi hujusmodi expurgationis, qui si in probatione, et in sui expurgatione defecerit, pro convicto habebitur, et poena falsi punietur. Si vero in se expurgando non defecerit, absolvi a crimine illi objecto debeat, ubi tamen posthac de hoc ipso crimine falsae monetae, ex quo se semel modo praemisso expurgaverit, accusatus, inculpatus, et testimonijs hominum civilis, plebeae, aut alterius conditionis, convictus modo supradicto fuerit, ad aliam expurgationem non admittetur, set ut falsarius, poena debita punietur, ac bona ejus confiscabuntur, caputque, vita et salus ejus, erit in gratia nostra Regia. Citatus autem literis citationis nostrae de falsa moneta, comparere coram Nobis debeat; non revocando se ad Districtum, et si in primo termino non comparuerit, citabitur secunda citatione, et terminus tam primae, quam etiam secundae citationis, debet illi assignari et praefigi in quatuor septimanis a die positionis et executionis ejusdem citationis, qui si in secundo termino non comparuerit, pro convicto habebitur, sive is fuerit possessionatus sive non, debeatque banniri de Regno, et bona ejus confiscari, et praesens statutum durabit ad vitam nostram.

477 Et quia non verentur plurimi prohibitionem viae in Silesiam multiplicibus modis transgredi, in contemptum decretorum et mandatorum nostrorum, et in pessimum inobedientiae exemplum, volentes tam custodes, quam etiam negotiatores, hanc ipsam prohibitionem nostram transgredientes, coercere, statuimus cum universis Consiliariis, et Terrarum Nuntiis, quod quicumque deinceps compertus fuerit, eandem prohibitionem nostram transeundi cum mercibus, aut frumentis qualibuscunque in Silesiam, ultra fines Regni nostri transgressus esse, et capite et bonis omnibus puniri debeat. Qui vero non fuerit in transgrediendo deprehensus, sed vel furtim, vel coniventia Capitaneorum transgressus, et de hinc domum reversus, si testibus idoneis convictus fuerit, eam transgressionem commisisse, poena capitis punietur. Si autem quispiam Capitaneorum permiserit aliquem, contra ipsam prohibitionem nostram in Silesiam transire, et Capitaneus suo officio privari, et alia quae Nobis condigna videbitur, animadversione puniri debeat. Si vero fuerit Capitaneus qui bona nostra habuerit oppignorata, perdere debeat absque ulla spe veniae, summas omnes pecuniarum, quas in ipsis bonis nostris habuerit inscriptas, eademque bona ad Nos ipso facto devolvi debebunt. Quodsi Burgravius, Vice-Capitaneus, aut Notarius Capitanei, modo supradicto excesserit, et idoneo testimonio convictus fuerit, quod aliquem contra prohibitionem nostram transire in Silesiam permisisset, quovis colore, vel praetextu, illum, ejus dominus, vel evincere, vel ad poenam capitis et honorum, Nobis extradere debeat, atque huic constitutioni et decreto nostro, universi homines, tam nostri, quam sub-

ditorum nostrorum, spiritualium et saecularium subjacebunt, nec quisquam exemptus esse debeat.

478 Quod ad violentias, quae in civitatibus et oppidis Regni nostri committuntur attinet, si quispiam nobilis violentiam ipsam perpetraverit, et in civitate, seu oppido, civem vel hominem aliquem verberaverit, aut injuriam aliquam per violentiam cuiuspiam intulerit, detineri quidem, seu comprehendi ab officio civitatis poterit, sed judicari, et ad poenam condemnari, non nisi sub praesentia Officij Castrensis debeat.

Statuimus etiam, quod Sanctimoniales ordinem aliquem a Sede Apostolica approbatum professae, tametsi mundo et bonis temporalibus renuntiaverint, nihilque proprium habere possint, quia tamen non sunt ubique debito modo provisae, et concessum sit illis ex indulgentia Sedis Apostolicae, ut succedere possint in bona paterna et materna ad se revoluta, de illisque libere cum auctoritate superiorum suorum disponere, quia multae querelae subditorum nostrorum ad Nos deferebantur, qui indigne ferebantur, quod ipsae sanctimoniales succedere deberent in bonis suis paternis, et maternis, ad cas post mortem parentum, aut consanguineorum earum devolutis, jureque illas ab ejusmodi successoribus repellere nitebantur. Volentes hujusmodi querelas cohibere, et easdem sanctimoniales in bona gratia et favore, consanguineorum conservare, illarumque necessitatibus benigne prospicere; statuimus et ordinamus de consilio et consensu Consiliariorum Regni nostri status utriusque, et Nuntiorum Terrestrium, quod moniales ipsae, ordinem regularem professae, et in coenobijs ac claustris manentes, succedere tamen possunt ad bona paterna et materna, quae ad eas devoluta legitime fuerint, alienare tamen illa consanguineis et propinquis, aut in alienas personas quoquo modo transferre, nullo modo valeant, sed cum primum ad eas, aut earum aliquam, ea ipsa bona devoluta fuerint, jure legitime successionis ac devolutionis, proximiores consanguinei seu agnati et cognati earum, illa tenere, eorumque possessionem adimere debent, et ex illis medietatem omnium censuum et proventuum pecuniariorum, illis et cuilibet illarum solvere erunt adstricti, vita illarum durante. Reliquam vero medietatem proventuum pecuniariorum, simul ac fructus omnes, ex bonis illis provenientes pro se retinebunt, et ex illis onera Reipublicae Regni, et bellicae expeditionis sustinebunt.

Quodsi bona ad moniales ipsas devoluta, nullos proventus pecuniarios habuerint, essent tamen in illis praedia, seu piscinae, seu molendina, vel prata, vel sylvae caeduae, aut mellificia, aut agri, quae locari possint, et aliae id genus utilitates, quocunque nomine censeantur, in eo casu, Episcopus et Ordinarius loci, seu ejus in spiritualibus Vicarius, cum Capitaneo Terrae, seu Districtus illius, in quo bona ejusmodi consistunt, disquirent diligenter, quantum ex ejusmodi

479 bonis provenire in anno possit, illaque et obventiones, seu utilitates, quae ex illis annis singulis provenire possent, diligenter taxabunt ac aestimabunt: et ad quemcunque summam illa taxaverint, consanguinei praedictarum monialium, qui bona ejusmodi tenebunt, solvere illis, et cuilibet earum respective medietatem ejusdem summae, quotannis, absque omni contradictione tenebuntur.

Et si iidem consanguinei in solvendo negligentes et remissi fuerint, et moniti literis monitionis Domini Episcopi, seu loci Ordinarii, aut ejus in spiritualibus Vicarij seu Officialis, illis satisfacere de bonis illarum temere noluerint, ac demum propterea excommunicati, tres menses censuras ecclesiasticas sustinerint; extunc libertatem et facultatem habebunt moniales praedictae, bona sua hujusmodi alteri cuiuspiam consanguineo, aut etiam extraneo, locandi, seu arendandi pro arbitrio suo, ad vitam suam, post mortem vero illarum, eadem ipsa bona earum, ad proximiores illarum consanguineos rursus devolventur, et devolvi debebunt.

Caeterum, considerantes subditorum universi Regni detrimentum, relaxavimus de consilio et consensu universi Senatus Regni nostri, et Nuntiorum Terrestrium, suspensionem libertatum, quae erat ad quinquennium facta a solvendis teloneis antiquis, omnibusque ad primum statutum restitutis, ipsam suspensionem penitus sustulimus.

Et quia incerta est futurorum eventuum cognitio, nec adversus illos certa consilia dari, aut provisiones fieri possunt, erit in potestate nostra ex decreto praesentis Conventus, generalem belli motionem facere, ubi talis necessitas ingrueret, ut illi per praesidia decreta, obstari non posset, harum quibus sigillum nostrum est impressum, testimonio literarum. Datum Cracoviae in Conventu Generali, feria tertia proxima post Dominicam Reminiscere. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo, Regni nostri, anno vigesimo primo.

Ad mandatum Regiae Majestatis proprium.

TAXATIO FUNDORUM.

SIGISMUNDUS

Dei gratia Rex Poloniae, M. D. Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, etc. Dominus et Haeres.

Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis; quia cum fatali quadam adversitate, hactenus contingere non potuit; ut certa, stabilis, et opportuna defensio, adversus continuos et anniversarios hostes Regni nostri staretur: ita ut quotannis Nos Conventus agere, et novos semper tractatus, de ipsa defensione facere oporteat: factum est, ut pene quotannis ingentia damna, Regno et Dominiis nostris inferantur: et Respublica in deterius semper labi videatur. Quare cum per statutam, anno supe-

riori debilem ac incertam defensionem, maxima damna Regno nostro essent illata; Regnumque Ungariae summam cladem accepisset: nolentes deesse Reipubl. tantis discriminibus expositae, et solidiorem aliquam defensionem constituere: indixeramus Conventum Generalem Cracoviensem, in quo una cum universis Consiliariis et Nunciis, anxie disquirentes, et in medium consulentes, de certo et firmo aliquo defensionis modo, tandem ad infrascriptas constitutiones omnes convenimus, et ut in executionem devenirent, decrevimus.

Inprimis statuimus Conventus particulares, in singulis Palatinatibus Regni nostri; videlicet in Palatinatibus Terrarum Majoris-Poloniae, pro feria secunda proxima post Dominicam Conductus Paschae, in Palatinatibus vero Terrarum Minoris-Poloniae, ad feriam tertiam proximam ad Dominicam Judica futuram. Ad quos quidem Conventus, Palatini et omnes dignitarii, Castellani, Capitanei et Officiales, totaque nobilitas uniuscujusque Palatinatus convenire debent sub poenis nostris Regalibus, et in eis Palatini, Castellani et Terrarum, qui ad hunc Generalem Conventum Cracoviensem erant missi, declarabunt communi nobilitati; quod decreta est in hoc ipso Generali Conventu Cracoviensi taxatio omnium bonorum seu fundorum: hoc est, civitatum, oppidorum, et villarum totius Regni, praeter bona nostra Regia: quae libera sunt, et non oppignorata, juxta decretum Conventus Petricoviensis, ante biennium habiti, quod poni debet hoc anno in executionem.

In his autem Conventibus quisque Palatinus, cum Castellanis, officialibus, et nobilibus sui Palatinatus, eligit et designabit ad singulos Districtus unum Castellanus illius Districtus, et duos viros nobiles ejusdem Districtus: sic quod ad singulos Districtus, sit electus et designatus Castellanus et duo nobiles ejusdem Districtus fide digni, probatae virtutis, ac bonae conscientiae: ad ipsos fundos seu bona terrestria taxanda. Quodsi non fuerit in aliquo Districtu Castellanus: eligit Palatinus alium dignitarium seu officialem illius Districtus: de consensu dignitariorum, officialium, ac nobilitatis, quae ibi fuerint: aut majoris partis ipsius.

Hi vero omnes supradicti, jurati esse debent: Palatinus et Castellanus sub eo juramento, quo Nobis et Reipubl. Regni nostri obstricti sunt, dicti vero duo illi nobiles ex communitate electi corporale juramentum praestabunt, quod omnium et singulorum bona juste taxabunt et conscribent, ita, ut si illa vendi, aut emi deberent: non habita ratione sanguinis, aut amicitiae, vel cujuscunque necessitudinis: neque ex amore, prece, pretio aut odio: nec propter munera aut pollicitationes: nec metu aut timore, sed pure, sincere, ac secundum Deum et justitiam.

Quisque autem Palatinus, cum Castellano primario, et duobus nobilibus, ex communitate electis, initium faciet ejusmodi taxationis bonorum,

feria secunda post festum SS. Trinitatis proxima: et primus ipse capitale Districtum sui Palatinatus obequitabit: videndo aestimando, et taxando cujusque bona, a suis proprijs incipiendo: si illa in eodem Districtu capitali habuerit, sive illa sint haereditaria, sive obligatoria, secundum industriam, discretionem et conscientiam, et descendendo personaliter cum sibi adjunctis, Castellano et nobilibus, ad singulas parochias ejusdem Districtus, et ubi opus fuerit, et dominis Taxatoribus ita expedire videbitur, etiam ad villas ipsas, civitates et oppida, situm proventus omnes, diligenter perpendendo et disquirendo: et ibidem valorem, aestimationem bonorum illius parochiae, vocato ad se Plebano, aut ejus Commendario, et alijs hominibus, tam nobilibus quam plebeis, omnis ordinis et status circumadiacentibus inquirere, nulli favendo; sed Deum, et conscientiam, prae oculis habendo, ac ipsam taxam; et valorem singulorum bonorum ejusdem, fideliter conscribi et annotari faciet.

Quo exemplo alij Castellani, cum duobus nobilibus juratis ibunt per districtus sibi deputatos illius Palatinatus, et taxationem omnium bonorum; descendendo ad parochias, modo praemisso facient et fideliter conscribent.

Ibit autem unus Castellanus post alium, infra unam septimanam, (si et in quantum priorem Districtum absolverit) per alios singulos Districtus: propterea ut nobiles in diversis Districtibus bona haereditaria habentes, taxationi suorum bonorum interesse possint: id quod facere debent, et tenebuntur, sub poenis nostris Regalibus. Vel si ipsimet personaliter commode interesse non valent: vices suas amicis, vicinis familiaribus, aut officialibus suis, committere possint; alioquin eorum bona nihilominus taxabuntur, et taxari debent: absentia illorum non obstante.

Et quoniam in omnibus Palatinatibus et Districtibus domini spirituales habent bona sua ecclesiastica, seu fundos; quae licet nunquam alias subjecta erant oneri bellicae servitutis; ut quae per Serenissimos Praedecessores nostros Poloniae Reges, et Duces, sunt ab initio fundationis ecclesiarum, ad usum duntaxat et onera ecclesiae collata: multisque immunitatibus et libertatibus donata; tamen in praesenti Regni necessitate et summo discrimine, volentes ipsi domini spirituales, sibi et ecclesijs suis gratiam nostram Regiam demereri; fratribus vero suis Dominis saecularibus gratificari: Reique publicae (pro cujus bono statu orare tenentur) ope sua non deesse; permiserunt etiam non gravatim bona sua ecclesiastica hactenus semper libera, cum his quae ad defensionem obligata sunt, in praesens taxari: ita ut bona dominorum saecularium taxabuntur. Et proinde Domini Archiepiscopi et Episcopi, designabunt duos viros ecclesiasticos, bonae fidei et conscientiae ad quemlibet Palatinatum, qui una cum taxatoribus per Palatinum, Castellanos, officiales, et nobilitatem electis seu eligendis, taxabunt bona omnia tam

spiritualium quam saecularium personarum: et hi primum cum Palatino et Castellano primario, ac duobus nobilibus electis, capitalem Districtum obequitabunt, per singulas parochias: et simul cum illis, bona ejusdem Districtus taxabunt, et aestimabunt, modo suprascripto, secundum Deum, et conscientiam, sublato amore, favore, metu, prece, odio, etc.

Iidem spirituales designandi per Dominos Archiepiscopos et Episcopos, ituri deinceps sunt successive, per alios Districtus illius Palatinatus et bona omnia, tam spiritualia quam saecularia, cum Castellanis et nobilibus electis, seu eligendis taxabunt, modo et ordine suprascripto: et non erit opus, ut ad singulos Districtus eligantur seu designentur alij et alij spirituales, prout taxatores saeculares, qui ad singulos Districtus eligi et designari debent; sed ad totum Palatinatum, et Districtus illius omnes, duo duntaxat Taxatores spirituales, incipiendo a primo et capitali Districtu bona omnia (ut supra dictum est) cum Taxatoribus ad singulos Districtus electis seu eligendis, taxabunt seu aestimabunt. Verum praestabunt prius juramentum corporale, in manibus sui Episcopi: quod non amore, prece, odio, metu, favore, etc. sed juste et secundum Deum, ac conscientiam, ac justum rationis suae iudicium, bona omnia taxabunt et aestimabunt.

Si vero Taxatores spirituales et saeculares, inter se fuerint discordes, in taxatione aliquorum bonorum spiritualium aut saecularium: hujusmodi differentiam et quibus rationibus et causis quaeque pars niteretur, et assertionem ac motum animi sui fulciet, describent; et ad Nos, ad proximum Generalem Conventum, perferent, revidendam per Nos et Consiliarios nostros, et justitia mediante decernendam. Peracta autem in singulis Palatinatibus, et Districtibus eorum taxatione suprascripta: descriptisque diligenter omnibus differentijs, si quae circa eam exorientur; eam Palatini ipsi, Castellani et Taxatores spirituales et saeculares suprascripti, in singulis Palatinatibus conscribent: ac in registra, seu libros redigent, ac redigi facient: illaque manibus proprijs subscripta, sigillis suis obsignabunt, quae Palatini ipsi Terrarum, ad se recipient, et Nobis afferent, ad proximum Conventum: in quo Nos cum Consiliarijs nostris, et Terrarum Nuncijs, visis, perspectis, et mature perpensis taxationibus omnium bonorum, constituemus modum, et ordinationem defensionis Regni nostri; qui eidem Regno utilis, et subditis nostris tolerabilis, et ferendus sit futurus; idque quod Nobis in ea ipsa taxatione bonorum moderandum, agendum, et minuendum videbitur, facere constituere cum Senatu Regni nostri, et Nuntijs Terrarum curabimus. Quia vero Nos ferimus multa onera, in sustinendo statu nostro Regio, et expediendis Reipubl. negotijs; non visum fuit, ut bona nostra Regia, quae libera et non oppignorata habemus, subijcerentur taxationi suprascriptae, quoniam Nos pro officio ac debito nostro, proque virtute ac

benignitate nostra Regia, nunquam deesse solemus, nec unquam deesse volumus, viribus et facultatibus nostris defensionem ipsius Regni et subditorum nostrorum. Verum bona reliqua nostra omnia Regia, in summis pecuniarum quibuscunque obligata, subjecimus et subijcimus taxationi suprascriptae: quae perinde taxari et aestimari debent, ac aliorum subditorum nostrorum, spiritualium et saecularium, bona haereditaria et obligatoria taxabuntur.

Quocirca vobis omnibus, Palatinis, Castellanis, caeterisque dignitarijs et officialibus, ac universis subditis nostris tam spiritualibus quam saecularibus Regni nostri, praesentem constitutionem Conventus Generalis denunciamus mandamusque vobis: ut illam eo ordine et modo, ut praemissum est, diligenter exequamini, pro fide vestra, ac gratia nostra non aliter facturi. Datum Cracoviae in Conventu Generali feria tertia proxima post Dominicam Reminiscere. Anno Domini 1527 Regni nostri anno 21.

SIGISMUNDUS REX.

AD CONSILIARIOS TERRARUM PRUSSIAE DE DECIMIS EPISCOPO VLADISL: PENDENDIS.

Magnifici et Generosi sinceres Nobis dilecti. Accepimus literas vestras, quibus nescimus prolixè ne magis ac indigne Nobis, cum adversus decretum nostrum, quod de solvendis decimis Domino Episcopo Vladislau. anno superiore iuste et aequanimiter tulimus, respondetis, idque agitis, docentes Nos quasi novum aut desultorium Christianum, de lege Gratiae, de sublato Sacerdotio Levitico, de non contribuendo pastoribus nisi pascant, alijs et tritis jam Apostatarum cantilenis non temperantes interim ab aculeis in suum Episcopum, et Pastorem. Unde vehementer miramur, quae est ista nova Christiana ratio. Quia per legem Gratiae, quae tantum legi iram operanti contradicit: per libertatem Evangelicam, quae solum servituti peccati opponitur, duplex, idque ingens peccatum adversus Divinas et humanas leges committitis. Alterum non reddendo proximo suo atque adeo Pastori quae sua sunt: alterum literis et decretis Principis sui non parendo. Si per legem Gratiae liber est populus a solvendis decimis quae Ministris Dei debentur, eadem lege liber erit a solvendis tributis quae alijs Ordinibus et potestatibus debentur. Nam lege Gratiae omnes pariter christiani in unam libertatem sunt asciti. Si ob hoc quod sublatum est sacerdotium judaeorum, non plus habent sacerdotij christiani sacerdotes, quam id quod commune est omnibus, neque illis suos proventus deberi: pari ratione abolito Regno judaeorum, christiani non plus erunt Reges, quam caeteri christiani, nam per legem Gratiae omnes ex aequo Regale sacerdotium esse censentur. Quod si christiani Principes decimas et

proventus successoribus Apostolorum non recte contulerunt, minus recte Apostolis ipsis primi illi christiani precia bonorum suorum omnium conferebant. Si nefas est Pontificem ob non reditas decimas populum excommunicare, majus erit nefas quod Apostoli ob negatam pecuniam ecclesiae dicatam, utraque morte condemnabant. Si non pendendum est Pastori, nisi pascat, et doceat: non pendendus erit etiam a plebe suus census Ordini seu statui militari, nisi militet, et populum Dei tueatur: si denique non sunt valida dotes et privilegia Majorum et Antecessorum nostrorum ecclesijs collata, cujus erunt firmitatis illa alijs Ordinibus sub paribus signis, pari atramento, et pelle, concessa? atque hae sunt illae Evangelicae rationes quae nunc orbem terrarum seditioibus, tumultibus, perjurijs, et sacrilegijs implent. Gravi igitur et molestissimo animo ferimus, quod adversus decretum, nostrum tales literas, talibus impijs dogmatibus consutas miseritis, quae non solum indigna sunt auribus nostris, et ab universa Ecclesia catholica damnata: sed etiam a Nobis et alijs christianis Principibus publicis edictis vetita. Et proinde denunciamus vobis hanc immutabilem sententiam, et voluntatem nostram quod decretum ipsum nostrum juste et legitime latum nulla ex parte mutaturi, neque Dominum Episcopum, et jura ipsius, nostro debito patrocinio deserturi sumus. Et si in ea contumacia perseverare volueritis: Nos id quod ad justum et christianum Principem attinet, exequemur. Datum Petricoviae decima Januarij. Anno Domini 1528.

AN DUX PRUSSIAE

AD ELECTIONEM REGIS POL. PERTINEAT?

QUODQUE AB EO AD REGIAM M. VEL ALIOQUIN COMMUNES ILLORUM COMMISSARIOS APPELLETUR. PRAETEREA R. M. LITERAS PUBLICAE FIDEI ALIQUA INJURIA IN PRUSSIA GRAVATIS DABIT.

RESPONSUM

DATUM ORATORIBUS DUCIS DE PRUSSIA SUPER FACULTATE ELIGENDI REGIS.

Quod Legatio Illustrissimi Domini Ducis Prussiae inprimis continebat, de facultate eligendi Regis: super eo negotio expendens Majestas Regia una cum universis Consiliarijs suis singularem in se et Regnum suum propensionem ejus Illustritatis, proindeque cupiens illi hac in re ex animo gratificari, revolvit Majestas sua uti se facturam receperat cum jura et privilegia tum vero acta et consuetudines Regni veteres, comperitque adeo diligenter cautum et observatum esse omni tempore, ne quis alius excellentioris ordinis praeter Consiliarios Regni jus eligendi Regis haberet, ut etiam et Duces Mazoviae qui Principes erant indigenae Regij, et Domini na-

turales hujus Regni, post obitum Patris neque locum neque vocem eligendi Regis habere potuerint. Sed et Magistri Prussiae qui homagia Regibus et Regno Polon: praestabant, non solum ut principes, sed etiam ut Consiliarij Regni qui pari modo loca in Senatu habebant hoc ipsum jus electionis obtinere non potuerunt. Proinde cum Illustris: Dominus Dux Prussiae ut prudens Princeps satis intelligat nihil esse perniciosius in omni Repub: quam aliquid adversus leges et instituta vetera perpetua serie et usu approbata committere, neque aliunde graviores casus et perturbationes oriri, boni consulere dignetur ejus Illustritas, quod Majestas Regia et universi Consiliarij Regni qui ejus Illustritati integerrimo animo afficiuntur, non possunt eam rem ut insolitam et institutis Regni adversam concedere. Praesertim cum id omnibus Conventibus exigant universi regnicolae, ut nihil adversus jura et morem Regni veterem statuatur. Neque mirum aut indignum videri debet ejus Illustritati, quod habens locum suum in Consilijs, Terrarum Comitij, et Conventibus Generalibus, ad Electionem Regis non pertineat: cum itidem non pertinebant Antecessores ejus Illustritatis, ac Duces Mazoviae, et hic fuit mos et usus in hoc Regno ab initio receptus et observatus. Sed et in Germania ubi vigent leges Caesareae, non omnes Principes jus habent eligendi Caesaris, qui locum suum habent in Conventibus publicis. Similiter in Regno Bohemiae, et alibi quod notius est quam ut explicari sit opus. Alioquin nisi res esset adversus jura et instituta Regni quae Majestas sua et Consiliarij universi gratificarentur ejus Illustritati, propter hanc illius erga Majestatem Regiam et Regnum ejus quam omnes cognoscunt propensionem et observantiam, neque ullo pacto sibi aliter ejus Illustritas persvadere dignetur.

A DUCE PRUSSIAE AD REGIAM M

APPELLETUR, QUAE ETIAM LITERAS PUBLICAE FIDEI DABIT. RESPONSUM ORATORIBUS DUCIS PRUSSIAE IN CONVENTU PETRICOVIEN: DIE 10 JANUARIJ DATUM.

Quod ad appellationes ab Illustrissimo Domino Duce Prussiae ad Majestatem R. interpositas, et interponendas pertinet: nemo vel mediocriter in luce versatus ignorare potest, proprium esse jus uniuscujusque Superioris Domini, ut ad ipsum a quovis subjecto et vasallo appelletur. Quippe quod non aliunde magis Dominium et subjectio dignoscitur. Cum itaque privilegium ejus Illustritati concessum clare testetur, ejus Illustritas se cum omnibus conservare debere erga Majestatem suam, uti fidelem subditum et vasallum de jure decet et articuli transactionis satis declarent Majestatem suam ea duntaxat privilegia et immunitates ejus Illustr: confirmasse, quae huic transactioni et superioritati Majestatis suae non repugnarent: neque de appellationibus quae jure et consequentia propria ad superioritatem pertinent, aliquid est exceptum; nemini dubium

RENOVATIO PACIS

ET CONCORDIAE PERPETUAE,

Inter Serenissimum Regem D. Sigismundum, ejusdemque S. R. M. Filium D. Sigismundum Augustum in M. D. Lit. Electum ex una,

et

Illustriss. Principem D. Albertum Marchionem Brandenburgensem. et in Prussia Ducem ex altera partibus facta 21 Junij a. 1529.

In Nomine Domini, Amen.

Sagax humanae naturae providentia, labilitate memoriae suae pensata, prudenter advenit, ut gesta hominum memoratu digna, ne sub temporum vetustate, oblivionis caligine obducantur, literarum monumentis et ministerio, posteritatis prodantur notitiae. Ad perpetuam proinde rei memoriam Nos Sigismundus Dei gratia, Rex Poloniae, M. Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviaeque Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis et singulis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris: quod licet dudum jam inter Sereniss. atque Illustrissimos olim Principes, Dominos Vladislaum Regem Poloniae, et Alexandrum Magnum Ducem Lithvaniae, Praedecessores, et Avos nostros charissimos, eorumque Domina, Regnum et Magnum Ducatum, ac Terras ac populos eis subjectos ex una, et Venerabilem et Magnificum olim Dominum Paulum de Rusdorff Ordinis Hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum Hierosolymitani in Prussia Magistrum Generalem, ejusque Ordinem, Terras et populos ex altera partibus, omnibus et singulis gverrarum ac differentiarum inter partes ipsas hinc quomodolibet extortis dispendijs et anfractibus sopitis et extinctis, foedus pacis perpetuo, firmiter et inviolabiliter utrinque tenendum et observandum ininitum sit, et contractum certis et autenticis literis seu inscriptionibus communitum et roboratum. Ne tamen unquam futuris temporibus, quorum vetustate, conditionum varietas afferri solet, aliquid de et super contractu ipso ambiguitatis quoquo modo exoriatur, in detrimentum ipsius pacis perpetuae et concordiae, qua nihil humanae vitae conducibilis est et commodius, et contra, discordia rebus humanis nihil perniciosius. Volentes itaque Dominiorem et subditorum nostrorum tranquillitati, ad futura saecula etiam consulere, necnon optatis et petitioni Illustris: Principis Domini Alberti Marchionis Brandenburgensem. ac in Prussia, Stetini, Pomeraniae, Cassubarum, Sclavorum Ducis, Burgrabij Norinbergen. Nepotis nostri charissimi; innovationem contractus ipsius, foederis, pacis perpetuae fieri exoptantis, benigne annuentes: contractum ipsum foederis, pacis perpetuae, ita ut praemittitur inter Divos olim Praedecessores nostros, Regem et Magnum Ducem praedictos, et Ordinem, Dominaeque et

esse debet ad Majestatem suam jus appellandi pertinere, quemadmodum et alia omnia superioritatis jura pertinent, quae non sunt in privilegio nominatim exempta et excepta. Siquidem sublatis appellationibus nullum extaret verae superioritatis vestigium.

Similiter et de dandis a R. M. salvis conductibus intelligi debet. Ea etenim res non modo conveniens est et justa, sed etiam pro conservando communi statu et tranquillitate apprime necessaria. Ex denegatis enim appellationibus et salvis conductibus a superiori domino, oriri solent diffidationes, depraedationesque communium subditorum, ex quibus et ad bellum plerumque pervenitur. Majestas vero Regia neque debet neque vellet ulla in re adversa ejus Illustritati ac subditis ejus unquam deesse. Quare hortatur Majestas sua ejus Illustritatem, ut quae propria sunt Majestatis suae et juris ejus superioris, his ejus Illustritatis non nitatur Majestatem suam privare, et transactionem factam, quae satis clara est, istis disceptationibus in alium sensum torquere et labefactare, in praejudicium M. suae et communis boni status detrimentum. Quodsi utique molestum id esse deberet ejus Illustritati, quod merito esse non debet, neque illam justae rationes M. suae permoverent, licet esset cum dispendio juris et auctoritatis M. suae, tamen potius quam ejus Illustritati Majestas sua displicere in hoc deberet, ita se conservare dignabitur in causis tam appellantium, quam etiam qui sub salvis conductibus justitiam querunt, ut est in causis, si quae inter Majestatem suam et ejus Illustritatem inciderent, expressum in privilegio transactionis articulo decimo septimo, qui incipit: *item quod ad jurisdictionem inter Majestatem R. et Principem attinet* etc. deputare videlicet dignabitur Consiliarios suos, et illos quo ad ejusmodi actus a juramento sibi obnoxios absolvet, et justitiam ministrare praecipiet. Eos vero Judices cum in causis proprijs ejus Illustritas suscipere non recusavit, in alienis merito refutare non debbit.

De eisdem appellationibus.

Quanquam in literis homagialibus III. Ducis Prussiae extat definitum, quia apellationes ab ipso Duce Prussiae interpositas Commissarij ex utraque parte tam videlicet a Nobis quam ab ipso Duce Prussiae deputati cognoscere debent; nihilominus quia illic non est descriptum, neque adjectum, cum ipsi Commissarij inter se essent discordes ac sententijs variarent: quis nam ulteriorem cognitionem et judicium earum apellationum facere deberet? propterea hunc articulum distulimus ad adventum Ducis Prussiae in his nuptijs M. R. junioris filij nostri futurum. Cum quo de hoc articulo bonis modis constituemus; ad hoc vero tempus omnes apellationes earum partium quae a Ducis Prussiae judicio ad Nos tanquam ad Superiorem Dominum provocaverunt, in suo robore et valore relinquimus.

Terras partis utriusque initum, in literisque circa lacum Melvo apud flumen Ossa datis, et in aliis descriptionibus desuper secutis, contentum et descriptum, nostro et Illustrissimi Principis Domini Sigismundi Augusti in Magnum Ducem electi, Filii nostri charissimi, nominibus, ac inter Nos et ipsum Filium nostrum, Dominiumque nostrum, hunc Magnum Ducatum Lithvaniae ex una; et praefatum Illustrem Principem Dominum Albertum Marchionem Brandeburgen. in Prussia Ducem, Nepotem nostrum charissimum, ejusque Ducatum et Terras Prussiae, et populos ei subjectos ex altera partibus: refricandum seu innovandum duximus, innovavimusque, atque per praesentes innovamus; et propter evidentioremodi innovationis notitiam, articulos infrascriptos, ex tenore literarum seu inscriptionum antiquarum nihil penitus immutando extractos, praesentibus duximus esse inferendos.

489 Et primum de limitibus, quibus Terrae Magni Ducatus nostri Lithvaniae et Samogitiae a Terris Ducatus Prussiae ab invicem separantur et dividuntur, praeposendum consumimus, cujus tenor is, qui sequitur.

Item a fine limitum Ducum Masoviae incipiendo a flumine Lyk a vado dicto *Kamienny brod*, quod jacet in superiori parte ejusdem fluminis Lyk, altius quam isti lacus Greywo et Totzylaw, et ab illo loco directe eundo per solitudinem usque ad lacum, qui dicitur Rogorch, ita quod medietas, ejusdem lacus, in Terris remaneat Domini Ducis Lithvaniae, et reliqua medietas in Terris Ducatus Prussiae, et ab illo lacu directo tramite per desertum usque ad quandam aream dictam *Provoysty*, ab illa area continuando iter directum usque ad aream dictam *Merunischk*, et a *Merunischk* eundo directe usque ad lacum, qui vocatur *Dwystycz*, ita tamen quod idem lacus remaneat totus in parte Ducatus Prussiae, et ab eo lacu, quo directius iri potest ad ortum seu summitatem fluminis dicti *Lepuna*, per eundem fluvium descendendo usque ad consummationem ejus, ubi intrat in fluvium *Syrowintha*, et ulterius descendendo eundem fluvium *Syrowintha*; usque ad consummationem ejus, ubi intrat fluvium *Sessuppa*, et ulterius directe procedendo per solitudinem usque ad ripam fluminis *Memel*, ex opposito fluminis dicti *Swantha*, ubi idem fluvius *Swantha* intrat fluvium *Memel* praedictum: et hoc quo ad Terram *Sudorum*. Eundem fluvium *Swantha* sursum, ascendendo per duo milliaria, ab illo loco illum fluvium descendendo, transeundum est per solitudinem, quo directius iri potest usque ad fluvium *Jura*, relinquendo fluvium *Memel* in sinistro latere, ubique per duo milliaria, et dictum fluvium *Jura* ascendendo unum milliare ab eo loco *Jura* fluvius deserendus est, et transeat per solitudinem relinquendo fluvios *Memel* et *Rusna* lacum, qui dicitur *Hap*, et castrum *Memel* in *Samogitto Clupedo* appellatum, undique a sinistro latere per tria milliaria, et sic trans-

eundum est ad littus maris salsi. Et haec sunt granities Terrae *Samagitarum* et *Prussiae*.

Item ne circa limites displicentiae seu controversiae valeant suscitari, volumus limites de quinquennio in quinquennium innovari, ubi altera aut utraque pars innovationem petierit, ita tamen ne altera pars alteram remoretur.

Item liber sit transitus et via omnibus mercatoribus et incolis Terrarum, ac Dominiorum Ordinum, scilicet Domini Ducis Prussiae, cum suis mercantiis et frumentis, cujuscunque grani et rebus quibuscunque et cujuscunque conditionis, vel materiei existant, sine impedimento et angaria, per terras, maria, aquas et flumina quaecunque ascendendo, in et ad Regnum Poloniae, Terras Lithvaniae et *Samogitarum*, ac descendendo per Terras nostras ac per ipsa flumina et aquas, usque ad Ducatum Prussiae, in navibus vacuis seu oneratis, magnis sive parvis in perpetuum, quocunque et quotiescunque voluerint, absque aliquo arresto et impedimento cujuscunque, hoc tamen cauto, ne nova itinera aut viarum diverticula quaerant, et ut si aliquae novae viae quaesitae essent utrinque abrogentur et cessent, quae santiuntur propter coerenda homicidia, latrocinia, furta et rapinas, et ne telonea antiqua utrinque defraudentur. Quas quidem merces, frumenta et res, ut praescriptum est, si praefati mercatores seu incolae Terrae Prussiae eas ducentes vendere aut stare in aliquo locorum seu civitatum solitorum et solitarum ad portum seu ripam praedictarum aquarum sive maris situatarum vel situatorum voluerint, est, et debet esse in ipsorum arbitrio et voluntate; si vero vendere noluerint, possint absque omni impedimento ire, seu ascendere, seu descendere quo eis placuerit, cum rebus praedictis, ut superius est expressum, teloneis et depositis similiter usibus et consuetudinibus antiquis, ut infra salvis.

Item subditi Ducatus Prussiae, cujuscunque status vel conditionis fuerint, qui causa negotiationis, vel alia ad Terras Magni Ducatus Lithvaniae venerint, per Nos, subditos nostros, aut extraneos, cujuscunque status, gradus aut conditionis fuerint, minime inpeti, conveniri debent, vel arrestari. Sed si nostri subditi, quid actionis contra illos habuerint, convenient eosdem in locis ubi domicilia vel forum habent, ibique juxta Terrarum jura municipalia hujusmodi concertationes sopiantur. Si autem subditi Magni Ducatus nostri Lithvaniae aut Ducatus Prussiae, a Magistratibus utriusque nostrum id consequi non possent, aut executionis plus aequo longiorem moram sustinere cogentur, his casibus arrestatio seu personarum, seu bonorum et rerum duntaxat principalis rei aut socij ejusdem contractus permittatur.

Quodsi ex probatione partium aut judicis sententia constiterit, hujusmodi arrestationem injuste factam, tunc arrestator expensas et damna accusato seu arrestato, similiter Judici multam congruentem persolvat.

491 Delinquens tamen in loco delicti deprehensus, debet puniri, et contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri. Sed si de loco ubi contraxerit, recesserit publice vel occulte coram Judice suo conveniatur, qui expeditam justitiam sub poena hoc et antiquo contractu comprehensa administret.

Item si nautae, vectores vel aurigae bona seu merces mercatorum, pro precio ducentes, telonea seu loca datiarum praeterierint, ipsi duntaxat in navibus, navigijs, vehiculis, curribus, aut rebus et equis suis proprijs punientur, ita quod propterea bona mercatorum non debent occupari nec defineri. Porro si mercatores ipsi cum nautis et aurigis fuerint, teloneaque defraudarint, vel partem bonorum, vel omnia celando, ea bona sive ipsa bonorum pars celata, quantacunque fuerit, Duci Prussiae cedat.

Item nullus mercator, seu alius homo cujuscunque conditionis existat, aut bona ipsius propter delictum seu debitum alterius arrestentur, molestentur, turbentur, nec etiam captivetur, nisi socij essent, ut praemittitur ejusdem contractus.

Item datio sive exactio dicta *pfundtzoll*, Duci in Prussia, a subditis Magni Ducatus nostri Lithvaniae, supra hominum memoriam et tempus praescriptioni definitum praestita, juxta consuetudinem praescriptam, et hucusque observatam, Domino Duci Prussiae, haeredibus, successoribusque ejus praestari et tradi debet, ab illis duntaxat qui trans mare navigarint. Aliae autem omnes et singulae exactiones, quibuscunque nominibus vocitentur a mercatoribus Magni Ducatus nostri Lithvaniae ac ejus indigenis, et specialiter exactio quaedam dicta *lobegeldt*, et *vierchen* nullatenus de caetero in Terris Prussiae exigatur. Nec Nos in Magno Ducatu nostro imponemus aliquod novum teloneum in praedictum et gravamen subditorum Ducatus Prussiae. Et si quod novum est impositum, in Terris nostris a tempore concordiae et pacis perpetuae circa lacum *Melno* factae, omnino deponatur, teloneis et depositis antiquis, ante scilicet jam dictae concordiae tempora constitutis, semper salvis. Hoc tamen salvo et reservato, quod si telonea nova instituenda fuerint, tunc consensus utriusque scilicet, Majestatis nostrae et Ducis Prussiae ad id requiri debet.

Item si rustici coloni, tabernatores, hortulani et aliae similes personae Terrarum Ducatus Prussiae, qui Dominis suis obligantur, et absque satisfactione condigna juxta consuetudinem earundem Terrarum se receperint, et ad Magnum Ducatum nostrum Lithvaniae publice vel occulte fugerint, Capitanei, Iudices, Officiales et subditi nostri jurisdictionem pro tempore exercentes, qui fuerint requisiti ad restitutionem eorum, cum rebus suis et bonis, quae scilicet ex fundo vel re domini sui acquisierint, ac in bona in quibus deprehensi fuerint, contulerint, eisdem dominis suis sine mora, difficultate et contradictione restituere teneantur, nec de caetero taliter acceptentur aut serventur fugientes.

492 Item si fures, incendiarios, diffidatores vel alios malefactorcs quoscunque de Terris Prussiae quibuscunque ad Terras Magni Ducatus nostri Lithvaniae fugere contigerit, extunc terrigenae, et quorum interest, de Terris et Dominijs praefati Ducatus Prussiae licenter eosdem sine omni impedimento insequi libere ubicunque poterint, quibus etiam Capitanei, Tenutarij terrigenae, Iudices, Officiales, subditi Magni Ducatus nostri, quicunque fuerint super hoc requisiti, debent praestare consilia, auxilia et favores, ut malefici hujusmodi capiantur, captique juxta jura municipalia Magni Ducatus nostri Lithvaniae legitime puniantur, ita tamen ut expensis judicialibus magnis non graventur. Et si capi non poterint in Terris, et Dominijs Magni Ducatus nostri Lithvaniae tunc nullatenus per Nos et Nobis subditos sustineantur seu foveantur: teneaturque utraque pars illis sine fraude et dolo in suis Dominijs incolatum prohibere. Hujus autem mandati transgressor, si a damnum passo occasione receptorum, aut conservationis talium malefactorum nominatus fuerit, judicio sistatur, et debitas legitimas poenas luat.

Item si aliquis de Terris Magni Ducatus nostri, subditis Ducatus Prussiae injuriam intulerit, et super Capitaneus vel alius officialis noster requisitus justitiam non fecerit, extunc pro negligentia hujusmodi ab officio est deponendus, nisi suo de innocentia juramento proprio et corporali se purgaverit. Et nihilominus successor teneatur facere expeditam justitiam requirenti. Si vero is qui pro justitia, ratione delicti, vel alias requiritur, simplex fuerit terrigena et justitiam facere recusaverit, aut neglexerit, extunc damna justitiam requirenti per Capitaneum de bonis terrigenae praedicti compensentur et solvantur, nisi simili se purgaverit juramento.

Item ut Capitanei, Palatini, Officiales seu Iudices partis utriusque Magni scilicet Ducatus nostri Lithvaniae, Samogitiaeque, et Ducatus Prussiae ad administrationem justitiae fortius inducantur, et ne aliqua gravis displicentia inter Magnum Ducem Lithvaniae et Samogitarum ex una: et Ducem Prussiae et Terras ei subjectas pronominate, ac subditos ejus parte altera, imposterum valeat exoriri, singulis annis, dummodo necessitas et casus ipsi hoc exposcant, Nos Magnus Dux Lithvaniae ex Proceribus Ducatus Prussiae duos viros boni testimonij et conscientiae in festo Pentecostes eligemus et similiter Dominus Dux Prussiae, duos Palatinos in praefato festo eligere debebit, et Nobis mutuo quantocius poterimus, hujusmodi electiones personarum scriptis insinuare. Qui in festo Sancti Michaelis convenientes anno uno in Villun, altero in Ragnith, literas DD. et Principum suorum habeant, quibus testatum sit, se liberos esse a juramento praestito, ibique vicissim juramenta tactis sacrosanctis Evangelijs, de justitia facienda, favore, timore, et odij exclusis praestent, puniantque Iudices et Officiales in administratione justitiae remissos et negligentes, secundum jura

municipalia loci delicti; partibus laesis nihilominus faciant justitiam congruentem, vel partes secundum aequitatem et bonam conscientiam componant. Et omnia alia faciant, quae pro confirmatione hujusmodi juratae pacis perpetuae viderint expedire: salvo tamen in praemissis omni legali et legitimo impedimento, Judicium utriusque electorum, propter quod hujusmodi conventio de justitia reddenda, in aliud tempus competentius de ipsorum consensu rejicienda et proroganda erit, seclusis tamen omni odio et fraude.

Item si aliquae novae dissensiones, displicentiae, damna sive discordiae inter Nos (quod absit) nostrasque Magni Ducatus Lithvaniae et Samogitiae Terras ex una, et Dominum Prussiae Ducem Ducatusque ejus ex altera partibus, emergerint, vel aliqua partium evadente diabolo, praesenti concordiae contravenire quovis modo praesumpserit, extunc pars laesa alteri tenebitur nunciis, aut scriptis hujusmodi injurias aut displicentias, seu aliquod praemissorum significare et tandem ambae partes efficere et procurare sine fraude et dolo quod Consiliarij ipsorum ad certos, et diem et locum convenientem competentem, qui a juramentis Principibus suis praestitis absoluti forma infrascripta hujusmodi displicentias et injurias secundum Deum et justitiam omni favore ac odio postpositis tractent, cognoscant, terminent ac decident. Quod si Commissarij praedicti in sententia ferenda discordes fuerint, eligant duos fama et integritate perspicuos viros, ex Provincia partis laesae et conquerentis, ex quibus alterum eligere habet pars laedens et rea: cujus sententiae utpote supremi arbitri partes acquiescant, omni tergiversatione, recusatione, et appellatione semotis.

Item si per aliquem subditum, indigenam seu advenam alicujus nostrum, casu et eventu inscriptioni, seu paci hujusmodi perpetuae in aliquo fuerit derogatum et contraventum, ut si rapinae, spolia, incendia, vastationes, praeda vel homicidia, aut aliqua malefactorum genera, in Terris et Dominij nostris alterutrum perpetrata fuerint, et commissa, quod tamen ut praemittitur, non debet fieri, propterea pax praedicta cassari et irritari non debet, sed in suo robore et firmitate permanebit, nec propter hoc, cujus subditus maleficus hujusmodi commiserit, censebitur fore deierans, seu perjurers. Praedicti autem delinquentes et malefactores, pro ipsorum excessibus per Capitaneos seu Officiales utriusque nostrum judicialiter punientur, et ad satisfactionem plenam ac debitam arctabuntur et compellentur.

Ut autem hujusmodi pacem perpetuam et concordiam sub certiori attentionis firmitate et robore custodiamus et servemus promittimus sine dolo et fraude, sub fide et honore ac onere praestiti juramenti, quod a tempore praesentis innovationis inchoando in futurum ad nullius viventis hominis requisitionem, inductionem, suggestionem, persuasionem vel consilium, etiam quacunque dignitate praefulgeat, Papali, Impe-

riali vel Regali, aut cujuscunque Congregationis legitima personarum ecclesiasticarum vel saecularium, debemus vel poterimus contravenire ipsi Duci Prussiae et illius subditis in parte vel in toto, expresse manifeste, vel occulte, per Nos vel alium, seu per alias quascunque personas submissas, spirituales vel saeculares: neque eas ipsas confoederationes supradictas taliter, aut quocunque modo violare, etiamsi modernus Imperator, aut Successores seu Imperatores personaliter cum exercitu contra Ducem Prussiae se moverent, contra hujus contractus seu renovationis foedus antiquo modo factae, occasione ulla non debemus ipsi Caesari vel alteri cuiunque, nec haeredes, aut Successores nostri debent assistere, ope, consilio, auxilio vel favore. Non debemus etiam nec volumus inimicis et hostibus Ducatus Prussiae quibuscunque passum per Terras nostras permittere, neque etiam confoederationem aliquam facere, aut suscipere in praerudicium et offensionem praedicti Ducis Prussiae quoquomodo.

Quam concordiam atque omnes et singulos articulos supra scriptos, et in ijs contenta, Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviaeque etc. nostro Filijque nostri et Successorum nostrorum, ac Consiliariorum Magni Ducatus nostri Lith: nomine, juramento nostro tactis Sacrosanctis Evangelij in praesentiarum praestito, ac verbo nostro et fide Regijs promittimus, a tempore praesentis innovationis inchoando, in futurum perpetuo et inviolabiliter observare, hoc bona fide et simpliciter promisso; quod si Nos, Haeredes, Successores nostri, stante hujusmodi innovatione pacis perpetuae, et concordia praesenti, contra Ducem Prussiae vellemus aut conaremur guerras aut bella movere, non debent Nobis subditi nostri Magni Ducatus Lithvaniae consentire, nec in hoc obedire aut parere, quinimo ipso facto erunt et sint ab omnibus nostris homagijs, juramentis et subjectio-nibus liberi et soluti, donec in hoc casu, Nos, Haeredes et Successores nostri ad observationem hujus innovationis, pacis perpetuae antiquae, et confoederationis praesentis convertamur. Similiter etiam Illustris Princeps Dominus Sigismundus Augustus Filius noster charissimus, cum ad majorem legitimamque aetatem pervenerit, juramentum corporale de hac concordia suprascripta, seu foederis antiqui innovatione firmiter conservanda facere et praestare debet.

In quorum omnium fidem et majus testimonium has praesentes nostras literas, manu propria subscripsimus, sigilloque Magni Ducatus nostri Lithvaniae communi et roborari fecimus. Actum et datum Vilmnae vigesima prima mensis Junij, anno a Nativitate Domini, millesimo, quingentesimo, vigesimo nono.

Praesentibus Reverendis in Christo Partibus, ac Magnificis, Generosis et Strenuis Dominis:

Joanne Vilmensi, Paulo Lucreoriensi, Nicolao Mednicensi, Nicolao Kijoviensi, Episcopis. Alberto Gasdt de

495

Murata, Geranoyni Palatino Vilmensi, Cancellarioque nostro, Capitaneo Belzen. Mosiren. Bobruvnicen. et Borisovien. Geordio Nicolao Radivil Castellano Vilmn. Marschalco Curiae nostrae, Capitaneo Grodneusi, Lidensi, et Bielscen. Stanislae Snnislae Castellano Trocensi, Capitaneo Samogitien. Joanne Zabrzeziński, Marschalco Terrestri, Palatino Novogrodensi, Capitaneo Merescensi, Oschmianensi, et Dougensi, Andrea Jacobi Neymir Palatino Kijoviensi, Petro de Czechanoviecz Palatino Polocensi, Joanne Georgio Lebowitz Palatino Withebscensi, Georgio Georgij Osczick Structore mensae nostrae, Nyemira Grzymala Capitaneo Melnicensi, Marschalco nostris, Joanne Ktilinitz Capitaneo Mezilaviensi, Joanne Steczko de Delobowo Marschalco, Stanislae Jacobi Skoph Secretario Tenutario Skyerstiviensi et Tondagelensi, Georgio Nicolai Petzkovitz Magistro Curiae nostrae et gladifero, Alberto Nadburth Vexillifero, Joanne Nagburth Dapifero, Nicolao Andruskovitz Pincerna nostri Magni Ducatus Lithvaniae, Consiliarijs sincere Nobis atque fidelibus dilectis, quorum etiam sigilla praesentibus sunt subappensa.

Sigismundus Rex.

CAVET AUTEM IDEM REX

UT REGIS ELECTIO SIT LIBERA, CONVENTU AD HOC IDEM EDICTO

Nos Sigismundus, manifestum facimus per praesentes universis, quia licet mos fuerit antiquus Regni nostri, ut decedentibus Regibus, et Regno vacante, Domini Consiliarij status utriusque capto invicem mutuo consilio, Conventum electionis Generalem statuerent; et illum omnibus membris et Ordinibus Regni, pro tempore denuntiarent, ut unusquisque qui vellet ad illum venire posset, quia tamen in eligendo Serenissimo Principe Domino Sigismundo Secundo, Rege Poloniae et Magno Duce Lithvaniae, Filio nostro charissimo mos ipse praetermissus fuit, non data opera, sed quod Nobis viventibus, et Regno nondum vacante, magisque Divina ordinatione, quam humano consilio, electio ipsa Majestatis suae contigit, considerantes tantam omnium subditorum nostrorum erga Nos, et Serenissimam familiam nostram fidem et affectum, ac observantiam, ut hanc ipsam electionem filij nostri Serenissimi, utcunque praeter veterem consuetudinem factam, approbaverint et gratam habuerint, nolentesque ut per hujusmodi electionem, aliquid in posterum mori antiquo derogaretur: decernimus, ut deinceps quotiescunque Regem decedere, et Regnum vacare, aut electionem quomodocunque celebrari contigerit, Domini Consiliarij ordinis utriusque antequam ad electionem procedant, prius juxta veterem consuetudinem Conventum electionis Generalem stuant, et ipsum universis regnicolis et dominij, in tempore declarent, ac electionem in eodem Conventu, juxta veterem consuetudinem celebrent: harum testimonio etc. Datum Cracoviae in Conventu Generali, Sabbato proximo ante Dominicam Laetare, anno Domini 1530, Regni nostri anno 24.

496

IDEM SIGISMUNDUS REX

POLLICETUR, SIGISMUNDUM AUGUSTUM REGEM POLONIAE CREATUM, CUM VENERIT AD ANNOS DISCRETIONIS, JURA CONFIRMATURUM

Nos Sigismundus, manifestum facimus per praesentes, universis; quia cum omnes Ordines status utriusque tam spirituales quam saeculares Regni nostri, considerantes horum temporum motus, ac malignitatem, praevenireque volentes turbas, aut seditiones omnimodas, quae vacantibus Regnis contingere solent, unanimi consensu elegerunt et coronaverunt in Regem hujus Regni nostri, Nobis consentientibus, Serenissimum Principem Dominum Sigismundum Secundum, Filium nostrum charissimum, ex spontanea sua voluntate, Nobis viventibus, qua fide et affectu in Nos sunt, testatum esse volentes, quemadmodum et ante in multis alijs magnis et arduis negotijs, ex mera in Nos propensione, et libera ipsorum voluntate, grata et utilia Nobis illorum obsequia cognovimus, Nos vicissim, pro ea observantia, qua Nos et Serenissimam familiam nostram prosequuntur, et quam abunde declararunt in creando Rege ipso Serenissimo filio nostro, Nobis viventibus, (ea videlicet conditione, ut Nos absque ullo impedimento ejusdem Serenissimi Filij nostri, donec viveremus Regno et Dominij nostris frueremur, et illis dominaremur) volentes pro talibus eorum obsequijs Nobis utilibus et gratissimis, vicissim eis providere, ut et ipsi in suis juribus, privilegijs, et libertatibus, consuetudinibusque approbatis, absque ullo detrimento conservarentur, polliciti sumus illis, et praesentibus literis nostris pollicemur; quod quocunque ipse Serenissimus Filius noster, sive Nobis viventibus, sive etiam post mortem nostram, ad aetatem legitimam, hoc est ad annos quindecim completos pervenerit, tenebitur illis id totum praestare, quod Antecessores nostri Reges Poloniae, et Nos ipsi praestitimus ex debito, ad quod ejus Majestatem, ut Filium et Successorem nostrum, tenore praesentium obligamus: videlicet quod jurare debet, omnia jura, libertates, privilegia, literas, immunitates Regni nostri Poloniae, ecclesiasticas et saeculares, ecclesijs ipsi quoque Regno Poloniae, ejusdemque Praelatis, Baronibus, nobilibus, civibus, incolis, et quibuscunque personis, cujuscunque status et conditionis existentibus, donatas et concessas, per Divos Antecessores nostros, Principes, Reges, et quoscunque Dominos et Haeredes Regni Poloniae, (praesertim vero per Divos, Casimirum antiquum, Ludovicum, Vladislaum Avum, Vladislaum Patrum, Casimirum Patrem, Joannem Albertum, et Alexandrum fratres germanos nostros, Patruos vero suos, Reges Poloniae, et per Nosmetipsos, Patrem ejus) justas et legitimas manutenere, servare, custodire, attendere, in omnibus conditionibus atque punctis, et omnia illicite ab eodem Regno alienata aut districta, pro posse suo, ad proprietatem ejusdem

497

Regni aggregare, terminos etiam ipsius Regni Poloniae non minuere sed pro posse suo, dilatare et defendere. Et quamdiu hoc juramentum Majestas sua non praestiterit, et huic debito Regio non satisfecerit, ipsi universi regnicolae nostri ad tradendam illi possessionem, et Dominium Regni, et ad servandum juramentum, et ad praestandam fidelitatem et obedientiam suam, ejus Majestati non erunt adstricti, neque obligati, verum quandocunque supradictis omnibus idem Serenissimus Filius noster, in actate legitima existens satisfecerit, et hujusmodi debitum juramentum praestiterit, universi regnicolae et subditi nostri, illi post mortem nostram, uti vero et legitimo Domino et Regi suo coronato, omnem fidelitatem et obedientiam, et obsequia, secundum juramentum a se illi factum, et debitum suum praestare et exhibere tenebuntur: harum testimonio literarum, quibus in fidem sigillum nostrum est appensum. Datum Cracoviae in Conventione Generali, Sabbatho proximo ante Dominicam Laetare, anno Domini 1530, Regni nostri anno 24. Petrus Tomicki, Episcopus et Vice-Cancellarius.

JUS ORDINUM PRUSSIAE,

IN ELECTIONE REGUM ETC.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae etc. Dominus et Haeres. Manifestum facimus uniuersis, quia licet privilegia et libertates Statibus et Ordinibus Terrarum nostrarum Prussiae, tam ecclesiasticis quam saecularibus, a Majoribus nostris concessa et concessae, ac per Nos confirmata et confirmatae, inter alia id potissimum contineant, ut dicti Ordines et Status Prussiae ad futurorum Regum Poloniae, quotiescunque super Electione et Coronatione illorum deliberationem fieri contingat, ad Electionem et Coronationem vocari et admitti debeant. Quia tamen in eligendo Serenissimo Principe Domino Sigismundo Secundo, Rege Poloniae et Magno Duce Lithvaniae, Filio nostro charissimo hoc ipsum praetermissum est, non data quidem opera, sed quod Nobis viventibus et Regno nondum vacante, magisque Divina ordinatione, quam humano consilio, Electio ipsa Majestatis suae contigit: considerantes tantam praedictorum Statuum et Ordinum Terrarum nostrarum Prussiae, erga Nos et Serenissimam familiam nostram, fidem, affectum, et observantiam, ut hanc ipsam electionem Serenissimi filij nostri, praeter vocationem eorum factam approbaverint, et similiter ipsum eligendo ratam atque gratam habuerint, nolentesque, ut per hujusmodi electionem ad quam vocati non erant, aliquid in posterum privilegijs et libertatibus dicatorum Statuum et Ordinum earundem Terrarum nostrarum Prussiae derogaretur: decernimus, ut deinceps quotiescunque Regem decedere, et Regnum vacare aut electionem quo-

modocunque celebrari contigerit, Domini Consiliarij Ordinis utriusque Regni Poloniae, antequam ad electionem procedant, prius praedictos Status et Ordines Terrarum Prussiae de hac ipsa novi Regis electione certiores faciant, ac eosdem ipsos Status, secundum antiquam consuetudinem et contenta privilegiorum eorum, ad eam vocent et admittant. Volentes praeterea pro tanta eorum in Nos et Filium nostrum charissimum integritate, vicissim eis providere, ut et ipsi in suis juribus et privilegijs ac libertatibus consuetudinibusque approbatis absque ullo conservarentur detrimento, pollicemur illis praesentibus literis nostris, quod quandocunque ipse Serenissimus Filius noster, post mortem nostram, ad aetatem legitimam, nempe ad annos quindecim completos, perveniens possessionem Regni et Dominiorum nostrorum adire voluerit, tenebitur illis id totum praestare, quod Antecessores nostri Reges Poloniae et Nos ipsi praestitimus ex debito, ad quod ejus Majestatem, ut Filium et Successorem nostrum, tenore praesentium obligamus, videlicet quod jurare debbit omnia jura, libertates et privilegia, literas immunitatesve earundem Terrarum Prussiae, tam ecclesiasticas quam saeculares, ecclesijs, tum ipsis Terris earundemque Praelatis, Baronibus, nobilibus, civibus, incolis et quibuslibet personis, cujuscunque status et conditionis existentibus, per Divos Antecessores nostros Principes tam spirituales quam saeculares Reges et Dominos Terrarum praedictarum justo et legitime donatas et concessas, et per Nosmetipsos confirmatas manuteneri, servare, custodire, et attendere, in omnibus conditionibus atque punctis, et omnia illicite ab eisdem Terris alienata aut distracta, pro posse suo, ad proprietatem earundem Terrarum recuperare, terminos etiam earum non minuere, sed pro virili defendere et dilatare. Et quandiu hoc ipsum juramentum Majestas sua non praestiterit, et huic debito suo Regio non satisfecerit, ipsi universi Status et Ordines earundem Terrarum et civitatum nostrarum Prussiae ad servandum juramentum suum, quod Majestati suae praestiterunt, non erunt adstricti neque obligati. Verum quandocunque post mortem nostram supradictis omnibus idem Serenissimus Filius noster, in aetate legitima existens satisfecerit, et hujusmodi juramentum debitum praestiterit, universi earundem Terrarum nostrarum Prussiae Status et Ordines subditi nostri, illi ut vero et legitimo Domino et Regi suo coronato omnem fidelitatem et obedientiam obsequiaque secundum juramentum a se illi factum praestare et exhibere tenebuntur. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum in Conventu Generali Cracoviensi, feria sexta ante Dominicam Judica proxima, anno Domini 1530, Regni vero nostri 24. Christophorus de S. Castel. et Capit. Cracoviensis ac R. P. Cancel. *sst.*

CONSTITUTIONES

CONVENTUS CRACOVIENSIS,

DE ANNO DOMINI 1532.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. Dominus et Haeres. Manifestum facimus, per praesentes, quod Nos ad postulacionem Nuntiorum omnium Terrarum Regni nostri cum universo Senatu, in praesenti Conventu congregato, constitutiones infra scriptas decrevimus, in quibus partim ea quae fuerant ambigua interpretati sumus, partim vero quae desiderabantur adjecimus, denique illas in scripto sub sigillo nostro edi, et publicari jussimus, ut pateant omnibus, et celere administrandae cuilibet justitiae praebent occasionem atque facultatem. Et si jam antea publicis exigentibus rationibus, et communi omnium svadente commoditate, decreveramus in pluribus Regni nostri Generalibus Conventibus, ut omnia Regni jura, et dudum observata quaevis statuta, a certis designatis jurisperitis, tam spiritualibus, quam saecularibus personis recenserentur, utque in illis contrarietas omnis et noxia dubitandi occasio tolleretur: quia tamen multis intervenientibus impedimentis, quae ex pluralitate designatarum personarum sero hinc inde convenientium, et plerumque invicem dissentientium contingebant, haec res, utcunque in aliqua parte inchoata, hucusque ad exitum perducere non potuit, Nos ut necessitati communi, et simul in perficiendo maturius opere dignitati nostrae consulamus, primam jurisperitorum designationem ad pauciores numerum redigentes, communi omnium Consiliariorum nostrorum consilio, decrevimus et decernimus praesentibus, ut sex tantummodo ex utroque statu viri inferius descripti sint, ad eam ipsam expansionem et correctionem jurium designati, qui huc Cracoviam ad diem primam Maj proxime venturi convenientes, statutorum judicialium obscuritatem, privilegijs et alijs statutis ad judicia non pertinentibus, intactis relictis illustrent, ambiguitatem tollant, et omnia quae illis ad aequanimitatem in judicijs servandam necessaria videbuntur, in consonantiam reducant, rejectis et abrogatis singulis clausularum nodis, ex quibus in posterum dubitatio, quae hucusque Judices reddebat perplexos, suboriri posset. Quod cum ab illis crit factum, amplius decernimus, ut forma statutorum, et juris judicialium, per dictos sex viros emendata, et in plura exemplaria redacta, ad Conventus particulares deferatur, illicque in praesentia dignitariorum, officialium, et reliquarum nobilium personarum, non tumultuarie, sed cum attentione omnium perlegatur, sub inde Nuntij e medio nobilium, sicut dictum est, congregatorum eligantur, qui forma statutorum et juris emendati, ad Generalem proxime tunc futurum Conventum relata, vel assentiri omnium nomine dictae emendationi, vel illam pro necessitate rationabilius insti-

tuere, cum nostro totiusque Senatus consilio et auctoritate possint, ut tandem pro incertis, certae, et pro incommodis, commodae, judiciariae constitutiones efficiantur, et ne amplius per incertam interpretantium contentionem, ab administranda aequa litigantibus justitia, Judices remorentur. Sunt autem per Nos designati jurium et statutorum praedictorum correctores, ex Majori Polonia, Generosus Stanislaus Niemoiewski, Judex Iuniwladislaviensis, et Generosus Matthias Krzyzanowski Subjudex Posnaniensis, ex Minori vero Polonia, Generosus Joannes Pieniążek de Kruslowa Judex Cracoviensis, et Generosus Bernardus Macieowski, Judex Sandomiriensis, Refendarij nostri: quibus adjunximus spirituales duos jurisperitos, videlicet Venerabiles, Nicolaum Zamoyski, Scholasticum Lanciensem, et Georgium Myskowski, Canonicum Cracoviensem, Secretarios nostros.

Quoniam autem in Regno nostro, non solum scriptae constitutiones, sed et consuetudines inveteratae pro lege in pluribus locis observantur; statuimus, ut singuli Palatini, consuetudines sui quisque Palatinatus conscribant, et huc Cracoviam ad primam Maj mensis diem ad Nos mittant, illas enim, sicuti et reliqua jura, correctorum judicio committemus, ut aequae in his ut in reliquis statutis aequanimitas, et uniformis judiciorum modus, contrarijs et obscuris, ambiguisque interpretationibus rejectis statuatur.

Crebro jam experti constitutionem, seu decretum, quod Ostrogi nomine inscribitur, subditorum nostrorum rationes gravare, ne deinceps querelis et offensionibus mutuis aliqua subsit occasio, et ut peraeque diviti ac pauperi justitia ministraretur, statuimus, ut si quispiam aliquem dominorum vel nobilium, subditorum nostrorum citaverit, quod scitu, mandato, et voluntate sua quidpiam per servos, et ministros ejus, ad injuriam sibi factum fuerit, dominus seu nobilis, justitiam cum ejusmodi servis suis ministrare tenebitur, cum apud eum fuerint arrestati, per ministerialem et nobiles. In defectu vero justitiae, is ipse nobilis seu dominus citatus, pro his duntaxat respondere et se purgare debet, quae attinent violentiam domus et personae invasionem, vel nobilis alicujus necem, seu vulnerationem, juxta tenorem statuti, per Regem Albertum, super hac re conditi. De alijs vero injurijs, ut puta, de percussione, aut vulneratione plebei alicujus, item de seminum vel frugum in agris, et graminum in pratis conturbatione, conculcatione, depastione, et alijs id genus minoris momenti commissis, si alter alterum in hunc modum citaverit, quod scitu, mandato, et voluntate illius aliqua istiusmodi injuria, per unum, vel plures servos non possessionatos affectus fuerit; statuimus, ut qui injuriam passus fuerit, justitiam sibi ministrari a servi vel plurium servorum domino postulare, dominus vero servorum illam ministrare teneatur, si arrestati servi apud dominum suum per nobiles et ministerialem Terrestrem fuerint. Quod-

si vero inculpati de crimine, unus vel plures cujuspiam domini servi fuerint possessionati, illos actor injuriam passus, et non dominum ilorum de commisso crimine, in judicio et in foro competenti conveniet.

Ut deinceps calumniantium iniquitas et perjuriorum licentia refrenetur, et cohibeatur, statuendum duximus, et statuimus praesentibus, ut qui in judicio literas parti ejus adversae, de falsitate suspectas producit parte contendente et postulante, actis judicialibus Terrestribus illas comprobare teneatur, ad quae acta cum producens literas se retulerit, ac remitti postulerit, dari illi debet dilatio ad primos terminos Terrestres, actionem introductam immediate consequentes, in quibus si docuerit literas suas esse in actis, comprobare illas alijs modis probationum non tenetur. Cum autem producens literas actis Terrestribus probare illas non fecerit, in hoc casu nominare ibidem is ipse producens teneatur, octodecem testes nobiles possessionatos bonae integraeque fidei et famae viros, ex quibus per eum, qui suspectas de falsitate asserit esse literas, viri sex deligentur, qui simul cum ipso producente ejusmodi suspectas literas, jurjurando illas non esse falsas, sed legitime ex actis judicialibus emanatas comprobare debebunt. Si vero producens literas actis illas veras et legitimas esse probaverit, ille tum demum, qui temere, falsitatem literis objecit, quatuordecem marcarum pecuniae communis poena parti applicanda puniatur, et ultra haec, in tribus marcis pecuniarum, judicio ibidem statim solvendis condemnatur. Ubi vero acta et libri judiciorum non extarent, sive incendio absumpti, seu vi ac injuria hostili, vel quocunque alio fortuito casu perditum, satis esse censemus, ut in eo casu literas de falso suspectas probet quisque et purget, secundum consuetudinem antiquam, hoc est, suo et duorum testium nobilium possessionatorum, bonae inculpatae famae corporali juramento. Ad obviandum vero futuris falsitatibus, volumus et decernimus, ut Notarij Terrestres, omnes literas Judicij Terrestres, manibus proprijs subscribant; literas vero Castrenses subscribant, vel soli Capitanei, vel eorum Judices Castrenses.

Plebeius nobilem occidens, cui nullam causam vel occasionem se invadendi nobilis praestiterit, nec initium contentionis vel percussiois cum eo fecerit, poena capitis puniatur. Vulnerans vero plebeius nobilem, cui similiter occasionem se vulnerandi nobilis non praebuit, poena capitis puniatur. hoc tamen intelligi debet de vulnere gravi, ex quo sequitur mutilatio, vel invaliditas alicujus membri nobilis vulnerati. Quodsi nulla ex hujusmodi vulnere mutilatio et invaliditas membri consequetur, poena pecuniaria secundum antiquum statutum. plebeius puniatur. At ubi nobili causam et occasionem occisionis, vel vulnerationis suae. plebeio praebuerit, punietur plebeius secundum antiqua statuta de vulnerato vel occiso nobili condita. Ut autem constare

Judici possit, data necne fuerit plebeio causa vel occasio vulnerandi nobilem, quilibet nobilis plebeium de vulnere aut necesse accusans, probare teneatur, suo et duorum sibi similibus nobilibus, corporali juramento, id quod asserit verum esse expresse hoc verbis nuncupans, quod non ex initio a se factum, neque causa aut occasione per se data, plebeius illum vulnere seu necesse affecerit, alioquin nobilis in hujusmodi probatione deficiens, non poterit plebeium in poenam superius expressam conijcere. Nihilominus tamen plebeius vulnerans quomodocunque aut occidens nobilem, poena in antiquis statutis praescripta punietur. Hoc autem statutum cum sit poenale, ad tres duntaxat annos valere et observari debere decernimus.

In petitione facta de exequendis Officijs Palatinorum, Capitaneorum, et aliorum Officialium Terrestrium, etsi sciamus expressa super eo esse scripta statuta, poenasque in illis, contra negligentem sua officia esse adhibitas, nihilominus tamen Nuntiorum et nobilitatis Regni nostri petitioni satisfaciendum: dabimus ea de re literas nostras ad praedictos Palatinos, Capitaneos, et alios dignitarios et officiales, quibus ad satisfaciendum debito suo, illos commonebimus. Hac eadem ratione, in petitione, de golotis et inquilinis vagabundis facta; constituimus et decernimus, ut statuta super his jam dudum condita, per Capitaneos locorum diligenter exequantur, ad quos etiam admonitionis causa literas dari faciemus.

Consulentes commoditati rei communis domesticae Regni nostri, quae plerumque fugitivorum colonorum seu kmctonum vel filiorum eorum malitia, ita defraudatur; ut multi subditorum nostrorum ex defectu laborantium et servitorum, in laboribus necessarijs negligantur: statuimus et decernimus; ut quicumque colonus seu kmcto, hortulanus seu quivis alius subditus, vel filij eorum, invito et inscio domino suo, in alienas provincias fugientes se transferent, per Capitaneos, et eorum vicesgerentes, denique, per Officiales civitatum et oppidorum, ad quae devenerint, capiantur: et capti, operibus servilibus adhibeantur tamdiu, donec dominus detenti vel detentorum illos inventos repetierit: repetente enim domino subditum, et docente illum esse suum, Capitanei, et eorum vicesgerentes, vel civitatum et oppidorum Officiales, illum extradere debebunt irrecuse, receptis prius ab eo qui subditum suum reperit duodecim grossis, quos illi pro opera et diligentia, in detinendo subdito adhibita, solvendos fore decernimus.

In eo quod petitum est, ut diligentiores fiant Capitanei locorum, in coercendis malefactoribus Capitaneatum suorum: dabimus literas ad eos Capitaneos, qui in exercendis ijs, quae ad eorum Officium et debitum spectant, censerentur esse negligentiores.

Postulantibus Terrarum Nuncijs; ut libera sit navigatio fluviorum, in statutis dudum descriptorum, respondendum ex unanimi consensu Con-

siliariorum nostrorum duximus, et respondemus, decernimusque praesentibus; ut fluviorum in statutis dudum super hac re confectis, expressorum, et aliorum navigabilium, obstacula, aggeres, et alia quaevis impedimenta, cuilibet sursum, deorsumue naviganti, pervia reddantur: et ut contra secus facientes, per locorum Capitaneos executio statutorum, et poenae in illis descriptae extendantur.

De incendijs, et alijs violentis invasionibus domorum, et injurijs, quae a Myscha, Berka et reliquis praedonibus Silesijs, Regno Poloniae, et ejus incolis inferuntur: censemus cum toto Senatu ita providendum; ut ex publicis contributionibus certus numerus equitum, in praesidijs Terrarum Majoris Poloniae et Silesiae collocetur; qui hujusmodi violentias et injurias hostiles inferri non permittant: tenerique et servari is ipse numerus equitum debebit hoc anno; alias quamdiu fines et terrae illae non pacificabuntur. Restituta autem pace et pacificatione, sublatoque metu a violentijs praedonum praedictorum, numerus ille equitum servari amplius non debebit: et amplius declaratis Serenissimo Regi Ferdinando, et Principibus, alijsque Ordinibus Silesiae, injurijs et damnis subditorum nostrorum: nisi praedones post declarationem factam a vi et injurijs inferendis contineantur, et pro illatis damnis satisfaciant: statutum, quod de non inferendo bello, vel inimicitijs non denunciandis cavet, relaxabimus: et ut unicuique in posterum vim vi repellere liceat, permittemus.

Ad submovendam dubitationem, quae circa statutum de raptu virginum et foeminarum conditum oriri saepe solet: visum est Nobis, et Senatui nostro, per praesens decretum illius intelligentiam ita declarare: ut cum raptor virginis, aut mulieris viduae, seu coniugatae, ad praesentiam nostram, pro raptu commisso, citatus fuerit: tum demum, secundum antiquiora statuta, jure esse convictus, in privatione honoris intelligatur, cum virgo aut mulier vidua, seu coniugata, in praesentia nostra constituta, confessa fuerit, sibi per raptorem citatum vim fuisse illatam; et se contra ejus voluntatem et consensum ullum esse raptam; per hanc enim raptae virginis vel mulieris viduae seu conjugatae, confessionem, raptor citatus ad extendendam contra se poenam privationis honoris, censetur esse sufficienter jure convictus: alioquin rapta virgine, vel muliere, vidua, seu conjugata, per expressum in praesentia nostra confitente et affirmante se non per vim citati esse raptam, sed voluntate et consensu suo proprio undecunq; abductam, citatus de raptu, a poena statuti honoris privationis liber esse censetur. Virgo vero, seu mulier, vidua, aut conjugata (ad quarum omnium personas et nomina, legem hanc diu statutam et observatam, pertinere et extendi volumus ac declaramus), post factam hujusmodi voluntatis et consensus sui confessionem, bonis omnibus haereditarijs, et quibusvis alijs, ipsam concernentibus bonis et re-

bus, doteque sibi debita, perpetuis temporibus privabuntur.

De communitatibus, quas fraternitates seu *cechy* in civitatibus et oppidis vocant, non visum est Nobis cum Senatu quidquam immutare; nam et illae ipsae communitates seu fraternitates, post veterum statutorum decreta, ubique reperiuntur hucusque toleratae, et novis ac antiquis literis, et privilegij roboratae, et subditi cujuscunque status Regni nostri, ex eorum ordinationibus, privilegij rationalibus roboratis, nihil incommodi sustinere videntur, ubi per Palatinos et alios Officiales, seu Dignitarios, illis abuti non permittuntur: quamobrem cum Senatu universo statuimus et decernimus; ut deinceps Palatini cum dignitarijs et officialibus, ad hanc provinciam obeundam sibi adjunctis, provideant juxta tenorem et decreta statutorum de precio rerum venalium, et salario mechanicarum antea conditorum, ne quidpiam contra acquitatem et dispositionem statutorum, tam in rebus venalibus ad communem omnium usum necessariis, quam in operis, et precio artificiorum mechanicorum solvendo, admittatur.

Permoti injurijs subditorum nostrorum, quibus se per nostros vectigalium seu teloneorum Praefectos, eorumque ministros affici, propterea querebantur, quod pro pecunia ratione telonei, seu vectigalis solvenda extra districtum et forum eorum competens ad praesentiam nostram Regiam evocarentur: providere volumus, ne in posterum Praefecti vectigalium, et teloneorum nostrorum, aliquem subditorum nostrorum, status et conditionis cuiuscunque, cameram teloneo solvendo institutam transire permittant, nisi soluto prius teloneo vel vectigali Nobis et fisco nostro Regio debito, ut hoc modo occasio subditos nostros ex eorum Districtu et foro, competenti evocandi submoveatur, alioquin Praefecto telonei nostri, solutionem ipsius telonei contra mandatum et prohibitionem nostram, cuiuspiam deferenti, incumbat necessitas illud ipsum teloneum seu vectigal debitum in districtu et foro debitoris competenti repetere. Nobis vero, litispententia huiusmodi minime obstante, de proventibus telonei et vectigalium nostrorum integre respondere.

Suadente commodo ex libertate commerciorum inter Regna et Dominia vicina proveniente, statuimus, ut tam subditi Regni nostri, extra Regnum educendi, quam advenae undecunq; venientes, apud nostros subditos in Regno nostro emendi et euehendi omnis grani frumenta, liberam habeant facultatem, prohibitione Capitaneorum vel Officialium civitatum non obstante: nisi nostri Regni urgens vel evidens utilitas aliud suaserit: quod arbitrio et moderationi nostrae volumus esse reservatum.

Salis venditionem, et eius subministrationem recipimus, ita Nos procuraturos esse, ut sal pretio solito vendatur, et copia illius, quoad fieri poterit, ubique habeatur.

Quamvis sciamus id, quod cuiusque iudicis

officio in celebrandis Judicijs Terrestribus et Castrensibus incumbat, quia tamen praeter officium multa committi per Judices, a subditis nostris edocti sumus: mandabimus et mandamus omnibus in Officijs judiciarijs constitutis; ut juxta formam statutorum, judicia temporibus statutis celebrent, et ad alia tempora inconsueta illa non transponant, sub poenis in statutis expressis, contra eos editis.

Utcunque persuasum sit Nobis, proventus officialibus et dignitarijs quibusvis debitos per eos, quorum interest integre solvere. Quia tamen nonnulli in praesenti conventu se in solutione hujusmodi negligi sunt questi: mandabimus, prout et mandamus praesentibus universis, quibus ipsi proventus debentur, citra omnem moram extradantur.

506 Prospicientes, ne inter ordinem spiritualium et saecularium subditorum Regni nostri, propter indebitas ad fora impertinentia evocationes, odia et similitates excitentur: decrevimus et decernimus praesentibus: ut Domini Archiepiscopus et Episcopi, cum caetu et congregatione suorum ecclesiasticorum in Synodo, per eos primo quoque tempore celebranda, constituent, qua poena quisque spiritualis, pro re mere saeculari, saecularem ad jus spirituale evocans, sit puniendus. Et ut correctores jurium, per Nos designati, ad primam Majj huc Cracoviam venturi, secerant, definiant, et conscribant diligenter, quae causae saeculares, et foro saeculari pertinentes: quaeve spirituales, vel spirituali annexae, et ad forum ecclesiasticum pertinentes censi debeant; ut nemo deinceps ignorantiam judicij competentis praetendere, et poenam in se constitutam declinare possit.

De conspiciendis per seniores judaeorum pignoribus ad judaeos allatis, non videtur Nobis factu conveniens: cum singuli pignorantes id maxime vitare et cavere soleant, ne in egestate et indigentia sua cuiquam detegantur: sed mandabimus: ut res oppignoratae, et dies earum oppignoracionis, secundum veterem consuetudinem, in libros judaeorum inscribantur.

Probatio vulnerum, vel occisionis cujuscumque: volumus et decernimus, ut fiat juxta statutum antiquum, quia illi non est derogatum.

De Colloquijs Generalibus celebrandis, non est necessarium aliquid de novo constituere: sed volumus et decrevimus; ut statuta condita ponantur in debitam executionem.

Volumus et statuimus; ut Capitanei, praeter articulos in statuto expressos, nullas alias causas judicent, etiam si quis vel non comparuerit, vel ex ignorantia Jurisdictionem Capitanei prorogaverit: et si quid in contrarium fecerint, eorum Judicium nullitatis vitio cassetur.

Judices Terrestres ac Castrenses, necnon Subjudices et Notarij Terrestres sint jurati, juxta tenorem statuti super eo conditi, et Officia illis incumbentia diligenter curent, et per semetipsos expleant. Notarii tamen Terrestres, substitutos, seu Vicenotarios, qui in scribendo duntaxat il-

los adiuvent, habere permittimus: hoc expresso; ut ipsemet praesentia sua, tam Judicijs Terrestribus, quam repositioni librorum, et alijs juridicis actibus intersint, et literas ac rescripta, quaecumque ex actis Terrestribus in pargameno, ac papyro extradenda, manu sua subscribant.

De appellationibus, quae a sententijs seu decretis Judiciorum Terrestrium, Castrensi, et aliorum quorumvis ad terminos generales, tempore Quadragesimae celebrandos, vel ad Conventum Generalem Regni nostri, extunc in proximo celebrandum fieri solent: declaramus, et ita observari decernimus; ut tam appellanti, quam ejus parti adversae, liceat appellationem prosecui in Conventione Generali, vel terminis generalibus, quod illorum post appellationem factam prius celebrari contigerit: juxta normam in Processu Judiciario novi statuti descriptam.

507 Quod salario, pro literis vel notis, Notarij Terrestres et Castrenses, contenti esse debeant: tametsi statuta, per Nos et Antecessores nostros condita, sufficienter declarent: quia tamen hi ipsi Notarij ultra modum praescriptum, a dilatione termini, vera infirmitate, vel cassatione inscriptionis cujuscumque, solutionem memorialis per quatuor grossos exigunt: statuimus; ut Notarij Terrestres et Castrenses, in exigendo salario a notis, literis, et alijs inscriptionibus, modum in statutis desuper confectis expressum observent: a dilatione termini vera infirmitate, vel cassatione inscriptionis, non nisi unum grossum, ratione memorialis, et pro nota exigant: sub poenis in statutis prioribus contra eos sancitis.

Arrestandi colonos seu kmetones fugitivos, in Terris Prussiae, cum nunc certum modum reperire et constituere ante omnium jurium Regni nostri correctionem nequeamus: volumus et censemus: ut interea, quam jura omnia corrigentur, et in unam formulam reducentur, observetur modus arrestandi kmetones, juxta formulam in statutis novis, seu Judiciario Processu contentam.

Praescriptiones Terrestres, quae in alijs Terris Regni nostri currunt, etiam in Terris Russiae currere volumus et decernimus: praeter eas Terras et Districtus, in quibus propter hostilitatem judicia celebrari non possunt, nec celebrantur.

Declarantes statutum de limitibus bonorum, non secundum literas et signa in eis descripta, sed secundum senum testimonia, faciendis, statuimus intelligi debere, tum demum literariam probationem, in limitatione bonorum non procedere, cum literae antiquatae, seu datae ac emanatae, re oculis non subjecta, vel etiam in absum redactae, aut incertae comperiantur. Cum vero literae Commissariorum nostrorum, signa metalia, et limitationem bonorum nostrorum, cum bonis nobilium vicinorum in se continentes, per Nos confirmatae, vel literae sub titulo et sigillo Succamerarij, vel Judicij Terrestris, limitationem bonorum, utrinque haereditariorum subditorum nostrorum in se continentes, fuerint co-

508 ram Nobis, vel alias ubilibet in judicijs productae; literis hujusmodi ubique fidem indubiam adhibendam fore, et limitationem bonorum, tam nostrorum, quam haereditariorum, juxta illarum continentiam, firmam esse et validam decernimus.

Capitanei locorum, de injurijs vicinis suis, vel Capitaneatus sui subditis illatis, respondere tum demum coram Nobis debent, quando ex officio suo aliquid admiserint: vel in tuendis bonis nostris modum excesserint. Si quid vero ut privati commiserint, in foro competenti, respondere cuilibet de se ferenti tenebuntur. Praeterea, si etiam Capitanei nostri, sub praetextu defensionis bonorum nostrorum, gravem alicui subdito nostro in ejus bonis injuriam intulerint, et post hac cum bona nostra a bonis subditorum nostrorum limitabuntur, deprehensum fuerit, Capitaneum nostrum in his bonis, quae non erant nostra, sed ejusdem subditi nostri, injuriam illi aut damnum intulisse: is ipse Capitaneus, damnum a se nobili et subdito nostro in ejus bonis factum, resarcire teneatur.

De inhibitionibus juri communi, et statutis Regni contrarijs, non concedendis: mandabimus; ut Cancellariae nostrae Praesidentes, in contrarium statutorum, illas nemini concedant; et si concesserint, illae, juxta statutorum praescriptum, nullae censeantur.

Querela subditorum nostrorum permoti, qui se plerumque gravari sentiunt, cum per bonorum Regalium tenentarios seu Capitaneos, ad exhibendum literas, super bona eorum haereditaria, et perpetua illorum proprietate, eo praetextu, tanquam ipsa bona Regalia essent, adiungunt: decernimus, et statuimus; ut nemo Capitaneorum seu tenentiariorum nostrorum, aliquem ex Regni nostri incolis, ad exhibendum hujusmodi literas, compellere audeat; nisi ipse Capitaneus vel tenentarius judicium certum, vel literas quascunque habuerit, ex quibus bona illa esse nostra Regalia, et non haereditaria, conijcere possit; in tali enim casu possessor bonorum illorum, super sua proprietate, literas exhibere et producere teneatur.

De militibus mercenarijs, vel nobilitate ad servitium bellicum proficiscentibus, vel inde redeuntibus, Capitaneus exercituum Regni, et Palatini, seu Castellani locorum, providere debent, ne subditis spiritualium vel saecularium, aliqua damna, vel violentiae, contra Regni constitutiones et privilegia, inferantur: et si illatae fuerint, ut ad solutionem et satisfactionem damnorum, illas inferentes, compellantur. Cum vero milites mercenarij ex servitio, vel nobiles Regni nostri, ab expeditione bellica domum revertentes, aut reversi, aut in proprijs agentes, alicui damna intulerint: Nos justitiam cuilibet de illis facere, et administrare pollicemur, vel officiales nostri administrabunt: juxta statutum Regni nostri.

509 Celebrationes Conventuum particularium Terrae Lublinsensis, ex oppido Urzędow, in civitatem Lublinsensem transferri mandabimus: juxta

petitionem nobilitatis, per Nuncios Terrestres factam.

Commissiones in alijs casibus, quam qui in dispositione statuti continentur, dari prohibebimus, et datas, nullas esse volumus et decernimus. Commissiones tamen ad dividenda bona, tam inter fratres germanos, quam inter alios quosvis consanguineos, qui ad aliqua bona par jus succedendi habent, quantumcunque remotos, locum habere debere declaramus et decernimus. Quod si quis repellere volens eum, qui divisionem bonorum petit, negat eum esse consanguineum, vel jus succedendi ad bona hujusmodi habere, in tali casu Commissarij a dividendis bonis supersedere, et decisionem controversiae super propinquitate et successione ad Judicium Terrestre remittere debent.

Nuncijs omnium Terrarum Regni instanter petentibus, Senatoribusque universis assentientibus, decernendum duximus et decernimus, ut statutum contra homicidas, anno Domini, millesimo quingentesimo decimo, in Conventu Petricoviensi editum, ad trium annorum decursum innovetur, prorogetur, et in executionem ponatur: cujus vigore, et juxta illius dispositionem, omnia homicidia, a die inchoati conventus commissa, et postea ad trium annorum decursum committenda, puniri debebunt.

Libram et pondus, quam adaequari Nuncij Terrae Plocensis, librae et ponderi civitatis nostrae Posnaniensis, petierunt: Palatinus, Capitaneus, Castellani, caeterique Officiales Terrae Plocensis: advocatis ad se civibus et mercatoribus civitatis nostrae Plocensis, illam mandato nostro coaequabunt, et aequivalentem constituent; prout eis melius et commodius videbitur.

Perspicientes magnam Reipublicae afferre jacturam, consuetudinem in exigendis et comportandis publicis contributionibus, in Regno nostro servari dudum solitam, decernendum duximus et statuimus praesentibus; ut in exigendis et comportandis publicis contributionibus, talis ubique modus et ordo servetur; ut coloni, qui ad publicam contributionem solvendam obligantur, ad dominum, vel ad possessorem villae, quam incolunt, ordinis, et conditionis cujuscunque, juxta Conventus decretum et constitutionem factam, et in universalibus literis descriptam, comportare teneantur: quam vicissim perceptam, domini seu possessores colonorum, vel quorumvis, ad solvendam publicam contributionem obligatorum, ad Exactores publicos, in Terris designatos et constitutos, integre, et secundum Conventus ordinationem, ipsi per se, vel procuratores suos deferant: cum ea simul pecuniae parte, quam illi ipsi domini, ex decreto Conventus, in publicam contributionem solvere debent. De qua re tam Exactor illi domino, vel procuratori domini, pecuniam afferenti, quam dominus seu procurator Exactori pecuniam contributionum publicarum capienti, mutuo literariam obsignatam et subscriptam recognitionem sibi dabunt.

Pluries per subditos nostros sollicitati, ut li-

teras reponi mandarem, super census perpetuos domorum: et in defectu literarum, liberam cuique potestatem faceremus eosdem census perpetuos domorum, seu quorumvis locorum, solo annexos, uni ab altero redimendi: et perpetuitatem oneris, pro certa summa pecuniaria, inter se, instar reempticiorum censuum commutandi. Etsi nunquam assentiri ejusmodi petitioni volumus: quia tamen hucusque ab ea ipsa petitione, quae multam in se continere videtur iniquitatem, illos, cum non vulgari molestia et fastidio nostro, non cessare experimur: providere volentes, ne in posterum uni ab altero, quod non esset aequum repetendi: vel literarum super census perpetuos, diuturnitate temporis abolitarum, productionem exostulandi: occasio dissidiorum inter subditos nostros subministratrix, praebatur: statuimus et decernimus; cum assensu et consilio totius Senatus nostri, ut nemini subditorum nostrorum, cujuscunque status et conditionis existen: liceat quomodocunque directe vel indirecte reemptionem perpetuorum, et solo annexorum censuum deinceps verbo vel facto, contra veterem illorum possessionem, attentare: quos perpetuos esse sola veteri et diuturna possessione, et circa venditiones vel inscriptiones bonorum ad census perpetuos solvendos obligatorum mentione, probari decernimus.

Cum magna pars Reipublicae nostrae, in ordine et statu ecclesiastico consistat, ecclesiaeque Regni nostri, per Antecessores nostros sint ampliter dotatae, cum ad Divinum cultum peragendum et manutenendum, tum etiam ad viros literatos et idoneos, maxime vero nobiles promovendi, quorum pauci essent, quibus vel animus, vel facultas adesset literis incumbendi, et alia studia, per quae emergitur, sectandi: nisi bona ecclesiastica, non solum facultatem vivendi, sed etiam opem multis, se, et suos sublevandi, praestarent. Unde nobilitas Regni, quae potissima est ipsius Regni portio, et cujus, domus ac familiae, partim multiplicatione prolis, partim etiam alijs eventibus, plerumque extenuari solent, praecipuum habeat status et protectionis suae subsidium et adjumentum. Ac cum successu temporis, multi indigni homines, varijs artibus, et praesertim Romanis impetrationibus, sese ad sacerdotia ingererent: ac illa viris dignis et idoneis praeriperent; Antecessores nostri, multiplicibus statutis, et poenis gravissimis, collationes suas, et subditorum suorum saecularium asseruerunt, ac defenderunt. Sed cum ordinarij Regni nostri, qui et magis debent statui, et dignitati ecclesiasticae prospicere: et melius sciunt personas spirituales, ecclesiae et Reipublicae idoneas eligere: hactenus nihil haberent praesidij, quo suas collationes et provisiones, saltem in mensibus suis, adversus Romanas multiplices reservationes, accessus, regressus, et coadjutorias, aliaque id genus impedimenta, tueri possent; unde lites et expilationes multarum facultatum sequebantur: Nos inter alia, quae toto tempore felicis nostri regi-

minis, in Regno nostro, facienda curavimus: hanc indignitatem et incommodum, tam ecclesiarum, quam etiam Reipublicae considerantes: magna cura egimus, apud Sanctissimum in Christo Patrem, et Dominum Clementem Septimum, Sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae summum Pontificem, ut quod nonnulla alia Regna et Provinciae, pro magno et singulari haberent privilegio, ac diligentissime observarent: ejus Sanctitas Nobis, et Regno nostro, cum de Sede Apostolica, tum etiam de universa re Christiana benemerito, concedere dignaretur: ut videlicet Ordinarij, aliaque personae ecclesiasticae, perpetuis deinceps temporibus, haberent vicissim, cum ipsa Sede Apostolica, sex menses liberos: in quibus nullae qualescunque, reservationes, nulli accessus, regressus, ac coadjutoriae, aliaque impedimenta ex curia Romana, provisionibus et collationibus ipsorum obsistere, aut illas impedire possent. Quod tandem privilegium, de gratia ac benignitate ejus Sanctitatis obtinimus: amplissimis quidem rationibus et clausulis roboratum: prout ex tenore ipsius clarius constat: cujus exempla, ad omnes ecclesias cathedrales, sub sigillo nostro transmisimus. Quia tanta est multorum hominum temeritas, tanta rerum et temporum varietas; ut nihil tam solidi obtineri ac ordinari possit, quod non turbetur et labefiat in posterum; nisi vi et potestate Principum defendatur, ac manuteneatur. De consilio ac consensu unanimi omnium, tam Consiliariorum, quam etiam Nuntiorum Terrarum Regni nostri: statuimus et decernimus, perpetuis temporibus observandum, quod quicumque adversus privilegium hoc, tam salubre, et tanto labore et cura nostra obtentum, per derogationes aut quoscunque alios modos quidquam committere, per se, vel submissas personas; aut quovis alio praetextu seu colore, illud, in parte, vel in toto infringendo: vel contra illud aliquid tentando, ausu temerario praesumpserit, vel contra illius dispositionem, beneficium quodcumque ecclesiasticum acceptaverit: vel acceptare voluerit: vel pensionem quamcunque, seu aliquam quotam, ex proventibus beneficij, per eum impetrati, vel acceptati, sibi reservari procuraverit: cujuscunque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis existat: poenis in statutis Serenissimorum Ioannis Alberti et Alexandri Regum Poloniae, Germanorum et Antecessorum nostrorum: contra plebeios, ad majores ecclesias se recipi procurantes, et alios impetratores, cortizanos editis, subiaceat ipso facto. Quippe omnium bonorum suorum, communium et privatorum, mobilium et immobilium saecularium, aerario seu fisco et mensae nostrae applicandorum, privatione; ecclesiasticorum vero arresto et confiscatione: et praeterea extra Regnum et Dominia nostra bannitione et proscriptione puniendus. Ne autem extraneis personis contra hoc privilegium aliquid tentandi via pateat: si per submissas personas illi contraveniendi facultas relinqueretur: statuimus et

decernimus; simili poenae et mulctae subjacere, et eo modo esse puniendos: omnes et singulos Praelatos, spirituales et saeculares ac Capitula, tam saecularia, quam regularia: Abbates, Canonicos, Plebanos, Vicarios, Beneficiatos, et quoscunque presbyteros, omnium ecclesiarum; necnon Tabelliones, Notarios, et quasvis alias ecclesiasticas et saeculares personas Regni nostri: et alias undecunque existentes: quae, literas quascunque, suprascripto privilegio Regni nostri, et praesenti ordinationi contrarias, personis externis, sive indigenis, et alijs quibuscunque, cujuscunque gradus, conditionis, et praeceminentiae existant, et quacunque praefulgeant dignitate, alias provisiones, in vita reservationes cum pensionibus, surrogationes, et quoscunque processus desuper obtentos, in se continentes, portarent, afferrent, et publicarent, palam et privatim: aut qui pensiones hujusmodi celando illas summarie pecunijs redimerent: et cessiones, vel resignationes beneficiorum, seu juris ad illa competentis susciperent, vel acceptarent: seu qui monitorio, censuras, procuraciones, et sequestra, contra provisos ordinariorum, ob non solutionem pensionum, etiam motu proprio reservatarum, in se continentes, quacunque auctoritate data, admitterent, aut exequi praesumerent: vel talium fautores, executores, procuratores; aut quosvis sollicitatores promovere, fovere, vel illis auxilium operumque aliquam praebere auderent, vel talia fieri promoverent: poenis supra expressis subiaceant, per locorum Capitaneos, sub poenis in negligentibus Capitaneos conditis, contra tales temerarios transgressores irremissibiliter exequen. Datum in Conventione Generali Cracoviensi, die sanctorum Fabiani et Sebastiani Martyrum. Anno Domini, millesimo quingentesimo trigesimo secundo. Regni nostri vigesimo quinto.

Ad mandatum Regiae Majestatis proprium.

513

SIGISMUNDUS AUGUSTUS

ADULTUS JURAT: VIVENTE PATRE A GUBERNATIONE REGNI ABSTINET: POSTEA JURA REGNI CONFIRMAT LITERIS.

Nos Sigismundus Augustus, significamus, quod cum Consiliarij Regni nostri Poloniae, singulari quadam propensione erga Serenissimum Parentem nostrum et Dominum, Dominum Sigismundum ejus nominis Primum Regem Poloniae, et erga nos, prosapiamque nostram universam addicti, anno ab hinc septimo, nos in Regem Poloniae designarent, eidemque Regno obedientiae et fidelitatis iurejurando nobis dato nos inaugurarent, recepit eis pro nobis et spondit, et literarum monumentis consignatis cavuit idem Serenissimus parens noster, quo volente et adjuvante haec fiebant, minime teneri eos iurejurando suo quod nobis praestitissent, nec imperio nostro parere debere, nisi nos ipsis vi-

cissim jurarem: nos omnia iura, et privilegia, libertates, literas immunitates justas et legitimas ejusdem Regni nostri, ecclesiasticas, saeculares et quibusvis ordinibus, et hominibus nemine excepto, a majoribus nostris Regibus Poloniae, praesertim vero a divis Casimiro antiquo, Ludovico, Vladislao proavo, Vladislao magno patruo, Casimiro avo, Ioanne Alberto, et Alexandro patris: et Serenissimo Sigismundo Primo patre nostro donatas, omnino ratas habituros esse, servaturos, et defensuros, omniaque inique ab eodem Regno abalienata atque distracta, pro viribus nostris recuperaturos, et ad unionem Regni aggregaturos, nec imminuturos fines ejusdem Regni Poloniae, sed aucturos potius, prolaturusque quoad poterimus: atque id insurandum, ut tum denique daremus, cum adultiorem aetatem attingeremus, hoc est, cum quindecimum aetatis nostrae annum aggressi essemus: verum ea lege tamen, ut nihilominus universa ejusdem Regni Poloniae potestas, imperium, et iurisdictio penes Serenissimum parentem nostrum esset, quoad is viveret. Id vero tempus praescriptum cum advenisset juravimus publice in summo templo in arce Cracovien: quarta die Febr: anni praesentis, verbis conceptis, ad Sancta Dei Evangelia in eam sententiam, cujus supra meminimus: et Sere: parentis nostri fidem pro nobis datam liberavimus. Cacterum ut pactis illis et conditionibus, quibus Regnum ad nos delatum est, stemus: et ne idem illud Regnum nostrum ullis turbis atque difficultatibus involveremus, memoresque paternorum beneficiorum, officijque nostri, atque benevolentiae singularis erga nos omnium nostrorum subditorum, recipimus, spondemus, et Regio nostro verbo pollicemur, primum omnia nos quaecunque juravimus, omnibus subditis nostris, incolis nostris Regni Poloniae cujuscunque ordinis et conditionis fuerint, absque ulla controversia, servare, defendere, et exequi velle. Deinde nihil nos imperij neque iurisdictioni in eodem Regno vivente Serenissimo parente nostro, nobis esse usurpaturos, neque coacturos quemquam invitum et recusantem voluntanti jussisque nostris parere; sed in ejusdem Serenissimi parentis nostri potestate quoad victurus est omnia nosque ipsos etiam esse futuros, postremo post obitum etiam, qui utinam sero contingat, Serenissimi patris nostri, neminem praedictorum subditorum nostrorum nobis parere debere, nisi prius ipsis universis, omnia iura, et privilegia tam Regni nostri Poloniae, et ditionum ejus omnia, quam privatarum personarum aut locorum quorumcunque privata, et quasvis libertates, literas, et immunitates a supra memoratis majoribus nostris Regibus donatas; quaeque deinceps adhuc a Serenissimo patre nostro, quamdiu vivet donabuntur, et constituentur literis nostris confirmavimus, atque juxta continentiam et tenores earundem in debita executione posuerimus: quae omnia libenter pro viribus nostris faciemus et exequemur. Quod ut certum firmumque sit, si-

514

511

512

gno nostro, quo nunc utimur appenso, literas has consignavimus et manu nostra subscripsimus. Datum Cracoviae, sexta Febr. anno Domini 1537.

SIGISMUNDUS PRIMUS

CAVET NEMINEM PARERE DEBERE FILIO NISI POST DIPLOMA CONF: JURA, ANNO 1537.

Sigismundus ejus nominis Primus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Masoviae etc. Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium universis et singulis cujuslibet ordinis, dignitatis et conditionis hominibus, quum ante septem annos Consiliarij Regni nostri, singulari erga Nos Domumque nostram Regiam studio et propensione permoti, tum imminentibus etiam difficultatibus atque motibus, quibus nunc universus fere orbis terrarum tumultuatur, obviam ituri, Serenissimum filium nostrum Sigismundum Augustum Regem sibi et Regno Poloniae, Nobisque Successorem voluntate nostra constituissent, ac ne res ea posthac ullo pacto in dubium revocari posset, iurejurando sigillatim dato fidem suam ipsius Majestati obstrinxissent, quoniam is tum per aetatem nondum commode vicissim ipsis iusjurandum dare poterat, recipimus Nos et spondimus, et Regio verbo nostro promisimus, ipsius Majestatem, cum annum quintumdecimum egressa fuisset, vicissim subditis suis omnibus consentaneum iusjurandum esse daturam, cujus formula continetur ijs literis, quibus fidem nostram obstrinxeramus. Nunc itaque cum tempus id venisset, liberavit ipsius Majestas fidem nostram pro se datam, taleque iusjurandum quale modo descriptum est, conceptis verbis ad Sancta Dei Evangelia publice in ecclesia cathedrali Cracoviensi quarta die Februarij praesentis anni dedit. At ne quid ea res discriminis malique afferret, ita tum quoque in electione illa cautum publicoque omnium consensu constitutum erat, ut, quoad Nos viveremus, penes Nos universa potestas et Regium imperium nihilominus maneret: nunc etiam recepit idem Serenissimus Filius noster, spondit et Regio suo verbo promisit, literarumque monumentis ea de re conscrip'tis et signo suo consignatis cavit, viventibus Nobis nihil se potestatis et iurisdictionis in Regno Poloniae sibi esse vendicaturum, neque vi quemquam invitum ad jussa sua faciendum adacturum, sed omnia, seque ipsum denique semper in potestate nostra fore. Deinde quocumque jurasset publica, omnia se sine ulla controversia servaturum, defensurum atque executurum esse. Postremo, post obitum quoque nostrum, neminem praedictorum subditorum suorum sibi parere debere, nec fore obnoxios fidei imperioque suo, nisi prius ipsis universa iura, privilegia, libertates, literas et immunitates, a supramemoratis Majoribus suis Divis Regi-

bus Poloniae, et a Nobis etiam concessas ac donatas, quaeque in posterum, dum vivimus, a Nobis concedentur donabunturque, diplomate suo Regio confirmaverit, et pro viribus suis juxta tenores earundem in executionem posuerit. Quae omnia Nos quoque pro eodem Serenissimo Filio nostro recipimus, spondemus et Regio verbo nostro promittimus. Id quod his literis signo nostro impresso consignatis testatum esse volumus. Datum Cracoviae sexta Februarij anno Domini millesimo, quingentesimo, trigesimo septimo, Regni vero nostri anno trigesimo primo.

SIGISMUNDUS PRIMUS

CAVET ELECTIONEM FIERI NON DEBERE NISI IN COMITIJS.

In Nomine Domini, Amen. Nos Sigismundus, significamus tenore praesentium: cum nullius rei Nobis cura sit antiquior, quam ut Regni nostri quieti et tranquillitati, non solum quoad Nobis vita suppeditaverit, verum etiam (si fieri possit) in sempiternum tempus providere possimus: cumque non minus ad Nos pertinere existimemus ea, quae in posterum, Nobis a vita sublatis, quam quae superstitibus accidere possint: faciendum putavimus, ut pro more nostro, justas et aequas preces nobilitatis Regni nostri benigne et clementer admitteremus, quibus a Nobis, summo studio Nuncij illius, ex omnibus Regni conditionisque nostrae territorijs, contenderunt, ut ne qui (si quando interregnum esse contigerit) novi motus oriri possent, constitutione nostra caveremus, decerneremusque: quemadmodum praesentibus cavemus, statuimus et decernimus: de consensu totius Regni Senatus, et Nunciorum Terrestrialium, aeviternis temporibus observandum: ut si quid de Rege Poloniae factum sit, eumque ex vita excedere contigerit, secundum veterem morem consuetudinemque, et statuta Regni generalia, Comitum Regni edicantur, ad novum Regem eligendum; fiatque electio Regis libera, ita, ut ex omnium Regni Senatorum, Consiliariorumque Praelatorum, Baronum, Militum, Nobilium, quicumque Comitum ista obierint, eisque interfuerint, consensu et voluntate, novus Rex eligatur et denunciatur: atque at diplomati huic nostro tanto maior fides habeatur, firmiterque observetur: sigillum nostrum illi appendi jussimus. Datum Petricoviae, in Conventione Generali, feria quinta post festum sancti Matthiae Apostoli proxima, anno Domini 1538. Regni vero nostri anno trigesimo secundo.

DECRETA,

CONSTITUTIONES PUBLICAE,

IN CONVENTU GENERALI PETRICOVIENSI, PRO FESTO SS. TRIUM REGUM, A. D. MILLESIMI QUINGENTESIMI TRIGESIMI OCTAVI, CONSILIARIORUM REGNI ET NUNTIORUM TERRARUM, MUTUO CONSENSU FACTAE.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, etc. Dominus et Haeres. Manifestum facimus, tenore praesentium, quibus expedit, universis et singulis, praesentibus quam futuris, harum notitiam habituris. Cum Regni, Reique publicae rationibus postulantes, vitari non poterit: quin aliqua fierent contra leges constitutionesque Regni: quas publicae utilitatis causa institutas, parere publicae utilitati, atque ad novos casus temporum novorum, consiliorum rationes accomodari, non iniquum videbatur: perspeximus eam rem nobilitati Regni nostri molestam accidisse; quod vereretur, si saepius esset a legibus istis et constitutionibus discessum, ne quis postea nostri dissimilis oriretur: qui non ex Regni, Reique publicae commodo, sed ex libidine sua cuncta facere in animum induceret: quae non tam licita, quam animo suo essent collibita: legesque et constitutiones patrias, arbitrio suo sibi mutandi violandique, hoc exemplo, potestatem datam existimaret. Quae quidem res, cum universae nobilitati Regni nostri, usque adeo molesta esse coepisset: ut per Nuncios suos quos ad Comitum quae Petricoviae per Nos habita sunt, miserat, supplex a Nobis contenderet, si quid contra leges factum videri posset, Nobis ad Regni gubernacula sedentibus, non id quidem ut irritum esse vellemus, sed provideremus et caveremus literis et constitutionibus nostris, nunquam Nos, nostrosque Successores Poloniae Reges, deinceps quidquam facturos: quod Regni legibus, constitutionibusque adversaretur. Nos qui ne antea quidem, nisi gravissimis adducti rationibus fieri quidquam passi sumus, quod cum Regni constitutionibus pugnare videretur: fecimus non inviti, ut precibus ejusdem nobilitatis Regni nostri, quae non visae sunt ab aequitate abhorre, locum daremus. Itaque his et constitutionibus nostris cavemus et pollicemur: nunquam Nos, nostrosque Successores, fieri quidquam passuros, in quo Regni leges, constitutionesque violatae, videri possent: atque articulos hos infrascriptos, sancte, inviolateque observaturos.

De teloneis pontalibus, aggeralibus, etc.

Quoniam magnis et frequentibus querelis subditorum nostrorum obruimur; ob multiplicia gravamina: quae teloneorum quorumcumque Praefecti, aut Exactores, subditis nostris, etiam his qui militaris ordinis sunt, inferre noscuntur: ideo ad coercendam eorum licentiam, facilemque cuilibet justitiae administrationem assequen-

dam, statuimus, ut quaecumque privilegia posteriora Ludovici Regis privilegio, universae nobilitati dato, privatis personis, vel civitatibus super teloneis pontalibus vel aggeralibus concessa essent: contra publicam nobilium libertatem: in praesenti Conventu per Nos cassarentur, annihilarentur, caeterum ne quis in ea privilegiorum abrogatione praeter aequum et justum gravari se praetendere valeat: visum est, ut collatis privilegijs, melius appareat, qualiter aliquo privilegio, publicae libertati derogetur: prius illa dispiceremus. Quod etiam in praesenti Conventu magna ex parte fecimus: atque ea privilegia, quae videbantur publicae libertati adversari, abrogavimus: alia vero, quae ad commodum et necessitatem publicam transeuntium, concessa sunt, in robore reliquimus. Simile iudicium de reliquis omnibus hujusmodi privilegijs, in proximo futuro Conventu sumus facturum, et per edictum publicum proclamari mandabimus: ut omnes in eo ipso Conventu, cum hujusmodi privilegijs suis peremptorie compareant: alioquin privilegiorum suorum usum perpetuo amissuri. Neque deinceps ullus in hujusmodi teloneis percipiendis privilegijs suis uti debebit, aut poterit: sub amissione bonorum: nisi qui literas nostras in praesenti vel futuro Conventu ea de re obtinuerit.

Quia vero ab omnibus teloneis pontalibus et aggeralibus: alijsque hujusmodi exactionibus: certae personae, et Ordines Regni nostri, publicis et antiquis privilegijs exempti esse noscuntur: decernimus: ut Praelati, Barones, et nobiles, ac eorum subditi, cum rebus quibuscumque suis, proprij laboris, ultro citroque per Regnum commeantes, dispensationi privilegiorum, super exactionibus praefatis concessorum, non subjaceant: sed perpetuis temporibus a solutionibus quibusvis hujusmodi sint liberi et immunes.

Statuimus insuper et decernimus: ut deinceps futuris temporibus, teloneatores nostri omnes, sint nobiles, possessionati, saeculares, et christiani: exceptis locis istis, in quibus Capitanei et Praefecti arcium et civitatum nostrarum, habent in cura et possessione sua, telonea nostra: nam ipsi pro teloneatoribus haberi et reputari debent. Quicumque autem ex teloneatoribus contra libertatem nobilitatis aliquem nobilem aut ejus subditum, exactione telonei foralis pontalis aggeralis seu cujusvis excogitatae exactionis indebite oneraverit, et aliquid ab eo per se, vel per alium exegerit, seu extorserit, pro tali injuria, citari peremptorie poterit ubilibet, pro arbitrio ejus, qui injuriam passus fuerit. Ut vel ad Terrestre, vel ad Capitaneale illius loci iudicium, sive ubicumque locorum, talis teloneator, sive in Curia nostra Regali repertus, et citatione Curiae citatus fuerit, tum ibidem, sine quavis exceptione, respondere tenebitur: tanquam pro articulo officij, qui Terram et Districtum non habet: et quum convictus fuerit teloneator, in aliquo iudiciorum praedictorum, injuriam fecisse,

in exigendo aliquo teloneo forali, pontali, aggerali, etc. primum omnium restituere debet illud quod exegit: deinde ei, a quo citatus fuerit, in poena quatuordecim marcarum pecuniae, et trium iudicio, seu officio condemnari debet.

In his vero iudicijs, nobili citato, admitti debet expurgatio: ita videlicet: ut teloneator nobilis juxta quantitatem summae, et damni praestet corporale juramentum, quod nihil exegit nec per se, nec per quempiam alium, quod esset contra privilegium, et libertatem publicam.

Is etiam modus repetendi, a teloneatoribus indebite exigentibus, in aquaticis, et pontium teloneis praesidentibus: tam in Regno, quam generaliter omnium Terrarum et Palatinatum, Regno Poloniae subjectorum, servari debebit.

Similiter et de Capitaneo loci: qui in debita exactione aliquid contravenerit, hoc quod contra scriptum est, erit observandum.

Quoniam autem contingit in plerisque locis, et fluminibus, pontes extrui, ubi prius transitus non admodum difficilis fuit et nunc quoque pateat: decernimus; ut liberum sit unicuique fluvium, aut locum quem *brod* vulgariter appellant, transire, si vult declinare pontem. Quo casu cogi non debet, neque poterit ad solutionem pontalis, nemo tamen debet huiusmodi transitus seu *brody*, atque transeuntes, modis quibuscunque et ingenijs impedire, aut destruere, sub poenis suprascriptis.

Quodsi Praefectus, seu Exactor alienjns telonei pontalis, aggeralis, foralium, aut cujuscunque praestationis in bonis dominorum, spiritualium, saecularium, aut nobilium quorumcunque a quocunque contra libertatem publicam aliquid exegerit et extorserit, eo casu dominus ipsius tenebitur coram iudicio seu officio praefato, huiusmodi Exactorem etiam apud ipsum non arrestatum statuere, et cavere debet, quod ipse Teloneator seu Exactor juri parebit, et jure convictus satisfaciet parti modo praemisso. Ubi vero huiusmodi Teloneator seu Exactor convictus seu condemnatus, damnum et poenas praefatas solvere non posset, tunc actori damnum passo per dominum, in manus ibidem in instanti tradi debet. Quodsi dominus Teloneatorem seu Exactorem suum coram iudicio vel officio suo, modo praemisso citatus non statuerit, tum in instanti ipse respondere et victus jure parti satisfacere, sine quibusvis exceptionibus et appellationibus tenebitur.

Item in arbitrio et libertate actoris erit, vel Exactori plebejo citato, expurgationem admittere: vel ipsi soli, juxta quantitatem summae, super damno illato probationem facere.

Probatio vero seu expurgatio tali modo fieri debet, quod Teloneator nobilis juret juxta quantitatem summae, plebejus vero et ignobilis pro summa decem marcarum metsecundus, pro majori autem summa metseptimus jurare debet, quod videlicet nihil ab actore contra libertatem publicam exegit et extorsit.

Civitatium etiam et oppidorum incolae, ubili-

bet in Regno constituti, eidem legi subiacebunt, quod videlicet modo suprascripto ad praefata iudicia seu officia citati, eodem modo juri parere et respondere, ac condemnati satisfacere tenebuntur, et ipsi cives praefati Proconsul scilicet cum Consulibus, suos Teloneatores seu Exactores, coram praefatis iudicijs et officijs similiter statuere debebunt et tenebuntur. In defectu vero statuitionis soli respondebunt, et jure victi, parti satisfacient, ut supra de alijs constitutum est, neque poterint ipsi cives a praefatis iudicijs seu officijs se excipere seu eximere, aut ad jus suum civile, vel ad quodcunque aliud revocare, vigore privilegiorum suorum, jurium, consuetudinum, aut libertatum eis concessarum, quibus omnibus in hac parte duntaxat derogatur, quod in hac causa quae mera ad officium seu iudicium Regale pertinet, privilegia in contrarium disponentia, merito illis suffragari non debeant.

Ad coercendam vero licentiosam foralium exactionem statutum olim Serenissimi Joannis Alberti, (*folio 266*) in robore conservandum decernimus: quo cautum est, quod a kmetonibus, pecora et pecudes, res quoque alias privatas cujuslibet generis, domestica cura comparatas, ducentibus, vendentibusque aut pro usu domestico ementibus, nulla telonea foraliaque exigere debent: non obstante statuto nostro de rebus mechanicis disponente, quod quo ad hoc servari non debet.

Quia frequenter accidit, damna in bonis a transeuntibus inferri, et pro illis transeuntes nonnunquam plus aequo gravari: statuimus, ut hi qui in possessionibus suis damnum se recepisse praetulerint, ab aliquo eorum qui publico itinere pecora, pecudesque egerint, vel cum curribus et equis iter fecerint, damnum huiusmodi sibi illatum cum Ministeriali Terrestri et duobus nobilibus illud conspiciat et testetur. In defectu vero nobilium vel Ministerialis, cum quatuor vel ad minus duobus plebeis juratis villae illius seu vicinae: et quod illi Ministeriales, nobiles, vel plebei jurati pro damno dandum decreverint exigant. Pro qua exactione si in iudicium citatum fuerit, ille qui eo modo ut suprascriptum est, damnum se accepisse, protestatus fuerit, juramento suo proprio juxta recognitionem illorum, qui damnum conspexerint actorem evadat.

De redemptione bonorum Regalium.

Quoniam circa redemptionem bonorum nostrorum Regalium evenire solet quod tenarum de quorum manibus bona redimuntur, gravamina et difficultates perferre coguntur: ad quae amovenda statuimus, ut in redemptione bonorum nostrorum Regalium, sive ea pro mensa nostra sive per quempiam alium de consensu nostro redimantur, non servetur deinceps arrestatio pecuniarum homini possessionato, similiter et impossessionato, fidejussores pro se statuenti. Sed si quispiam subditorum nostrorum ex illis bonis

redemptis, se injuriam aut damnum ab eo qui exemptus est, accepisse praetendat, pro tali injuria seu damno jure Terrestri cum eo experiantur. Deinde ut ad migrandum quod *rumowanie* vocant, quilibet de cujus manibus sive per Nos, aut alium quempiam bona nostra redimuntur, tempus sex sepimanarum liberum habeat: quo tempore licere debet exempto, omnes et singulas res, et bona quacunque mobilia propria evehere, expellere, et exportare. Praeterea huiusmodi bonorum redemptio fieri debet in Districtu proprio: quando per alium, quam per Nos redimuntur: et terminus citationis pro redimendis bonis, sive per Nos, sive per quempiam alium, de consensu nostro redimantur, debet esse sex septimanarum a tempore positionis ipsius citationis.

521

De Abbatibus, et Praepositis.

Frequentibus magnisque petitionibus atque clamoribus subditorum nostrorum permoti: cernentes omnia monasteria ferme in Regno nostro, ex munificentia et liberalitate, non solum Antecessorum nostrorum Poloniae Regum atque Principum, sed etiam Baronum et nobilium facultatibus, bene dotata esse, et nunc quoque nobilitatis favore plurimum indigere, caventes etiam ne nova dogmata ex Germania ad Regnum nostrum, praesertim vero ad quaedam monasteria in ditonibus nostris, per homines nationis illius inferantur, et ne monasteria ipsa, quae jam magna ex parte desolata cernuntur, ad interitum ob defectum personarum deveniant; statuimus, ut deinceps futuris perpetuis temporibus nemo in Abbatem cujuscunque monasterij in Regno nostro, aut etiam in Praepositum eligi debeat, aut possit, nisi qui sit natione Polonus, hac cautione adjecta, ut si in eodem monasterio aliquis ex nobili genere procreatus, et idoneus monachus reperiat, in Abbatem ante alios eligi et recipi debeat, atque per Nos loci Ordinario praesentari. Ubi vero nullus nobilis idoneus in eodem monasterio reperiretur, tum ex alio monasterio ejusdem ordinis et religionis vir nobilis et idoneus erit deligendus, seu postulandus. In defectu autem nobilis idonei licitum erit et liberum, plebeium idoneum natione Polonum in Abbatem eligere, de cujus idoneitate et natione, loci ordinarius Episcopus Nos per literas suas certiores reddet, ut sciamus, quem et qualem ei praesentare debeamus.

De Notarijs Terrestribus.

Decernimus omnino habere volentes, ut constitutiones de Notarijs Terrestribus editae, jam exnunc debitam per omnia executionem habeant, et accipiant, atque futuris temporibus dispositio illarum in omnibus servetur, et manuteneatur.

De captivatione nobilium in civitatibus.

Statuimus, ut nobiles secundum statutum Thorunij editum, pro admissis criminibus in civitatibus et oppidis captiventur, et qui Officio Ca-

pitaneali digni poena videbuntur, in civium potestate reliquantur. Qui vero judicabuntur ab Officio Capitaneali utcunque civibus dissentientibus, poenam non promeruisse, in custodiam Officij Castrensis tradi debent, usque ad cognitionem nostram super huiusmodi detentorum excessibus faciendam. Quodsi Nos decreverimus aliquem injuste detentum esse, eumque per sententiam nostram liberum fecerimus, cives pro huiusmodi iniusta detentione poenam datento sexaginta marcarum pecuniae solvere tenebuntur, sintque adstricti.

Statuti autem formula, Thoruniae per Nos anno 1520 editi, in haec verba sequitur.

522

Quia nobilium et civitatum Regni nostri damnosa fuit exorta differentia super his nobilibus, qui in recenti crimine pro violentia, in civitatibus et oppidis capiebantur. Proinde Nos tam gravi negotio ad praesens, propter Prussiae bellicam occupationem pro perpetua ordinatione intendere non valentes, nihilominus providentes tranquillitati subditorum nostrorum, de unanimi consilio Consiliariorum nostrorum omnium, et Nuntiorum Terrestrium Regni, statuimus et ordinamus, quod dum aliquis nobilis in civitate nostra et oppido nostro, aut aliquorum spiritualium et saecularium, subditorum Regni nostri, pro crimine violentiae per Officium Civile captus fuerit, extunc talis nobilis pro violentia captus detineri debet in Praetorio civitatis vel oppidi ubi capiatur. Quo facto Officium civitatis vel oppidi illius, ubi talis, violator captus fuerit, nullum penitus iudicium faciet, nec aliquam poenam exiget de eodem nobili, nisi prius ad eorum requisitionem Capitaneus, vel Vice-Capitaneus Castren: illius jurisdictionis nostrae Regalis, sub quo talis civitas vel oppidum situm fuerit, praesens interfuerit, eidem Civili Iudicio, quod ministrari et fieri debet pro violentia contra dictum nobilem. Et ubi Capitaneus vel Vice-Capitaneus noster ad unam sententiam cum Officio illius civitatis vel oppidi, ubi talis nobilis detentus fuerit condecorati fuerint: extunc praefatus nobilis juxta huiusmodi sententiam Capitanei nostri, aut ejus Vice-Capitanei, et Officij Civilis, condemnari et puniri debet. Si vero talis Capitaneus noster, vel ejus Vice-Capitaneus non poterit se concordare super sententiam cum Officio Civili, contra talem nobilem, extunc ipse captivus interea temporis in decenti captivitate civili detineri debet, tandiu donec a Majestate nostra Regia informationem Capitaneus noster et illa Civitas vel oppidum habuerit: quomodo talis nobilis captivus sententari et puniri deberet: praescriptione tanta temporis non obstante, qua se praedictus captivus fieri non valebit. Si vero in aliqua civitate vel oppido Officium Civile contra praemissa aliquid attentaverit: extunc per Capitaneum nostrum Castren: sub cujus jurisdictione et Districtu talis civitas vel oppidum consistit, Proconsul pro tempore existens, cum uno Consule, capi et decollari et capite privari debent.

De inhibitionibus.

523

Volumus, ut nullae in posterum inhibitiones ad iudicia dentur, fiatque in hoc executio statutorum Regni nostri, et hic qui huiusmodi literas in iudicium produxerit, poena quatuordecem marcarum parti adversae puniatur. Similiter Iudices tam Terrestres quam Castrenses, huiusmodi literis inhibitionum, in praeiudicium partium parentes, et locum dantes, quatuordecim marcarum poena plectantur, exceptis causis eorum, qui in servitijs Reipublicae, puta legationis, aut ubi aliquis per Nos exercitui contra hostem nostrum, etiam extra Regnum praefectus fuerit, quorum causae ad unius anni spatium, si tanto tempore fuerint in servitio nostrum, suspendi poterunt, jussu aut declaratione nostra, per literas iudicio faciendae.

De iudicio occisorum et vulneratorum in civitatibus et oppidis.

Decernimus, ut deinceps secundum antiquas Regni nostri constitutiones, de occisis seu vulneratis nobilibus, aut eorum kmetonibus, in omnibus civitatibus et oppidis nostris Regijs, spiritualiumque et saecularium dominorum, non Iudicium Civile, sed Terrestre et Polonicum servetur et locetur. Ubi vero Civile jus fuerit a civibus in hac re servatum, poena quatuordecim marcarum pecuniae, cives ipsi parti solven: puniantur, jure Terrestri toties quoties opus fuerit peremptorie exigenda.

De Palatinorum, Vice-Palatinorum, ac civium negligentia super taxatione rerum.

Consentientibus Regni nostri Ordinibus, decernimus, ut de rebus in civitatibus et oppidis, taxandis, Palatini ipsi, dispositioni statutorum omnino satisfaciant, et quam hactenus admittebant, nullam deinceps in hac committant negligentiam. Nam alioquin liberum erit unicuique negligentiam Palatini deferre Nobis. Ubi vero ignorant Palatino per negligentiam Vicepalatini, taxatio rerum praedicta intermittetur, Palatino debet deferri Vice-Palatini negligentia. Verum si Palatinus sciens ejusmodi negligentiam committi, Officium suum in ordinem non redegerit, resque non taxaverit pretio illis constituto, citatus ex Officio peremptorie, poenam centum marcarum pecuniae luere debet, cujus medietas pro fisco Regio, alia vero pro parte instigante spectare debet. Ubi vero constitutioni Palatini, cives vel oppidani quicumque contravenientes, plus ab aliquo emente extorserint, citati pro hac iniuria si erunt civitatum nostrarum incolae, ad Palatinum loci illius, vel eius vicesgerentem, poenam quatuordecim marcarum pecuniae luent et succumbent, si per actorem fuerint convicti. Si autem spiritualium, Baronum, vel nobilium subditi fuerint, ad eorum dominos, vel ipsorum locum tenentes citati, et rei in hac parte reperti, condemnari in poena quatuordecim marcarum, toties quoties de inobedientia

524

praedicta convicti fuerint, debebunt. Quodsi Palatinus loci ad querelam huiusmodi, justitiam ministrare cum civibus et oppidanis neglexerit; citatus ex officio, poenam centum marcarum modo praemisso luere debet. Domini vero spirituales et saeculares, in simili casu justitiam ministrare negligentes, pro non administrata iustitia, citati ad ius Terrestre peremptorie, poena quatuordecim marcarum pecuniae puniantur, cuius media pars iudicio, alia actoreae parti cedere debet.

De nundinis civitatum et oppidorum.

Innitentes priori statuto, decernimus, ut libera sit venditio rerum omnium, per talenta et ulnas, in nundinis civitatum et oppidorum, praesertim in Leopoliensi, Lublinensi, Posnaniensi, Warsaviensi civitatibus, et in aliis omnibus in Regno consistentibus. Quodsi civitates ipsae praemissis contravererint, citatae ad praesentiam nostram, praemissorum occasione, ubicunque fuerimus constituti, peremptorie in poena centum marcarum, ubi aliqua earundem ad minus tribus testibus convicta fuerit irremissibiliter eandem condemnabimus; cuius medietas pro fisco nostro Regio, altera vero pro parte instigante spectare debet. Huiusmodi vero libertas incipere debet, a proximo festo Sancti Joannis Baptistae.

De profugis kmetonibus.

Statuta de arrestatione kmetonum, neminem ad sui observationem deinceps stringere debent, sed antiquiora de repetendis fugitivis kmetonibus, sine arrestatione in robore conservamus. Hoc idem jus ad filios colonorum, et famulos seu servitores fugitivos, per dominos repetendos extendimus.

De expeditione bellica.

Bellicam expeditionem generalem, non nisi de liberate, et ex legitimis rationibus et causis, ac necessitate publica, futuris temporibus instituiamus, secundum dispositionem statutorum, praemissis generali et particulari Conventibus. Cum vero expeditio bellica fuerit instituta, ad illam immutandam, Conventiones iudici non debent, ne cum ex decreta et publicata expeditione, praeparationem ad bellum nobiles fecerint, si eodem tempore contribuere cogentur, duplici sumptu onerentur.

De judaeis.

Statuimus inviolabiliter observandum, judaeos teloneis quibuscunque praefici non debere, neque posse, indignum et iuri Divino contrarium censentes, eius generis homines aliquibus honoribus et officiis inter christianos fungi debere.

525

Caeterum pignora debebunt inscribere in libros, secundum statutum nostrum, Cracoviae in Conventu Regni Generali anno Domini 1532 editum.

Quoniam vero nimia furum licentia et pluralitas, eo maxime crevisse videtur, quod fures

ipsi habeant rerum furto ablatarum, apud judaeos tutam venditionem, cui malo ut obviari possit, ex consilio Senatorum Regni nostri, et postulantibus Nuntiis Terrarum: decrevimus, decernimusque, ut si judaei pro re furtiva ad se delata, evictorem statuere non possent, aut nolent, in iudicio ad hoc citati, poena furcae ipsi ut culpae participes et conscij puniri debent.

Volumus praeterea, ut judaei non habeant liberam mercandi in omnibus rebus facultatem, sed modum per Nos statuendum in mercimonijs ad victum quaerendum, ubique in Regno nostro teneant et diligenter observent, atque etiam pacta et conventiones, quas cum nonnullis civitatibus majoribus Regni nostri habeant, in toto teneant.

Et quoniam judaei relicto veteri instituto, projectis signis, per quae a christianis dignoscantur, vestitum christianis per omnia similem sumpserunt, ut inter christianos dignosci non possint: statuimus perpetuo observandum, ut omnes et singuli ubique in Regno nostro, judaei, signa, hoc est *bireta*, aut capellos, seu aliud capitis tegmentum, coloris glauci, alias *zotte*, ubilibet locorum deferant, viatoribus exceptis, per viam enim et itinera licebit illis signa huiusmodi deponere aut occultare.

Quodsi quispiam ex judaeis uti transgressor hujus legis, non deferens capitis tegmentum glauci coloris, Palatino loci aut ejus Vice-Palatino, seu Iudici secundum morem Terrae cujuslibet delatus, et ubi convictus fuerit, solvere cogatur, toties quoties constitutioni contravererit praesenti unius floreni poenam, cujus medietas Palatino, seu Vice-Palatino, seu Iudici, et alia medietas Instigatori cedere debet.

Quia etiam ad providendum securitati eorundem judaeorum et ad compescendum licentiosorum audaciam, eisdem judaeis, in aliquibus locis contulimus vadia, ad magnas summas se extendentia, quae quidem non ad singulares et privatas personas, sed duntaxat ad communitatem, aut aliam multitudinem civilem per conspiracyonem, tumultum, et seditionem, ad perniciem et interitum judaeorum excitatam, extendi debere volumus et declaramus.

Item cum christianis jura Regni mercaturas et fora in villis facere prohibeant, multominus hoc judaeis licere censemus, immo sub gravissimis poenis, ne talia audeant, eis interdiximus, et prohibemus; sub amissione rerum omnium, juxta antiquum statum confiscandarum.

526

De civibus bona haereditaria possidentibus.

Antiquis constitutionibus Praedecessorum nostrorum innitentes, et subditorum nostrorum petitionibus permoti; decernimus, ut cives et plebei, secundum statutorum prohibitionem, bona haereditaria terrestria deinceps non emant, et inscriptiones quae in Iudicijs Terrestribus illis super haec facta fuerint, sint ipso facto nullae, Iudex vero inscriptionem admittens, poenam centum marcarum incurrat ab eo ex officio exigendam.

Bona autem quae hactenus cives ipsi possederunt et possident, tenebuntur infra tempus quatuor annorum, illa cuicumque voluerint nobili et indigenae Regni vendere, sub amissione eorundem honorum, quae modo praemisso per Nos vendi, et pecuniae pro defensione Regni converti debebunt. Ita tamen, quod ea bona, ad hunc modum vendita, poterint proximiores eorum nobilium, qui ea vendiderunt et alienaverunt, pro eadem summa, pro qua vendita erant infra annum, a tempore venditionis factae redimere. Hoc tamen extendi non debet ad civitates et communitates earundem: quae bona haereditaria terrestria, vigore privilegiorum antiquorum, in commune obtinent, secus de privilegijs, quae ante statutum Joannis Alberti Regis concessa sunt.

De Colloquijs Generalibus celebrandis.

Statuta de Colloquijs Generalibus celebrandis, in executionem ponere, illa exequi, per edicta nostra mandabimus.

De novis constitutionibus.

Constitutiones novas non nisi cum Consiliariorum et Nuntiorum Terrarum consensu, secundum statutum Alexandri Regis faciemus.

De officijs Cancellariae.

Officia Cancellariae nostrae, secundum statuta Regni nostri de hoc edita, futuris temporibus deinceps distribuemus.

De plebeijs et cortisanis.

Statuta de numero plebejorum ad ecclesias cathedrales recipiendorum, et de pensionibus submovendis, ac de poena contra cortisanos edita, quoties opus fuerit exequemur et executioni debitae demandari faciemus.

Quodsi aliquis contra dispositionem statutorum aliquid jure cortisanico obtineret, proscriptus seu bannitus ipso facto et bona ipsius, juxta statuta confiscantur. Si vero metu poenae praefatae cedit liti, juri, et causae, nihilominus ad solutionem damnorum et impensarum ei, contra quem jure cortisanico egit, teneatur et sit adstrictus, damnum vero et expensae, juramento petentis probabuntur.

527

Caeterum, quia aliqui ex subditis nostris, jam a multis annis Romae agunt, et in Regno nostro non pauca sacerdotia, curam etiam animarum habentia possident, eaque plurimum negligent, et alios hic in Regno manentes, quieti et Divinis obsequijs deditos, citationibus ad Romanam curiam evocant, litibus involvunt, et varie divexant, quorum licentia et libido non levem in animis subditorum nostrorum perturbationem excitavit, ideo petitionibus Nuntiorum Terrarum, et clamoribus aliorum subditorum nostrorum permoti, et pene coacti: statuimus omnes huiusmodi cortisanos ex urbe Romana ad Regnum nostrum et sacerdotia, quae obtinent revocandos esse, et ubi revocati per Nos infra

praefinitum tempus non redierint, proscripti et infames censeantur, neque illis reditus pateat deinceps ad patriam.

De limitibus bonorum haereditariorum cum Regalibus.

Petitionibus subditorum nostrorum inducti, permittimus, ut in arbitrio sit subditorum nostrorum, petere et obtinere a Nobis confirmationem, super literis limitum editis, a quinque Commissarijs, per Nos secundum tenorem statuti deputatis. Quae quidem literae, quibus commissio et mandatum nostrum fuerit insertum, et sigilla Commissariorum apposita, auctoritatem et robur perpetuum obtinere debebunt, etiamsi nulla desuper interveniat confirmatio nostra.

Caeterum ad tollendas difficultates in faciendis limitibus, statuimus ut Consiliarij nostri, Deum solum prae oculis habentes nulli partium favendo, conspectis inprimis signis metalibus, et rei veritate diligenter investigata, tam ex senum etiam, si opus fuerit, juratorum testimonijs, quam aliis possibilibus judicijs, limites inter bona nostra Regalia et haereditaria, pro arbitrio et scientia sua constituent.

Liberum erit unicuique literas Commissariorum super limitibus, ad libros Cancellariae nostrae inducere, quas casu, vel necessitate postulante Cancellarij nostri sine ulla difficultate, sicut inscribere, ita etiam describere et literas petentibus ejusdem tenoris sub sigillo nostro, una tantum sexagena pecuniae pro eis accepta, sine ulla difficultate dare debebunt, et tenebuntur.

De incompatibilibus.

527

In collatione dignitatum et officiorum statuta Regni deinceps observabimus, ita quod dignitarios in Capitaneos loci illius non praeficiemus, praesertim cum juribus Regni provisum sit, ut nullus Castellanus vel Palatinus illius Terrae, Capitaneatum in quo judicia celebrantur, obtineat. Proinde quicumque ausus fuerit aliquid accipere, contra praesentem ordinationem, et antiquam Regni constitutionem, ubi monitus in Conventione Generali, aut particulari, hujusmodi dignitatem aut officium resignare neglexerit, infamis sit ipso facto.

Praeterea pollicemur, quod juxta privilegium Vladislai Jagellonis (*folio 60*), quando dignitates vacare contigerit, nulli extraneo terrigenae, nisi nobili illius Terrae, in qua dignitas hujusmodi vel honor vacaverit, Terrae videlicet Cracoviensis, terrigenae Cracoviensi, Sandomiriensis, terrigenae Sandomiriensi: et in Majori Polonia, terrigenae Poloniae Majoris, et sic in singulis Terris Regni Poloniae deinceps dabimus et conferemus.

Ad evitandas vero fictiones, quae de possessione habenda evenire solent, statuimus deinceps observandum, quod dignitates, Capitaneatus, et alia Officia Terrarum, non aliis conferri possint, et debeant, nisi illis, qui ante hac haberent non fictam aut coloratam, sed realem, veramque bonorum haereditariorum possessionem,

in illa Terra in qua dignitas vel Capitaneatus vacaverit, si ad illa assequenda habilis esse voluerit.

De motione a Judicio Castrensi.

Quia non infrequenter accidere solet, quod ob longam Capitanei absentiam a Capitaneatu, vel alias ob causas, homines in Judicio Castrensi gravati, in assecutione justitiae negliguntur, aut retardantur, decernimus, ut deinceps in causis judicij, a Judice Castrensi omissa Capitaneo ad Conventum Generalem, juxta priora statuta motio fiat, ab officio vero in causis officij, simpliciter ad Nos Judex Castrensis moveatur.

De alienigenis.

Nulli deinceps aeviterno tempore alienigenae, aliqua Castra et Dignitates Regni concedemus, neque Successores nostri concedent, et quicumque contra praesentem constitutionem aliquod officium seu dignitatem obtineret, et monitus quae obtinet non resignaverit, bona ipsius confiscari, et ipse infamis effici debet.

De libris seu registris Cancellariae.

Quoniam magno detrimento afficerentur, permulti Regni nostri subditi, ubi libri seu registra Cancellariae, quibus magni momenti privilegia, et alia hominum jura et munimenta fideliter inscripta sunt, suspecta aut fide carentia censi debeant, sicuti hactenus pro varietate opinionum putatum est, et ab aliquibus desideratum, ut abolerentur et cassarentur. Nos itaque volentes quosdam metu non admodum necessario liberare, in praesenti Conventu decrevimus neminem ex subditis nostris debere aut posse inquietari, molestari, aut etiam periclitari super bonis quibuscumque per literas et ex libris Cancellariae nostrae sumptas, et descriptas, quibus quod fuerit Regalia, probari posset, tales enim literas quo ad eum effectum, molestandi aliquem ex subditis nostris, nullius roboris et momenti esse volumus et decernimus.

529

Caeterum ut deinceps futuris temporibus libri ipsi Cancellariae nostrae, tanto diligentius et scribantur et serventur: volumus et firmiter decernimus, ut Cancellarius et Vice-Cancellarius Regni nostri, ipsi soli libros eosdem in sua custodia diligenter adservent, habeantque semper unum vel duos Notarios vel Scribas juratos, qui omnia privilegia, decreta, recognitiones, et alia quae ad necessitates et securitates hominum coram fiunt, et sub sigillis nostris conceduntur, sincere et fideliter in libros hujusmodi seu registra deinceps inscribant.

Quodsi aliquis subditorum nostrorum casu aliquo adverso aut fortuito literas a Nobis emanatas, et libris Cancellariae nostrae inscriptas perdiderit, amiserit, aut alioquin vitiatas haberit, Officiales Cancellariae nostrae tenebuntur, et debebunt, alias literas ex libris nostris non mutato priori tenore descriptas, sub sigillo nostro dare et extrahere. Verum ubi literae ex li-

bris Cancellariae extractae, allegarentur suspectae, registrisque seu libris Cancellariae comprobari propter antiquitatem non possent, tum juramento producentis, ut moris est, comprobari debent.

De literis ex libris Terrestribus extractis.

Ad praeccludendam viam dolis in detrimentum hominum excogitatis, decernimus ut literae ad libros Terrestres inscriptae et postea ex libris denuo descriptae, non aliter in judicijs faciant fidem, nisi cum originales fuerint productae.

De novis Tribunatibus.

Decernimus, ut novi Tribunatus, quicumque sunt a Nobis ubilibet instituti, non diutius quam ad mortem modernorum possessorum durent, quibus ex hac vita sublati, Tribunatus quoque ipsi extincti censeantur, novos deinceps nullos constituemus, et antiquos bene meritis, aut emeritis militibus conferemus.

De Referendarijs.

Referendarij nostri querelis tantummodo, et non judicijs, secundum statuta Regni intendere debent, neque se deinceps judicijs saecularibus immiscere poterint, praeterquam in praesentia nostra, quando ipsi causis cognoscendis interfuerimus personaliter, Nobiscum enim assidere, et consilia dare poterint, quos etiam juxta statutorum tenorem, semper sumus designaturi, vacatione occurrente. Judices autem et Subjudices Terrarum, causas audient et judicabunt, in Curia nostra, juxta statutum Casimiri Regis *fol. 6*.

530

Ne spirituales judicijs saecularibus se immisceant.

Petitionibus Nuntiorum Terrestrium permoti, et ad sopienda odia, quae adversus ecclesiasticos viros, ob quorundam insolentiam apud saeculares excitari contingit, statuimus, ut ecclesiastici viri beneficiati, aut sacerdotes non se immisceant, deinceps judicijs saecularibus, neque causas procurent et promoveant saecularium personarum, neque Officia Notariorum aut Vicenotariorum in saecularibus judicijs obeant, ad quos per Judices Terrestres non admittantur, exceptis causis propriis, aut aliarum spiritualium personarum, in quibus agendis procurandisque liberam habeant facultatem; verum Capitaneis licebit habere Notarios spirituales, quando quidem ipsi pro excessu Notariorum respondere tenebuntur, et erunt adstricti. In judicijs autem nostris in praesentia nostra, dum ipsi personaliter judicio interfuerimus, licebit spiritualibus personis Nobis assistere, et consilia praestare.

De dignitatibus et officiis.

Quia dignitates et officia post Conventum proxime praeteritum juxta antiquam consuetudinem per Nos collata, non licet Nobis abrogare, et ab eis quibus collata sunt, amovere et auferre, quod talis deturbatio et degradatio personarum insignium, nomini eorum notam inure-

ret, essetque intestini odij, et dissidij, non leve incentivum, ideo in futurum dum vacabunt, per cessum vel decessum praesentium possessorum, secundum statuta Regni nostri, futuris temporibus illa personis idoneis conferemus.

Ut omnes serviant bellicam expeditionem.

Cavebimus deinceps Nos et Posteris nostri, ne aliquem qui ad obeundum servitium bellicum de jure esset obligatus, ab expeditione bellica generali, liberum et exemptum faciamus, praeter aegrotantes, senio confectos, et in necessitate Reipublicae existentes, et praeter Vice-Capitaneos eorum locorum, ubi sunt judicia, et in limitibus Regni arcibus praesidentes.

De advitalitatibus.

531

Advitalitatum literae, a Nobis concessae per omnia, secundum earum tenorem, per Nos servabuntur.

De bonis haereditariis.

Ad literas et privilegia reponenda, super bonis quae haereditaria putata sunt, nemo cogi debet, aut poterit: nisi in causis manifestis et claris: quando doceretur sufficienter, Regalia bona omnino esse. Ubi vero res esset nimium antiqua, perplexa et dubia, tum negotium tale, et causam, non alibi, quam in Conventu Regni Generali, cum Consiliarijs nostris judicabimus.

De causis ad Conventum Generalem devolutis.

Consentimus: ut causae, ad Conventum Regni Generalem devolutae, duobus in septimana diebus, quarta scilicet et sexta feria, per Nos deinceps cognoscantur et judicentur: et conclusione facta Conventus, nemo postea in causis ad Conventum devolutis, judicare debebit aut poterit.

De interpretatione privilegiorum.

Privilegia publica et privata, non debent, interpretatione aliqua, in alium, quam sonant, sensum verti: sed ita, ut in suis tenoribus scripta sunt, et non aliter intelligi debent.

De prohibenda via in Hungariam et Silesiam.

Ad evitandas magnas insecuritates, injurias, et depraedationes, quas subditi nostri, ab incolis Regni Hungariae et Ducatus Silesiae, annis superioribus incurrerunt, et adhuc sustinere coguntur: de consensu omnium Ordinum, in hoc Conventu congregatorum, interdicimus, et severe prohibemus: ut nemo subditorum nostrorum ad Hungariam et Silesiam cum mercibus, aut pro mercibus, et rebus quibuscumque ire et proficisci aut inde ad Regnum nostrum merces quascunque invehere audeat: sub amissione rerum et mercium earundem. Relaxatio autem ejusdem occlusionis a Nobis fieri non potest nisi in Conventu Regni Generali. Verum permittimus, ut nobilitas et mercatores; boves, quos hac hyeme aluerunt, extra Regnum, ita ut prius,

usque ad festum Sanctae Trinitatis proximum, depellere possint et valeant.

Liberum tamen erit, Hungariae et Silesiae incolis, cum rebus et mercibus quibuscunque, interea ad Regnum nostrum venire: et ex Regno cum alijs quibuscunque rebus sine quovis impedimento, ad sua redire: non obstante hujusmodi occlusionone: quae duntaxat ad subditos nostros pertinere debet.

532

Haec autem prohibitio, relaxari non debet per Nos, ut supra diximus, nisi in Generali Conventu Regni, cum consilio Ordinum, tum in Conventu existentium. Neque ulli subdito nostro, libertatis literas, contra prohibitionem hujusmodi, ad Hungariam et Silesiam: vel inde, cum rebus et mercibus commendi et transeundi, concedemus: quas etiam concessas, effectu carere, et res quascunque ab hujusmodi impetratoribus libertatis ductas, fisco nostro fore applicandas, volumus et decernimus.

De homicidijs.

Ad refraenandam licentiosorum hominum audaciam, ad necandos homines plus nimio promptam: de consensu Senatorum Regni, et Nunciorum Terrarum, statutum, super delatione homicidarum, reassumendum et innovandum duximus, illudque exequemur, ad decursum unius anni: eo adjuncto; quod homicidae delati: et per Nos ad poenam carceris condemnati, poenam hujusmodi in fundo turris sustineant, ad unius anni et sex septimanarum decursum integre: a qua per Nos absolvi et liberari non debent, neque poterint. Et Capitanei locorum diligenter providebunt, ut homicidae non aliter, quam in fundo turris, poenitentiam peragant: concordia etiam cum actore inita, nihil eos juvante. Contrafacientes, poena centum marcarum parti actoreae solvenda multari, atque Capitaneatu ipso privari per Nos debebunt.

De Scultetis spiritualium.

Visum est, ut si probatum fuerit Scultetos spiritualium tencri ad expeditionem bellicam, Sculteti eorum sint obligati deinceps Nobiscum in bellum proficisci: praeter eos qui privilegia essent ab expeditione exempti et liberati: quae privilegia, domini spiritualia, in Synodo proximo, postquam praeterita, propter mortem Domini Archiepiscopi effectum sortita non est, se recensere promiserunt, et illa post modum in Conventu Generali Regni, proxime post Synodum futuro exhibebunt: ut ex illis fiat cognitio de immunitate Scultetorum seu Advocatorum; vel obligatione ad praestandam et sustinendam bellicam expeditionem.

De fugitivis ad Silesiam.

Volumus, ut Capitanei arcium finitimarum, rusticos omnes ex Polonia in Silesiam vel Hungariam fugientes, aut se conferentes, transire non permittant: sed eos contineant et arceant: secundum statuta Regni nostri.

De cerdonibus.

Prohibemus, ne cerdones, quicumque in Regno nostro sint, cates elaboratas, hoc est corium ab illis paratum, extra Regnum nostrum, ad externas nationes mittant, aut externis evehendum vendere praesumant: sub amissione ejusdem corij et poena nostra Regali.

533

De equirels.

Interdictum esse volumus, omnibus et cuilibet, ne quispiam audeat greges equorum seu equireas, extra Regnum nostrum, ad externa Dominia depellere: sub amissione equorum hujusmodi, et poena nostra Regia.

De motione Judicis.

Quia Judicium incuria et negligentia, frequenter evenire solet, quod sententiae contra juris et consvetudinis dispositionem ab eis feruntur, ad petitionem Nunciorum Terrarum, motionem Judicis, quae olim in usu fuit, et nunc quoque in Majori Polonia servatur, in usum pristinum restituumus, ubicunque in Regno nostro servandam.

Verum, ne quis Judicem movens, ob ignorantiam formulae, ea in re servari solitae, in causa sua labatur et ruat, cam hic volumus adjungere.

Pars contra quam lata fuerit sententia seu decretum, per verba infrascripta, motionem faciet dicens: Domine Judex, decretum hoc seu sententiam tuam, tanquam iniquam et injustam, pro jure non suscipio, sed te moveo, ad Conventum Generalem Regni, in proximo celebrandum.

Motione hoc modo facta, Ministerialis mox, sine quavis additione judicij, diem judicij sextam, in Conventu Generali proxime celebrando, ad comparandum, cum decreto seu sententia ab eo lata, assignare poterit et debebit.

Et haec omnia, puta motio et termini assignatio, debite in acta judiciorum, per iudicium et Notarium, inscribi debent: reliqua vero in robore suo, secundum antiquum statutum, conservamus. Pars vero motionem faciens, non plus quam unum grossum pro ijs solvere tenebitur.

De securitate judiciorum.

Ad praecludendam viam audaciae hominum, qui ad judicia, ubi summa pax et tranquillitas esse debet, non solum ipsi armati, sed etiam magnis cateruis stipati, venire, atque ibidem in locis judiciorum, non solum rixas aut contentiones; sed etiam pugnas et bellum facere praesumant: statuimus: ut in omnibus Regni nostri locis, ubi judicia aguntur, toto tempore judiciorum, atque ante judicia octo diebus, et post alijs octo diebus, plena et omnimoda securitas fiat: ad ea ipsa veniendi, et in illis negotia sua curandi, domumque propriam tuto cuilibet redeundi. Quodsi quispiam hujusmodi libertatem, et securitatem publicam, supra scripto tempore, quomodocunque, et in quacunque persona violave-

534

rit: talis puniri debet non secus, quam si saluum conductum nostrum Regium violaverit.

De non transponendis judicijs proclamatis.

Ne subditi nostri in assequenda justitia impediatur, aut negligatur: statuimus; ut Judicia Terrestria, quae fuerint praeconis voce publicata; per Palatinos locorum transponi in aliud tempus non debeant neque possint. Ubi vero Palatinus aut Judex, seu alter Officialis, ea ipsa judicia proclamata, ut non celebrentur, quomodocunque, sive transposuerit sive aliter impediverit: talis poena centum marcarum pecuniarum puniatur; cujus medietas Nobis, altera parti ea in re injuriam sustinenti cedet.

De libris Terrestribus servandis.

Decernimus, ut libri Terrestres, ubique locorum in Regno nostro, sub tribus clavibus, secundum statutorum dispositionem, in bona custodia serventur.

De Capitaneis negligentibus executionem rei judicatae.

Quia Capitanei in executione rei judicatae, solent esse negligentiores: in detrimentum eorum, qui justitiam habent, et sententiam obtinent: quibus providere volentes, statuimus; ut poenam statuti, ab hujusmodi Capitaneo, executionem negligente, Nobis debitam, pars actorea totam assequatur et habeat.

De falsitatibus et collusionibus.

Quia impunitas magna, dedit hominibus in malum propensis, ad falsitates et collusiones admittendas audaciam; ut non vereantur, per submissas et subornatas personas, ut in judicijs, aut apud libros Terrestres, certas recognitiones facerent nomine eorum personarum, quas saepe contingit longius abesse a loco judicij, et procurare in detrimentum et perniciem ignorantium. Quam licentiam refraenare volentes: statuimus; ut omnes tales, ubi sufficienti testimonio convicti fuerint, poena statuti de invasione domus expressa puniantur.

535

Praeterea accidere frequentius solet, ut citati pro capite, aut vulneribus, ad evitandam poenam, pro capite aut vulneribus debitam, vicissim actores, multis citationibus, pro vulneribus citare solent. Ad extirpandam igitur hanc impediendae justitiae artem. statuimus, ut vulneratus cruentis vel lividis vulneribus, vulnera in recenti quamprimum potuerit Capitaneali, quodcunque proximus percusso fuerit, aut Judicio Terrestri illius Districtus ostendat: et testata per se faciat: quae sic ostensa, et eorum qualitas in acta Castrensia aut Terrestria, in terminis Terrestribus illius Districtus inscribantur. et eo testimonio velut autentico et sufficienti, actor reum, tuto et citra calumniam, in foro Judicij Terrestris mettertius, cum sibi similibus jurans, more antiquo, convincere poterit.

De judicijs tempore proclamati Conventus Generalis.

Quoniam abusu quodam inolevit, Judicia Terrestria non celebrari, mox ut literae de Conventu Generali statuto emittuntur: quod fit cum magna justitiae negligentia: proinde statuimus; ut deinceps futuris temporibus, non obstantibus literis hujusmodi, et Conventus Generalis publicatione, Judicia Terrestria ubique celebrentur: usque ad Conventum particularem, in unoquoque Palatinatu institutum.

De citationibus et terminis post curiam.

Citationes et terminos, qui post curiam vulgo appellantur, non aliter dari et praefigi faciemus, quam juxta statuta Regni nostri, super ipsis edita.

De tollendis, et amovendis contubernijs artificum, in civitatibus et oppidis.

Frequentibus universae nobilitatis et eorundem Nunciorum, universorumque subditorum Regni nostri querelis permoti statuimus, universa contubernia, quae et fraternitates artificum appellantur, omniaque inconvenientia in eis, in damnum et injuriam subditorum Regni nostri excogitata; in omnibus civitatibus et oppidis Regni nostri tollenda et amovenda esse: quemadmodum Nos ea decreto nostro in hoc Conventu sustulimus.

Mandamus igitur omnibus, et singulis nostris, cujuscunque status, gradus, et conditionis existentibus; ut ea omnia et singula superius expressa, in omnibus punctis, clausulis, et articulis, observent, et manuteneant, quemadmodum sunt decreta et constituta, sub poenis supra expressis: et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Petricoviae, in Conventione Generali, feria quinta ante Dominicam Invocavit. Anno Domini, millesimo quingentesimo trigesimo octavo. Regni vero nostri, anno 32.

Ad mandatum Sacrae Regiae Majestatis proprium.

CONSTITUTIONES

536

PER SACRAM REGIAM MAJESTATEM IN CONVENTIONE GENERALI PETRICOVIENSI,

PRO DUCATU MASOVIAE FACTAE 1538.

SIGISMUNDUS

Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, etc. Dominus et haeres.

Manifestum facimus per praesentes, et summis precibus Consiliariorum nostrorum ac Nunciorum nobilitatis Ducatus seu Palatinatus Masoviae permoti, ac promptis eorundem erga Nos, ac Rempublicam Regni nostri obsequijs accli-

nati, quo eosdem Consiliarios ac reliquos omnes Proceres, Barones ac nobiles ejusdem Palatinatus incolas et eorum posteros ad servendum Nobis et Successoribus nostris propensiores et alacriores reddamus, eorum libertati infra scriptis constitutionibus et donationibus nostris consulere et providere dignati sumus ac per praesentes pro nostra Regia benignitate ac munificentia ita constituimus et ordinamus.

De pontium et aggerum structura.

Inprimis eosdem nobiles incolas Ducatus Masoviae a pontalium atque aggerum structura seu publicarum viarum reparatione ubilibet in praefato Ducatu absolvimus et liberamus etiam eos qui jure veteri videbantur ad hujusmodi onera esse adstricti, praeter pontem in flumine Gacz in Terra et Districtu Lomzen. et stratam per paludes eidem flumini adiacentem. Quem pontem et stratam certi nobiles vicini ut eis quoties opus fuerit commodior transitus per dictas paludes pateat ad aedificandum et reparandum sese ultro submiserant, eos ipsos ita relinimus ut quemadmodum ad dictum pontem laborem et stratam impendere non gravantur, ita per haec transitum cum suis subditis sine ulla solutione liberum habeant.

De mellificijs.

Mellificia etiam quae Illustres olim Domini Duces Praedecessores nostri, (Terram illam ut frequentior incolis nobilibus praesertim viris efficiatur, distribuendo) pro se et thesauro suo Ducali in fundis nobilibus locatis atque perpetuo donatis reservabant, quamvis jure optimo ad Nos pertineant et hactenus Nobis proventus inde reddebantur, quia tum nobilitas variis molestiis per mellifices nostros per fundos eorum haereditarios discurrerent se affici querebatur, proinde Nos pro nostra Regia munificentia praefatos nobiles subditos nostros hac molestia liberandos duximus, et per praesentes liberamus, ita ut deinceps mellificibus nostris in fundis nobilitati donatis mel colligere non liceat, ita tamen quod praefati nobiles cum mellicidis pro labore eorum componant, hoc excepto, quod si aliqui nobiles mellicidae fiant, et apisteria seu mellificia in nemoribus nostris exerceant atque obtinent more veteri respondere, et debitas datias Nobis reddere tenebuntur, secus de fundis propriis haereditariis.

De commensurationibus.

Saepe etiam nobilitas Ducatus Masoviae conquirebatur se nimio plus gravari commensurationibus bonorum atque fundorum suorum haereditariorum, et ideo Nos constituimus et ordinamus in posterum, et quotiescunque aliquis nobilium ostenderit et docuerit bona sua quae ad certum numerum mansorum habeat certis limitibus circumscripta et limitata esse, et limites illos per Commissarios nostros, vel Praedecessorum nostrorum Illustrissimorum olim Domi-

norum Ducum legitime factos, aut scriptura, aut aliquo alio autentico testimonio docuerit, vel si signa limitum vetustiora sint, quam ut memoria hominum doceri possit, qua auctoritate facta sint, et scriptura de illis nulla extaret, signa tamen illa per officium et Commissarios nostros ad hoc delegandos vera signa metalia esse recognoscerentur, decernimus ut amplius fundus ille sic limitatus commensurari non debeat, etiam si bonis nostris Regalibus immediate adiaceat; alioquin si limites illos auctoritate nostra vel Praedecessorum nostrorum factos non probaverint, etiam si fundus alterius nobilis vel etiam plures fundi inter fundum et haereditatem aliter quam auctoritate nostra vel Praedecessorum nostrorum, ut praemissum est limitatam, et bona nostra Regalia medij sint, et domini seu possessores fundorum qui in medio fuerint quererentur aliquid sibi deesse, quod in privilegiis haberent, extunc non tenebimur eis supplere de nostro, nisi prius commensurato fundo seu haereditate priore etiam limitibus circumscripta, dummodo limites illi non ex auctoritate nostra, aut Praedecessorum nostrorum facti fuerint, prout supra expressum est.

De damnis in fluminibus navigandis.

Eveniebat etiam ut nobiles in praefato Ducatu nostro Masoviae incolae domini fluviorum navigabilium pro qualicumque injuria et damno per navigantes accepto ad Curiam nostram traherentur, magno eorum incommodo, ea propter statuimus, ut deinceps quandocumque aliquis navigantium per flumina damnum aut injuriam a possessore fluminis seu culpa ejus se accepisse praetenderit non alibi quam coram Capitaneo loci in quo damnum accepisse se dixerit hujusmodi damna et injurias repetere debet, secus de teloneis, nam si quis ex possessoribus fluminis sine jure teloneum exigere non vereretur, vel etiam jure sibi debitum aliter quam aequum sit exigeret, pro hujusmodi exactione indebita teloneorum iudicium Nobis reservamus.

De foralibus.

Decernimus etiam ut in omnibus oppidis et civitatibus nostris in eodem Ducatu existentibus foralia non aliter quam juxta constitutiones et statuta ejusdem Ducatus Masoviae per Capitaneos et Procuratores nostros exigantur. Alioquin si Capitaneus vel Procurator plus quam in constitutionibus et statutis continetur exegisse coram Palatino Masoviae convictus fuerit, in poena decem sexagenarum grossorum condemnari debet.

De teloneis.

Et quia nobilitatem praefatam Ducatus Masoviae nihilo segniorem ad benemerendum de Nobis ac de Republica Regni nostri consideramus, volumus et decernimus ut a teloneorum solutione eadem libertate gaudeat, qua reliqua omnis nobilitas Regni nostri gaudet, ita videlicet ut nobilitas ipsa Ducatus Masoviae cum rebus

suis proprii laboris ubicunque per Regnum nostrum transierit, ab omni solutione teloneorum tam terrestrium quam aquaticorum pontalium et aggeralium libera sit, quemadmodum nobilitas Regni libera est, et quotiescunque aliquis ex dicta nobilitate ad aliquod tale per quempiam compelleretur solvendum, similis actio contra oppressorem ei competet, qualis competit nobilitati Regni Poloniae juxta ordinationem et constitutionem in praesenti Conventu in Regno nostro Poloniae factam, quam ordinationem et constitutionem in Ducatum Masoviae et incolas ejus in toto extendi volumus. Hoc adjecto quia in locis teloneorum nostrorum aquaticorum ministri teloneatorum ad naves seu strues decurrentes nescitur quid salarii exigere solent, quod ipsi *Zijasne* vocant, quod ne deinceps fiat praesenti nostra constitutione omnino abrogamus, secus facere praesumentes poenae in constitutione Regni contra iniquos teloneatores institutae subijciendo.

Et praeterea gravari se querebantur incolae ejusdem Ducatus, quod in teloneo nostro Wladislaviensi non ad quantitatem frumenti in nave seu scapham et strues impositi et rerum aliarum, a quibus teloneum debetur, et quae numerari facile nequeunt, sed ad aestimationem navis exigant teloneum cum non semper navis pro sua capacitate impleri potest, et ideo volumus ut deinceps non ad navis aestimationem seu taxam teloneum exigatur, sed dominus frumenti seu procurator illius a quo teloneum debetur jurare debet, quantum frumenti vel rerum aliarum navi aut struibus contentarum domi imposuerit, et quantum juraverit tantum telonei nomine et non amplius solvere tenebitur.

De Assessore ex Ducatu Masoviae adjungendo.

Et ne constitutionibus et consuetudinibus Ducatus praefati nostri Masoviae in aliquo derogetur in Conventibus precipue Generalibus Regni nostri ubi causae per appellationes ad iudicium nostrum devolvi solent, pollicemur quod ad Judices quos iudicio de causis in Conventu Regni deputaverimus unum aut duos ex Consiliariis nostris aut Officialibus Ducatus illius adjungemus Judices, qui constitutionum et consuetudinum Ducatus periti fuerint.

De pretijs rebus imponendis.

Et ne nobilitas atque reliqui coloni ipsius Ducatus Masoviae rerum utensilium nimia caristia graventur, volumus ut Palatinus loci illius aestimationem et pretium seu taxam omnium rerum talium, quas usus communis exigit in omnibus locis sui Palatinatus constituat et ordinet juxta constitutionem in Conventu Regni factam, quam etiam in toto ad Ducatum Masoviae transferimus et extendi volumus.

De superintendente.

Quamvis non intelligamus unde querela orta sit a praefata nobilitate quasi gravarentur quo-

dam Magistratu superintendente nostro, quem Nos nunquam illis Nos misisse meminimus, qui praesertim negotijs nobilitatis intenderet, aut se eisdem immisceret, nihilominus tamen Nos pro nostra ingenita clementia huiusmodi metu praedictam nobilitatem liberantes pollicemur, quod nullum alium Magistratum superiorem praeter Palatinum et Vicesgerentem nostrum eidem nobilitati imponemus, hoc tamen excepto quod si aliquando necessitas fisci nostri aut negotia Procuratorum bonorum nostrorum Reginum vel subditorum nostrorum plebeiorum exigunt non praeccludemus Nobis ad haec conficienda potestatem Commissariam unum vel plures illis mittendi quoties opus fuerit.

De inquisitoribus salis exotici seu alieni.

540

Queritur etiam praefata nobilitas quod inquisitores salis exotici seu peregrini nimio plus eos et subditos eorum gravent scrutantes in domibus et cistis, atque omnem suppellectilem domesticam discutientes, ideo Nos volumus ut deinceps hujusmodi inquisitores salis non fiant, verum ne per hujusmodi exotici salis usum fiscus noster aliquod detrimentum capiat, constituimus et ordinamus ut Capitanei nostri et Praefecti locorum praesertim Prussiae finitimorum curent et diligenter custodiant ne quispiam sal hujusmodi exoticum in praefatum Ducatum invehere dividere et propinare audeat, et quicumque compertus fuerit talem salem exoticum qui inveheret aut illum venderet et propinaret, vel etiam illo publice uteretur, et fuerit deprehensus, sal huiusmodi compertum citra domorum scrutationem quae fieri non debet, recipi debet et in aquam demergi, ne postea alicujus usus fieri possit, et ille qui invexerit vel vendiderit, aut publice eodem sale usus fuerit poena quatuordecim marcarum puniri debet.

De poradine solvendo.

Supplicatum etiam Nobis est a praefata nobilitate ut census noster Regius qui *poradine* dicitur non ad alium laneorum numerum solvatur quam publica contributio solvi solet, sed cum juribus Regni ac etiam privilegio nobilitati Masoviae concesso cautum sit ut de quolibet laneo possessore *poradine* per duos grossos solvatur, et omnium nobilium subditi hic in Regno ad eum modum ita solvere sint soliti, aequum est in Palatinatu quoque Masoviae similiter servetur et solvatur.

De privilegijs Terrae Visnensis.

Finaliter nobilitas Terrae Visnensis quae est Nobis nescitur in qua parte privilegijs eorum derogari, quapropter Nos quemadmodum subditis nostris ita et ipsis Visnen: omnia jura et privilegia iusta conservare volumus, quatenus id Nobis per libertatem publicam et citra Majestatis nostrae Regiae offensam licebit. Datum Petricoviae in Conventione Generali feria quinta ante Domi-

nicam Invocavit, anno Domini Millesimo quingentesimo trigesimo octavo.

Ad mandatum Sacrae Regiae Majestatis proprium.

541

CONSTITUTIONES

TERRARUM PRUSSIAE,

IN PUBLICIS COMITIJS THORUNEN. SIGISMUNDI REGIS
AUTHORITATE CONFIRMATAE, ANNO 1538.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae totiusque Prussiae, Masoviae et Haeres. Significamus tenore praesentium quibus expedit, universis praesentibus et futuris harum notitiam habituris, quia consilere volentes multiplicibus erroribus, et abusus qui cum in Divinis ac etiam humanis rebus inoleverant in Terris et civitatibus nostris Prussiae; ac bonae reformationi defectuum et dissidorum quae in ipsis Terris oborta fuerant, utiliter intendentes, de consilio et consensu omnium Consiliariorum et Nunciorum Communitatis, tam militaris quam etiam civilis ordinis, infrascriptas constitutiones, edidimus, promulgavimus et confirmavimus.

Imprimis, quisque Palatinus habeat apud se exemplum seu copiam privilegii Terrarum Prussiae, et illud unicuique petenti ostendet, et coram eo legi faciet, quod Nos manutenere, et secundum ipsius tenorem tam spiritualium quam saecularium dignitates, officia et Capitaneatus solis et propriis Terrarum Prussiae indigenis conferemus.

Judicia Terrestria in singulis Palatinatibus quotannis bis serventur, ita ut in Palatinatu Culmensi primum iudicium feria tertia post Dominicam Quasi modo geniti, secundum autem feria tertia post Lamperti celebretur. In aliis autem Palatinatibus iuxta veterem consuetudinem observetur. Ex quibus quidem iudicijs Terrestribus appellaciones ordinariae fiant ad Conventus Generales Terrarum Prussiae; a Conventibus autem Generalibus ad Regium Tribunal nostrum, donec alterutra partium tres conformes sententias obtinuerit.

Ut autem frivola et temerariae appellaciones non nihil cohibeantur, quisquis in iudicio Terrestri ad Conventum Generalem appellaverit tres marcas in iudicium reponat, si vero a Conventu generali ad Nos appellatum fuerit, sex floreni per triginta grossos deponantur. Et si appellans coram iudice appellato succubuerit, in usum publicum iudicij, in quo erant depositi, cedant; alioquin parti restituantur.

Nec Palatini causas ad ius Terrestre spectantes, nisi de consensu partium, iudicent, et provocantes ad iudicium Terrestre remittant: exceptis causis levioribus, quae videlicet valorem decem marcarum non excedant. Hae quidem sine strepitu iudicii de simplici, et plano ab eis componi possunt; in causis autem sanguinis et

facto recenti deprehensis, indilatam justitiam ministrent, nec partes contententes ad componendam amice inter se controversiam cogant, nec ullas poenas exigant, nisi per iudicium decretas, quarum poenarum tertia pars iudicio Terrestri, reliquae duae partes Palatino loci cedant.

Palatini et Capitanei citato tam in iudicio Terrestri, quam conventuum publicorum, respondere, sint obligati: exceptis actionibus super bonis nostris Regalibus emergentibus. Capitanei autem iuxta continentiam privilegij Terrarum Prussiae sint indigenae possessionati, ratione quarum possessionum si bona terrestria fuerint, iudicio Terrestri sint subiecti.

Ut autem temerariae lites amputentur, Commissarios sive iudices delegatos non deputabimus in causis ad iudicium Terrestre spectantibus, et minus in eo iam pendentibus, nisi per appellationem ordinariam, de qua superius dictum est, a sententia definitiva seu interlocutoria jam lata, ad Tribunal nostrum devolutae fuerint; exceptis causis limitum bonorum nostrorum Regalium, et divisione fratrum et proximorum.

Nec iudices delegatos seu Commissarios, a quibus semel appellatum est, in eadem causa de novo deputabimus, causam ad ipsos remittimus. Non enim verisimile aut honestum videtur, quod iudex pristinam suam sententiam retractet, aut aliter postea iudicet, quam antea iudicaverat.

Conventus autem publici seu Generales, iuxta proximam ordinationem nostram, in Prussia quotannis bis celebrentur, verno videlicet tempore Mariaeburgi ad diem S. Stanislai: tempore autem autumnus in Graudentz ad diem S. Michaelis. In nostro tamen arbitrio erit, cum res ita postulaverit, alium locum et tempus huiusmodi conventibus praescibere. Peculiares autem conventus per Nos instituendi locum et diem ex nostro arbitrio sortientur.

Ad praedictos Generales Conventus omnes causae tam ex civitatibus, quam ex iudicijs Terrestribus per appellationem devolvantur, et etiam sine speciali commissione nostra iudicentur. Deinde vere, et non antea, ad supremum Tribunal nostrum remittantur, parte provocante, cui ad proseguendam appellationem a iudicibus legitimus terminus praefigatur, quam appellationem si intra unius anni spatium non prosequeretur, prior sententia iuxta iuris communis dispositionem, ut praedictum est, in rem transeat iudicatam et executioni demandetur.

Ante Conventum vero publicum, per Nos et Successores nostros singulariter instituendum, in singulis Palatinatibus Culmensi videlicet, Mariaeburgensi et Pomeraniae, fiat nobilitatis Conventio particularis, quam secundum morem antiquum Palatini, in singulis Districtibus Palatinatus sui, ad aliquem locum convenientem literis suis convocent, ut Nuncij ad huiusmodi Conventum mittendi eligantur. Qui autem vocatus non comparuerit, poenam duarum marcarum pendet, cujus medietas Palatino ejus loci, altera vero aorario publico proveniat; exceptis dictarum Terrarum

543

Prussiae Consiliaris nostris, sive equestris, sive civilis sint ordinis.

At cum frustra sententiae ferantur, nisi legitimae executioni demandentur, volumus et infrangibili constitutione sancimus, ut deinceps unusquisque, cujusvis conditionis aut eminentiae fuerit, rei iudicatae, sine omni contradictione, cum effectu pareat et obsequatur, alioqui locorum Palatini, nullo alio mandato expectato, legitimam executionem faciant, adjuncto sibi, ubi causae conditio id postulaverit, Capitaneo et nobilibus illius Districtus, aut etiam, si necessitas exegerit omnibus et singulis vasallis nostris, seu nobilibus illius Palatinatus quos ad assistendum illi sub iuramentum debito et amissione feudorum obligatos esse decernimus. Si vero majori potentia sit opus, negotium ad Nos referri volumus ut opportunis rationibus rebus provideamus.

Palatinos similiter ad huiusmodi executiones faciendas, justitiamque oppressis ministrandam, iusjurandum Nobis praestitum adigat, quos etiam, si remissiores fuerint, quinquaginta florenorum Hungaricalium poena plecti volumus, cujus medietas parti, cui iustitia denegata est, altera vero medietas aorario publico Terrarum Prussiae cedat.

Ubi autem quis executioni voluerit resistere, aut iam factam violare convictus fuerit, poena banni sive proscriptionis, ac bonorum confiscatione irremissibiliter puniatur; ex quibus bonis parti laesae primum fiat satis; quod reliquum fuerit, praedicto fisco applicetur.

Statuimus praeterea ut nullus Capitaneus, nobilis, civis, aut quivis alius, cujuscunque conditionis existat, personis, castris, domibus aut possessionibus alicujus ullam violentiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere, praesumat: super his convictus, iuxta antiquum plebiscitum Terrae Culmensis, capitali poena puniatur.

Et cum aliquis nobilis decreto publici Conventus, iudicio Palatinorum aut Terrestri capitur, quod sub certis poenis in potestatem aut carcerem civilem non tradatur, sed in manus Palatinorum. Si quis autem in civitate, ubi nulla arx est capitur, et auctoritate Conventus, Palatini aut iudicij in carcerem civilem conijcitur, in potestate eorumdem, et non civitatis permaneat; fidejussoria autem cautione a carcere huiusmodi liberetur, nisi causa fuerit criminalis.

544

Et ut sub poena viginti florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti laesae cedat, absque ulla remissione persolvenda, nobiles eorum subditi, auctoritate seu potestate civili non capiantur, detineantur aut arrestentur. Nec nobiles auctoritate propria capiant aut detineant cives vel eorum subditos, sed unusquisque coram iudice suo ordinario conveniatur, et justitiam requirat, nisi in casibus recentibus et actionibus criminalibus, prout pax perpetua disponit, statuens; quod delinquens in loco delicti

deprehensus, et contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri.

Praeterea, ne in fluminibus Terrarum nostrarum Prussiae ab antiquo navigabilibus quibuscunque obstacula fiant, ut tam piscibus quam navibus et lignis liber transitus permittatur, bonis ac iuribus nostris Regalibus et quorumcunque privilegij antiquis, et praescripta consuetudine salvis.

Nobilibus autem, qui habeant privilegium piscandi in lacubus nostris Regijs, aut testibus fide dignis probare possunt, se fuisse in possessione piscandi, aut quorum limites aut ager stagnis nostris Regijs adjacet, his quidem piscatio premiti debet, sed parvis retibus duntaxat, ad usum et mensam eorum propriam, non autem ad vendendum, ea tamen conditione, ut retia Castrensia in hyeme primos habeant tractus, et quod tempore, quando pisces, qui Germanice *bressen* (Polonice *kleszcz*) vocantur, semen aut foetum emittunt, nulli liberum sit in lacubus nostris Regijs piscari, ne huiusmodi piscium foetura in augmentando impediatur, sed nolumus per hunc articulum tenentarijs bonorum nostrorum Regalium aliquod praedictum generari, aut ipsis seu quibuslibet alijs proprios lacus habentibus, vim aliquam inferri, quominus iuribus suis et antiquis privilegij uti possent.

Et praeterea, ut ecclesiastici bona terrestria ecclesijs adscribenda et approprianda sive incorporanda, absque speciali consensu nostro amodo non nisi a suis vasallis emanent, ne obsequia Nobis ex ipsis, debita intereant; pro se vero privatim illa emere possunt, quae si in vita sua non alienaverint, aut cuiquam non donaverint ad eorum propinquos et consanguineos devolvantur.

Civibus bona terrestria, et nobilibus civilia bona liberum sit deinceps emere, ita tamen quod ad paria onera utrinque ferenda sint obligati, quod scilicet cives, ratione bonorum terrestrium, omnia nobilitatis onera, et nobiles, ratione civilium bonorum, omnia civilia onera, aquis passibus ferant.

Nec amodo liceat rusticis feras in nemoribus venari, nec laqueos in sylvis et agris ponere, canes aut retia venatoria habere: alioqui in potestate dominorum sit bombardas, canes et retia huiusmodi auferre, et pro qualitate excessus, mandatum praevaricantes in decem marcis domino fundi applicandis toties quoties punire exceptis fossis pro luporum captura, quas sine tamen cujusvis praedictio, quilibet cum consensu dominorum suorum habere potest.

Simili modo nec Palatini, Capitanei aut nobiles, alter in alterius fundo, absque voluntate domini fundi, venari, nec in sylvis feras domare aut cicurare debet, quod *klupffen* vocant, sub amissione rerum, eorum et curruum.

Bombardis autem nemo omnino nec in proprijs, nec in alienis sylvis, sub poena centum florenorum Hungaricalium irremissibiliter solvendorum, amodo utatur; ejus medietas medie-

545

542

tas Nobis, altera aerario publico Terrarum Prussiae proveniat.

Et item ut Palatini et Capitanei, quisque in suo Palatinatu et Capitaneatu diligenter fines Terrarum observent, ne praedones et grassatores ingrediendo et egrediendo impune grassentur.

Et praeterea, ne rustici cum bombardis, cuspidibus, lanceis, gladijs, aut similibus armis, publice aut privatim incedant, eaque deferant, nisi ad venationem, aut publicam pacem tuendam, a dominis et potestatibus suis evocati fuerint: scultetis etiam exceptis, quibus ob publicam functionem armatis esse liceat.

Ex quo etiam multorum querimonijs accepimus, quosdam Officialium nostrorum, praesertim Tucholienses, praetextu mandati prohibitorij de invectione salis peregrini in Poloniam innocentibus; antequam finibus Terrae appropinquant, salem adimere, quod quia iniqum est, sub gravi indignatione nostra prohibemus, ne de caetero cuiquam adimatur, nisi ultra fines transgresso.

Nobiles praeterea Districtus Schlochoviensis, instar rusticorum ut ligna ad arcem ducant, aut alia servitia rusticalia faciant, cogi nolumus, sed antiquam consuetudinem servandam esse decernimus.

546 Cum etiam mercatores, et praesertim peregrini sive exotici homines, in nobilitatis ac civitatum injuriam, pelles, frumenta, humulum, ceram, linum, et alia mercium genera, in villis ac pagis, clam et publice coemere, et negotiationes illicitas exercere soleant, autoritate nostra Regia firmiter prohibemus, ne id de caetero fiat statuentes, ut deinceps subditi dominorum, merces et res suas vendibiles in civitates juxta veterem consuetudinem ducant, et in foro publico venales exhibeant; legitima tamen dominorum suorum, cum pellibus ferarum et bestiarum sylvestrium, ratione habita; alioqui emptoribus equos et currus, venditoribus autem res venditas a Praefectis nostris adimi et confiscari volumus.

Mandamus insuper et ita omnino habere volumus, ut Palatini debitores decimarum aratrium, et quorumvis ecclesiasticorum proventuum censuras contumaciter sustinentes ad hujusmodi debitorum solutionem remedijs opportunis compellant, ne ecclesiastici proventibus suis fraudentur.

Ea itaque omnia et singula superius descripta, quae vel veterum privilegiorum rationem continent, firma et fixa, ut prius, vel noviter ad publicum commodum inventa, rata et perpetua esse volumus. Harum serie literarum, quibus et manum et sigillum nostrum apponere curavimus. Datum Cracoviae feria quinta post festum Nativitatis Beatissimae Virginis Mariae proxima, anno ejusdem partus millesimo, quingentesimo, trigesimo octavo, Regni vero nostri anno trigesimo secundo.

Sigismundus Rex.

CONSTITUTIONES

IN CONVENTU GENERALI CRACOVIENSI.

ANNO 1539.

Manifestum facimus tenore praesentium, quibus expedit universis, praesentibus et futuris. etc. Quia in proximis Comitijs superioris anni, Terrarum Nuntijs quaedam concessimus, quae magno studio a Nobis impetrata cupiebant, quoniam usu cognoverunt, ea non esse aequae utilia, atque prima fronte esse videbantur, abrogari, quaedam alia corrigi, nonnulla vero per Nos plus explicari, pleraque nova etiam addi petebant. Nos itaque precibus eorum annuendo, de nostra, Senatorumque, et Consiliariorum nostrorum sententia, articulos hos describi fecimus; atque autoritate nostra Regia confirmavimus, eos inviolate observari volentes.

Quoniam ita multa sunt vectigalium, seu teloneorum genera, per quosvis instituta: ut his persolvendis, graviter se nostri homines premi querant: Nos eorum rationibus prospicere, atque gravaminibus his eximere cupientes, certos quosdam Consiliarios nostros designavimus: qui vectigalium ipsorum rationem diligenter inspicerent: et seriem cujusque privilegij, super telonijs pontalibus, aggeralibus annotarent. Ut Nos cognitis omnibus et singulis concessionibus, cum consilio Senatorum nostrorum, et assensu Nuntiorum Terrestrialium, cum primum ejus rei faciendae facultas Nobis dabitur, quae justa et legitima videbuntur, ea confirmare: quae contra injusta, ea abrogare possimus: providereque, ne in posterum onera aliqua imponerentur hominibus, praeter jus et aequum: neve ullae postea similes querimoniae ad aures nostras pervenirent. Quae tamen privilegia, exhibita et ostensa esse non poterunt ante Conventum futurum: in Conventu exhiberi, et revideri poterunt.

547 Sed ex eo quoque magnum ad Rempubl: Regni incommodum pervenire videmus: quod cum Nos, jam inde ab aliquot annis nummos cudere desierimus: Prutheni tamen in instituto suo perseveraverunt. Quare facturos Nos recipimus, et serio mandamus Prussiae civitatibus: ut si velint monetam cudere quemadmodum privilegia eorum in se continent, vetera illis signa imprimant: nostro vero signo uti non audeant. Quod nisi dicto audientes fuerint, edicto cavebimus: ne quispiam, quos ipsi contra voluntatem nostram, sub signo nostro nummos cuderit his utatur: eosque omnes Regno nostro ejiciendos, atque exterminandos curabimus.

De via quoque saepe fuit disceptatum: dum alij seminantes alij aedificantes, partem illius occupare dicerentur, non sine gravi euntium, atque agentium injuria. Ut itaque haec quoque de via publica occasio disceptandi tolleretur: recipimus Nos, datis ad Praefectos arcium et civitatum literis, mandatuos illis: ut singuli eorum, adjunctis sibi duobus ex equestri ordine viris industrijs, et eorum peritis, latitudinem

viae ubique constituent, et determinent, secundum dispositionem statuti, de hoc editi.

De Abbatibus decretum per Nos factum, in superioris anni Comitijs, ratum sumus et firmum semper habituri: neque praesentabimus quemquam loci Ordinario: nisi quem nobili loco natum et secundum dispositionem statuti Petricoviensis, anni Domini 1538 electum comperiemus. Quod si quis non legitime fuerit electus, dabimus operam, ut Domini Episcopi electionem nullam hujusmodi esse pronuntient: ac de alio idoneo, ut statutum disponit, in locum illius sufficiendo, sint solliciti. Certas tamen ob causas, visum est Nobis: ut in his monasterijs, quae partem bonorum suorum extra Regnum habeant, quaedam fieret vicissitudo: ut alternatim Abbates, nunc Germani, nunc Poloni eligerentur. Dominis autem Episcopis curae erit: ut in quae monasteria soli Germani reciperentur, in ea quoque Polonis pateret aditus, et ingressus.

548 Cum varijs exemplis doceamur, vires in unum collectas, multo plus posse quam dispersas: et videamus: quod unita virtus multo fortior est quam divisa. Id Nos diligentius animo Nobiscum revolventes: cum videamus Regno nostro majora nunc et graviora, quam unquam antea pericula impendere: quo facilius ea a nostris nostrorumque cervicibus propulsare possemus: omnia Nos facturos pollicemur: ut quibus possimus rationibus honestis, Ducatus nostros Lithuaniae, Zathorien: et Oswiecimen: atque una Terras nostras Prussiae, eo adducamus, ut (quum in Regni nostri periculo, suum quoque periculum agi videant: neque hoc ruere possit, quin illae quoque Terrae, eodem labefactatae motu concidant) omnes suas vires, cum Regni viribus conjungant. Quo si potens hostis vim aliquam Nobis inferre conetur, conjunctis animis, et copijs in unum collectis, facilius eam arcere possimus.

Decretum de vulneribus quae nobili plebeius inflixerit anno Domini 1538 factum, decretum hoc in annum unum prorogari volumus.

Gravioribus nostrorum hominum injurijs, magnisque et alijs causis adacti, cunctis Regni ordinibus flagitantibus, statutum illud, quo poena peculatus rei decernebantur, qui vectigal Regni ex bobus debitum fraudantes, licenter sine professione boves extra Regnum propellerent, tollimus et abrogamus: edictum autem hujusmodi in ea re, ad Conventum proxime futurum duraturum, fecimus ne quispiam in Hungariam, et Silesiam, merces vehere, neve boves, aut jumenta agere, non soluto teloneo impune possit. Si quis contra faceret: omnia quae exportasset abegissetque, ex commisso tolli jussimus, Nobisque loco poenae cedere. Quod si publicani, aut Teloneatores nostri, merces aut boves hujusmodi assequi non possent: tunc vero ut existimatio fieret decrevimus: ut quanti boves aut res hae fuissent, quas contra nostrum edictum evehere aliquis, exportare, aut abigere ausus

esset: tantum commissa poenae loco, Nobis sive publicano sive Teloneatori nostro, numerare cogere. Sin autem exportasse se, aut abegisse negaret, recenti re non convictus, neque deprehensus: si nobilis est: tenebitur iurejurando dato se expurgare, una cum alijs aequae nobilibus. Si plebeius: probatio contra illum Teloneatori decernetur. Et haec constitutio servari debet, usque ad alium Conventum proxime futurum.

Quoniam interest omnium, ut ad judicia tuto venire, atque absque ullo metu versari in illis liceat: (cum non alibi pax major, et tranquillitas requiratur: quam ubi Iudex, et aliae publicae personae praesunt: alij vero pro iustitia ius petunt) volumus hac de re decretum nostrum observari, quod anno Domini 1507 Cracoviae factum per Nos fuit, tempore felicis Coronationis nostrae. Quod vero Petricoviae, in proxime praeterito Conventu ea de re factum, abrogamus et tollimus.

549 Plurimum interest Regni hujus, ut ne quae fiat bonorum ejusdem praesertim immobilium abalienatio, Nos itaque in posterum rationibus illius prospicere volentes. Quoniam Serenissima Conjux nostra quaedam castra, oppida, villas in Regno nostro hypothecae, seu verius obligationis nomine obtinet et possidet, ne usu aliquando venire possit, ut haec ipsa a Regni corpore avellantur: statuimus et decrevimus ut Praefecti castrorum ejusdem Majestatis non sint nisi Poloni indigenae, nobiles, ante hac in ea Provincia ubi castrum est possessionem habentes, qui ita se juramento Nobis Successorique nostro Regi obstringant, ut non teneatur nisi Nobis et Successori nostro Regi pro tempore existenti post mortem quae procul absit Serenissimae Conjugis nostrae, castris nostris cedere.

Graviter questi sunt Nobis nobiles Regni nostri de magnis difficultatibus quibus in frumenti venditione opprimi se a Gedanensibus civibus et subditis nostris dicebant, qui plerumque in has et eos angustias adducunt, ut quanti ipsi velint frumenta distrahere cogantur, dum praecisa est potestas aliis ea quam civibus Gedanen: vendendi. Horum itaque clamoribus assiduis victi facturos Nos polliciti sumus, et in his quae proxime habituri sumus Comitijs Gedanen jura sua et privilegia exhibere mandamus, quibus nisi liberam cum velint frumenta sua vendendi facultatem Regni nostri nobilibus non permittunt.

Multas et magnas saepe fraudes, admitti cognoscimus: dum quidam adulteratas literas proferentes, ut hae in libros Terrestres inscriberentur obtinuerant, quae simul atque inscriptae fuerant, exemplar sibi perijsse fingentes, exemplum ex actis Terrestribus dari postulaverunt: atque eo, tamquam robur et autoritatem habente, intrepide utebantur; quare fraudi huic et caliditati obviam venire volentes, statuimus hac lege nostra, deque Senatorum et Consiliariorum nostrorum sententia: ut nullae deinceps literae, in libros Terrestres inscribantur, nisi quae in

alij libris Terrestribus, inscriptae esse probari possint. Si enim quas inscribi quis cupit, quae quidem alibi inscriptae non reperiuntur; eas inscribi vetamus. Quod si contra hanc constitutionem inscriptae fuerint: ejusmodi literas nullum pondus habere volumus. Caeterum quae literae alicujus inscriptionis, ex libris Terrestribus descriptae sint, ut nonnisi acceptae literae (ut fieri solet) originaliter factae, in iudicijs fidem faciant, decernimus.

Petierunt a Nobis Nuntij Terrarum nostrarum, ut occidendo reum hominem poena non sit ejus asperitatis quae praeterito Petricoviensi statuto circumscripta erat; Nos eorum precibus victi, quando hoc illi ut peterent aequum visum est, decretum anno superiori Petricovien: de homicidijs de nostra Senatorumque nostrorum et Consiliariorum Regni nostri sententia factum interdicimus et abrogamus, atque id valere volumus quod ea de re a Serenissimo Ioanne Alberto fratre nostro olim Rege fuit constitutum.

Qui nobiles in oppidis aut in villis suis iudaeos habent: per Nos licet, ut soli ex eis fructus omnes, et emolumenta percipiant: iusque illis, arbitrato suo dicant: verum ex quibus iudaeis, nullum ad Nos commodum pervenit, eos uti iudaeorum iuro non permittimus, per Nos et Antecessores nostros concessio: neque de injurijs eorum deferri ad Nos volumus. Ut ex quibus nullum commodum sentimus: hi etiam nullum in Nobis praesidium habeant collocatum.

Crimen laesae Majestatis, ita postulantibus Terrarum nostrarum Nuncijs, volumus nisi in persona nostra locum habere: et non in alios, quantumvis publicas personas gerentes, extendi. Si quod autem per quempiam facinus, vel homicidium, in his fuerit commissum: qui extra personam nostram, vel Senatoria, vel aliqua publica dignitate, loco, et Officio fungerentur: in eum secundum statutum animadvertetur. Tempus vero recentis criminis, annus et sex septimanae.

Constituimus: ne deinceps Praefecti arcium, et civitatum nostrarum, sed soli nobiles commissiones obtineant, ad fines terminandos. Ita tamen, ut nihilominus Praefectis, seu Capitaneis nostris (sicut veteri more receptum est: et statuto cavetur) liceat bona nostra defendere, ad declarationem usque finium:

Ut in utramque partem, circa rationem salvi conductus, et securitati eorum quibus inimicitiae denunciantur, provideatur: et illi, quos poena manet, salvi conductus calumpnijs non involvantur innocenter, statuimus: ut nullius salvi conductus poena incurratur: nisi qui fuerit publicatus et qui illo velit sese palam tutari.

Crebris saepe subditorum nostrorum nobilium querimonijs sollicitati, ut in Capitaneorum Iudicijs et Officio nihil in illos statuere permittamus, quam quod deceat, et ad illorum iudicium et officium in articulis iudicij et officij statuto expressis pertineat, decreto praesentis Conventus sancimus, ut Capitanei injurias de rebus mi-

nutis, jugero, pratis, et id genus particulis universitatem eorum non judicent, sicut de violenta expulsionem. Et ut cesset mos ille scribendi et citandi cum dictione Praesertim. Sed officium et iudicium suum intra metas statuti de articulis iudicij ac officij Capitaneorum: expressas tantummodo iudicant. contineant. Neque plus a re iudicata, seu scripturis quibusvis iudicialibus exigant, quam quod in Iudicijs Terrestribus a similibus exigi solet. In Districtu autem suo quemcunque nobilem de eo pro quo citatus erit Capitanei iudicent et, ad aliud Tribunal longius non trahant; nam in consuetudine est, quod iudicia in Districtibus de sex in sex septimanas in Majori Polonia renovari debent. Datum Cracoviae in Conventione Generali Sabbatho in crastino S. Valentini anno Domini 1539 Regni vero nostri anno 33.

CONTRIBUTIONES

IN CONVENTU GENERALI CRACOVIENSI,

ANNO 1539 CELEBRATO.

SIGISMUNDUS

Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, ac Masoviae etc.

Dominus et Haeres.

Significamus tenore praesentium, quorum interest universis; quia nolentes deesse Reipublicae nostrae tantis discriminibus expositae; indixeramus Generalem Conventum Cracoviensem in quo una cum universis Consiliarijs et Nuntijs anxie disquirentes, et in medium consulentes: de certo et firmo aliquo defensionis modo tandem ad infrascriptas constitutiones, omnes convenimus et ut in executionem devenirent decrevimus.

Primum ut contributio fit octodecem grossorum ex singulis laneis possessionis et aliae exactiones quae in universalibus literis nostris descriptae sunt et publicatae.

Deinde ut pecunia in Palatinatibus non in thesauro nostro militibus crogetur. Eaque contributio quae laudata est et constituta hoc modo et ordine infrascripto exigatur. Statuetur unus Exactor qui publicas contributionum pecunias exiget, et alter dispensator qui ipsam pecuniam dispensabit et erogabit militibus mercenarijs, qui in Terris Russiae sunt militaturi, id tamen facient cum Palatini seu Castellani cujusque Palatinatus scitu et voluntate.

Exactores in omnibus Palatinatibus habebunt pro mercede et expensis suis salarium inferius annotatum.

Exactor Terrae et Palatinatus Cracoviensis ex nomine Generosus Achacius Jordan Castellanus Zarnoviensis habebit pro mercede et expensis quadraginta quinque marcas pecuniarum.

Exactor Terrae et Palatinatus Posnaniensis

ex nomine Generosus Laurentius Pogorzelski quadraginta quinque marcas.

Sandomirien: duo erunt Exactores, ex nomine Generosi Joannes Lezeński Capitaneus Przedborien: videlicet in Districtibus Radomien: Opocznen: et Chęcinen: et Hieronymus Chrzastowski in Districtibus Sandomirien: Vislicen: et Pilznen: et singuli sunt habituri per viginti quinque marcas, et si alter eorum esse noluerit: unus habebit quinquaginta marcas.

552 Callisien: ex nomine Generosus Nicolaus Potforowski quadraginta quinque marcas pecuniarum pro mercede habebit.

Siradien: ex nomine Generosus Stanislaus Gomoliński Notarius Terrae Siradien: quadraginta marcas.

Lancicien: ex nomine Generosus Valentinus Nagorski triginta marcas pecuniarum.

Bresten: Exactor ex nomine Generosus Hieronymus Makowicki Judex Bresten: viginti marcas.

Juniwladislavien: ex nomine Generosus Joannes Moszczewski viginti marcas pecuniarum.

Russiae ex nomine Generosus Nicolaus Lesniowski Judex Leopoldien: quinquaginta quinque marcas.

Lublinen: ex nomine Generosus Osmolski videlicet in Districtibus Lublinen: et Urzedovien: eidem: marcae 16 gross. 32 in Districtu vero Łucovien: Nobilis Mathias Iwanowski eidem marcae 8 gros. 16.

Belzen: et Chelmen: ex nomine Generosus Petrus Marcinowski Tribunus Belzen: viginti marcas.

Podoliae ex nomine Generosus Czirmieński quindecim marcas.

Plocen: ex nomine Generosus Stanislaus Dłothowski, viginti marcas.

Masoviae Ducatus Exactores centum marcas pro mercede omnes habebunt quotquot illorum sunt ex nomine in Terra Czirnen: Generosus Joannes Warszewicki: in Łomzensi, Generosus Alexander Howski: in Zakrocymen: Jacobus Lelowski, in Ciechanoviensi Michael Czernicki, in Rozanen: Joannes Podowski, in Varsaviensi Valentinus Gloskowski, in Visnen. Georgius Gezowski, in Vissogrodensi Joannes Zaborowski, in Livensi, Georgius Broskowski.

Terrae seu Palatinatus Ravensis Exactor ex nomine Generosus Joannes Bogucki Judex Ravensis decem marcas habebit pro salario.

Terrae Gostinensis Exactor Gaspar Szczawiński Vexillifer, decem marcas.

Terrae Sochaczowiensis Exactor Joannes Szymanowski dictus Golan, decem marcas.

Dobrzynensis ex nomine Generosus Valentinus Orłowski, quindecim marcas pecuniarum.

Palatini vero seu in eorum absentia Castellani vel Deputati qui de dispensandis pecunijs curam supremam habebunt, habituri sunt pro labore et impensis suis quisque illorum triginta marcas. Qui vero illos adjuvabunt ex ordine equestri et qui dispensatores vocabuntur, quisque illorum decem marcas est pro salario suo

habiturus. Et pro expensis in comportanda pecunia ad loca designata faciendis quisque illorum percipiet marcas viginti.

Item eligemus cum Capitaneo generali Praefectos militum in quolibet Palatinatu viros possessionatos et rei militaris peritos si reperiri poterint. Ipsi vero Praefecti delectum facient militum in Palatinatibus suis pro arbitrio suo.

Quisque Praefectus militum qui ducentos equites in suo comitatu et praefectura habuerit aut paulominus habebit, servitium super decem equos, et ad singulum equum stipendium decem florenorum, per triginta grossos quemlibet florenum computando.

Reliquis vero militibus solvetur stipendium super quemlibet equum ad quodlibet quartale anni per sex florenos per 14 scotos computando.

Quilibet autem Praefectus non per substitutum sed solus per se ipsum ducere debet comites seu commilitones suos tam eundo ad Terras Russiae quam inde redeundo, et prospicere ne damna fiant hominibus spiritualibus et saecularibus aut eorum subditis, neve ab illis stationes exigantur. Et damna quae facta fuerint, ipse Praefectus pro illis convenietur, et ad solutionem resartionemque illorum erit obligatus.

Ut autem Praefectus possit, providere indemnitati suae, cum ob culpam alterius nemo multari debet, reservabit apud se partem aliquam pecuniae commilitonibus suis solvendam; cum ad Terras Russiae cum illis proficiscetur. Et similiter cum ad domum cum eis revertetur, ut si in itinere et profectioe aliquis comes seu socius ejus damnum cuiuspiam homini cujuscunque status fecerit, et resarcire illud noluerit, ipse pro illo ei qui damnum passus est sub testimonio sociorum suorum satisfaciatur, et posthac eidem militi qui damnum fecerit de ejus stipendio id quod pro eo solverit detrahat et defalcet.

Idem Praefectus cuiuslibet Palatinatus duabus septimanis ante finitum seu expiratum servitium suum et comitivae suae, de Castris et Terris Russiae discedet, ut comitivam suam sub obedientia sua habeat, et in officio contineat prohibereque commodius possit, ne damna hominibus et miscri colonis ac spiritualibus inferantur.

Iidem Praefecti militum providere debebunt; ut neminem suscipiant ad militiam nisi ad summum in decem equis inferius in octo, septem, sex, quinque, quatuor. Et unusquisque militum per seipsum serviat non per substitutum et servos suos.

Literae indemnitate non videntur esse dandae Praefectis et eorum comitivis prout anno illo quo hoc modo contributio exigebatur abhinc secundo non erant datae: sed stabitur pro damnis, eademque damna suscipientur a Praefectis et eorum sociis per Capitaneum generalem seu Imperatorem exercitus ac per Palatinos et Exactores, ac illis adjunctos persolventur.

Terrae Minoris Poloniae habebunt unum No-

554 tarium videlicet Generosum Joannem Mielecki Castellanus Vislicen: qui conductus publicis pecuniis hoc est ex singulis Palatinatibus viginti marcis, militibus mercenariis ad Terras Russiae pecuniam perferat, et eam illis numerabit, secundum regestra conscriptionis, quae apud se habebit. Pecunia autem ex Cracovien: Sandomirien: Lublinen: Palatinatibus, Sandomiriam comportabitur per dispensatores impensis ex salario eorum faciendis.

Terrae vero Majoris Poloniae, mittent pecuniam contributionum suarum in Lanciciam, et hic Palatinatus Masoviae includi debet, quam inde Notarius perferet in Russiam, ex nomine Generosus Andreas Roszkowski Castellanus Szremen: si voluerit hoc munus obire, si vero noluerit tum Generosus Venceslaus Zarembo, qui in illius locum surrogabitur, qui etiam Notarius ex singulis Palatinatibus habebit pro mercede per marcas viginti, et solvet stipendia militibus illis militantibus secundum regestra conscriptionis, quae illi ex uno quoque Palatinatu mitti debent. Quoniam vero ad conjecturam et verisimilitudinem inscriptus est numerus militum in singulis Palatinatibus suscipiendis et fieri possit quod alicubi milites sint plures quam pecuniae, alicubi e diverso pecuniae plures quam milites, statuimus cum Senatoribus nostris et Terrarum Nuntiis ut in quibus pecunia exuberet Palatinatibus ultra milites susceptos, ex his, ad illos Palatinatus ubi deficeret suppedietur.

De Terris autem Russiae Exactores portabunt pecuniam Leopolim et eam Notario Minoris Poloniae numerabunt.

Quoniam vero spes est solutis stipendijs militum non paucam tam in Majori quam in Minori Polonia et Russiae Terris in residuo mansuram pecuniam statuimus ut quidquid publicae eius pecuniae contributae reliquum erit ex ea ne quidquam a quoquam contrectetur, sed asservetur diligenter collecta residua pecunia hoc modo. Primum in Majori Polonia quidquid erit residuum, Exactor id in custodiam committit Proconsuli et Consulibus Civitatis, Lancicien: deinde in Minori Polonia hoc est in Cracovien: Sandomirien: Lublinen: Palatinatibus quidquid remanserit id in custodiam civibus Sandomirien: concedetur, Russiae vero omnia quae reliqua erunt tradentur in depositum civibus Leopoliensibus.

555 Nomina autem dispensatorum haec sunt: Terrae et Palatinatus Cracov: Generosus Marcianus Chelmski Vexillifer Cracov: Sandomirien: Terrae et Palatinatus Generosus Stanislaus Domarad. Posnaniens: Roch Koźminski. Calissien: Generosus Joannes Zarembo. Siradien: Generosus Joannes Glowacki Judex Siradien: Lancicien: Generosus Adam Pucek Bierzwieński. Bresten: Generosus Joannes Bodzanowski. Junivladislavien: Plomikowski. Russiae Generosus Vilbrordus Zorawinski. Lublinen: Andreas Lasota Subjudex et Succamerarius Lublinen: Belzen. et Chelmen. Generosus Lazarus Laszcz Venator Belzen Podoliae Michael Kostrzewski.

Plocen: Generosus Hieronymus Nakwaski. Masoviae Venerabilis Nicolaus Kobylnicki Decanus Camenecen: Raven: Generosus Albertus Glogowski Pincerna Gostinen: Terrae Dobrzyen: Generosus Joannes Lasocki; qui omnes habebunt salarium ut scriptum est.

In singulis Palatinatibus numerus militum mercenariorum qui infra est annotatus suscipietur.

In Palatinatu Cracov: Equites sexcenti et novaginta. Pedites vero 200. In Palat: Sandomir: 590. Pedit: 100. In Palat: Lublin: equites 150. In Palat. Belzen: et Chelmen: equites 150. In Palat Russiae equites 600. Pedites vero 100. In Podoliae Palat: equites 40. In Pal: Posnan: equit 390 In Pal: Calissien: equit: 500. In Pal Sirad: equit: 490. In Pal: Lancicien: equit 300. In Bresten: Pal: equit: 190. In Palat Junivlad: equit: 140. In Terra Dobrzyen equit 80. In Pal: Ploc: equit: 240. In Raven Palat: equit: 350. In Ducatu Masov: 700 e.

Istius autem exactionis et pecuniae collectae Exactores et dispensatae Dispensatores dabunt regestra rationum in manus Notariorum tam in Majori quam in Minori Polonia. Qui deinde Notarii per se vel subditos suos, vel soli vel cum singulis Exactoribus et Dispensatoribus in singulis Terris tempore particularis futuri Conventus acceptae et expensae pecuniae rationem facient eandem in Conventu futuro Generali repetituri. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est impressum. Cracoviae in Conventu Generali Sabbatho in crastino festi S. Valentini, anno Domini 1539, Regni vero nostri 33.

Ad mandatum Sacrae R. M. proprium.

CONSTITUTIONES

CONVENTUS GENERALIS CRACOVIENSIS,
ANNO DOMINI 1540, POST FESTUM SANCTORUM TRIUM
REGUM LAUDATAE.

SIGISMUNDUS

*Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae,
Russiae, Prussiae, Masoviae, etc. Dominus et
haeres.*

556 Significamus tenore praesentium quorum interest universis: quod cum praesentibus in Comitibus revisae essent per Nos constitutiones, in proximis superioribus Comitibus, in hac ipsa urbe nostra factae, reductum fuit Nobis in memoriam: quod in ea constitutione, quaedam oblivione, sive imprudentia fuerunt ommissa: quae ante biennium, in Comitibus Petricoviensibus statuta erant. Qua de re cum ordine singulos Regni nostri Senatores, et Consiliarios rogassemus: ita esse, una voce omnes et singuli responderunt. Itaque de consilio eorum et consensu primum, deinde Nuntiorum Terrestrialium, eam constitutio-

nem ita ut fuit anno superiori praescripta, scribi fecimus: deinde ea ipsa adscribi jussimus, quae oblivione praetermissa Senatores nostri affirmarunt: in eum, qui sequitur modum.

De bonis Regalis Majestatis.

557 Plurimum interest Regni hujus, ut ne qua fiat bonorum, praesertim immobilium alienatio. Nos itaque in posterum rationibus illius prospicere cupientes, (quoniam Serenissima Coniunx nostra quaedam castra, oppida, villas in Regno nostro hypothecae seu cujusvis obligationis nomine obtinet et possidet, ne usu aliquando venire possit, ut haec ipsa a Regni corpore divellantur) statuimus: ut Praefecti castrorum ejus Majestatis sint Poloni indigenae, nobiles, atque hi in ea Provincia ubi castrum est possessionem habentes. Qui ita se Nobis juramento, et Successori nostro Regi, pro tempore existenti, post mortem (quae procul absit) Serenissimae Coniugis nostrae, obstringant: ut non teneantur, nisi Nobis, et Successori nostro Regi: castris solis cedere. Neque prius tamen cedent: quam si (quod absit) Nos, vel Filius noster Serenissimus Rex Sigismundus Augustus, nulla prole masculina successive relicta, decesserit. Ita enim solutis realiter et cum effectu summis, in praefatis castris, ac bonis ad haec pertinentibus, obligatis (sive per Regem, si eximendo esse, possit, sive per nobiles, quibus redimendi et eximendi hac in re, vigore praesentis statuti ac constitutionis nostrae damus et facimus potestatem) filiabus nostris, ex Serenissima Domina Bona Regina Coniuge nostra charissima procreatis, ac earum successoribus legitimis, ipsi castrorum cedunt Capitanei, Regi tunc temporis existenti, vel nobilibus, qui pro redemptione bonorum summas pecuniarum reposerint: realiterque praefati Capitanei et caeteri bonorum suae Majestatis obligatorum praefecti in manibus suis castra, oppida, et villas tenebunt, quamdiu praefatae summae filiabus nostris, et earum successoribus, seu alijs quibusvis personis, juxta ordinationem et dispositionem Serenissimae Coniugis nostrae, (si quam illi facere videbitur) realiter repositae et persolutae non fuerint. Interim vero de proventibus bonorum dictorum, filiabus nostris, et earum successoribus, aut alijs personis respondebunt. Neque tamen bona ipsa ab eis redimi poterint prius, quam in matrimonium locatae fuerint. Post elocationem vero, tenebitur quaelibet earum summam se concernentem, vel juxta ordinationem Majestatis suae, si quam (ut praemissum est) fecerit, accipere.

Prohibitio transitus in Silesiam.

Potentibus Nunciis Terrarum interdictum, de non vehendis per nostros homines in Hungariam et Silesiam et rursus non importandis in Poloniam mercibus firmius custodiri, decrevimus cum universo ordine Senatorum Regni nostri. Decretum illud quamdiu duraverit ab universis subditis nostris firmiter observari. Quodque Capitanei et Teloneatores custodiam debitam negli-

gentes, vel eorum conniventia aliquem transire permittentes contra tenorem constitutionis praedictae, puniantur poena centum marcarum in negligentes Capitaneos dudum statuta; cujus medium fisco nostro Regio, altera medietas ei qui Capitaneum vel Teloneatorem contrarium admittentem Nobis contra eum detulerit, et sufficienter probaverit, cedere debet.

Liceat vero hominibus pauperibus, et in ipsis Regni limitibus constitutis molere frumenta sua, in molendinis sibi vicinioribus, etiam extra fines Regni nostri sita: possintque libere ire ad fora civitatum et oppidorum vicinorum, Regno nostro non subjectorum: ad eaque inferre tantum carniem, et aliarum rerum venalium, quantum humeris, seu lacertis proprijs sustinere, et portare possit.

Et quoniam plerique mercatores subditi nostri, ad suspendendam constitutionem seu edictum, de non evehendis extra Regnum mercibus editum, varijs ingenijs uti consueverint: praetendentes, res et merces hujusmodi esse proprias mercatorum, in Hungaria, Silesia, et alijs Regni confinij agentium: per illos, seu illorum Notarios et factores in Regno emptas esse: cum tamen plerumque deprehenduntur, esse propriae subditorum nostrorum: quorum opera et impensa ex Regno evehuntur. Ad praeccludendam itaque huic illusioni viam sic decrevimus Consiliarijs Regni et Terrarum Nuncijs censentibus: ut hujusmodi mercatores subditi nostri, qui merces extra Regnum evehere procurant, corporale praesent juramentum, in manibus Teloneatorum nostrorum. Quia tales merces non sunt eorum propriae: nec in illis aliquod commercium, vel interesse habent: sed sunt propriae eorum, quorum esse asseruntur, videlicet mercatorum extraneorum, in Terris extraneis agentium, et aliter tales merces dimitti nullatenus debent: sub illarum amissione.

558 Omnes regnicolae, et alij homines quicumque, etiam externi, boves, jumenta, et res alias, a quibus teloneum novum solvendum est, in Regno ementes, et illa versus limites Regni ducentes aut pollentes, teneantur sese manifestare in cameris Teloneatorum deputatis: et eisdem cameris teloneum debitum solvere: si huiusmodi boves, aut jumenta, vel res aliae, ad revendendum, et extra Regnum pellendum emptae fuerint. Ab his vero rebus, quae ad usum proprium, vel ad mactandum in Regno, et vendendum infra fines Regni emptae fuerint, teloneum solvi non debet. Quod si quis cum hujusmodi bobus, jumentis, aut rebus alijs in Regno emptis, cameras praeterierit, se in illis non manifestando: res hujusmodi amittet. Et licebit Teloneatoribus eas arrestare et recipere.

De illis vero regnicolis, qui intra cameras et fines Regni, cum Silesia, Hungaria, et alijs confinij Regni agunt domicilium, et in oppidis ultra cameras existentibus aliquid emunt, non tenentur cum illis ad cameras descendere: verum Teloneatores diligenter custodiant in Regni finibus:

ne in Hungariam, aut Silesiam, et alias vicinas Terras, expellantur vel educantur. Contra facientes vero deprehensi, boves, jumenta, et res hujusmodi amittere debent. Si quis vero Teloneatorum alicui hominum quidquam receperit, priusquam cameram praeterierit: res sic receptas restituere, et poenas in constitutione Petricoviensi editas, idem Teloneator incurret. Haec autem constitutio, de mercatoribus, et ad revendum ementibus intelligenda est: et non de his regnicolis, qui ad usum proprium quidquam emerent. Per hanc autem constitutionem nostram, nolumus derogatum iri edicto de prohibito transitu, in Hungariam, et Silesiam, facto. Quod alia constitutione nostra mandavimus firmiter observari.

De repetitione debiti per mercatores.

Statutum de registris mercatorum, illorum juramento cum testibus firmandis, in robore conservato: hoc adiecto, ut mercatores ipsi, debita in registris eorum scripta, a nobilibus, intra trium annorum decursum repetant, alioquin, lapso triennio, debitum hujusmodi repeti non poterit a nobili, juxta illius statuti dispositionem, obstante trienniali praescriptione; verum jure communi, reum in foro suo convenire debet. Hoc autem duntaxat intelligitur, ubi mercatori, cum nobili esset actio. Mercatores enim inter se, veterem suam retineant observantiam, in solvendis et repetendis eorum debitis.

De Praefectis militum Palatinatum.

Ad petitionem de Praefectis militum ex Palatinatibus deligendis ita cum Senatoribus nostris constituimus, ut sic ubi in Palatinatu repertus fuerit ad Praefecturam obeundam idoneus et exercitatus illamque in se assumere vellet, non alteri nisi ei comitant Comitivam Palatinatus illius, caeterum si non fuerit repertus idoneus, vel suscipere onus Praefecturae noluerit, licebit Nobis cum Consilio Capitanei generalis exercituum Regni nostri alium quempiam idoneum Comitivae illius Palatinatus praeficere, pecunia tamen in illo Palatinatu contributa militibus etiam illius Palatinatus qui servire voluerint pro alijs erit eroganda.

De termino coram Majestate Regia praefigendo.

Cum visum esset Nobis, et Consiliarijs nostris, onerosum esse regnicolis nostris: ut Nobis in Terris Minoris Poloniae agentibus, citatis ex Terris Majoris Poloniae terminus brevis, videlicet duarum hebdomadarum coram Nobis comparandi, in citationibus nostris scriberetur: Nos ad petitionem Nunciorum Regni nostri constituimus: ut Nobis in Terris Minoris Poloniae agentibus, regnicolis Majoris Poloniae terminus quatuor hebdomadarum, coram Nobis comparandi assignetur. Similiter vero, Nobis in Terris Majoris Poloniae agentibus, regnicolis ex Terris Minoris Poloniae, etiam quatuor hebdomadarum terminus comparandi praefigatur. Earum vero Terrarum regnicolis, in quibus Nos agere

contigerit, terminus duarum hebdomadarum in citationibus scribatur: juxta veterem consuetudinem.

De Comitijs Petricoviae celebrandis.

Cum gravatim referrent nonnulli Consiliarij, et Nuntij Terrarum Regni nostri, ad Conventum Generalem Regni Cracoviam sese vocari: praeter veterem consuetudinem, a loco Petricoviensi illos evocando: decrevimus, Consiliarijs nostris, et Terrarum Nuncijs petentibus: ut non alibi, praeter Petricoviam, Conventus Generalis celebretur. Nisi causa legitima, per Nos cum Consiliarijs nostris expendenda, aliud suaserit faciendum.

De sponsione fidel.

Ita postulantes subditorum nostrorum rationibus, decernimus: ut nullus nobilis subditus noster, sponsione fidei per Nos obstringatur: nisi jure victus. Secus erit, in exercitio rei militaris: et ubi Nobis, vel alicui subditorum nostrorum, actio intervenerit, cum servitore, factore, administratore, aut subdito suo: et ubi Reipublicae causa aliquid sit, contra quemvis agendum.

De causis officij, non transponendis.

In gravamine subditorum nostrorum maximum fieri censes; ut causae officij, seu ad querelas ad Tribunalia Capitaneorum Regni nostri deductae, et deinde ad Nos per viam motionis seu appellationis devolutae, cum terminis nostris Regalibus generaliter suspenderentur: (ut pote quia celeri expeditione indigent: ne eorum, qui de injuria queruntur, justitia differatur): statuimus, Consiliarijs et Nuntijs Terrarum ita petentibus: ut hujusmodi causae officij, seu ad querelas ab Officio Castrensi ad Nos devolutae, nunquam deinceps cum alijs causis differantur, ad terminos nostros Regales: verum iisdem diebus, quibus terminus ex motione et appellatione assignatus ceciderit, judicentur et expediantur: dilatione generali terminorum nostrorum Regalium obstante. Hoc etiam adjicientes: ut suspensio generalis terminorum nostrorum Regalium, ita publicetur universis subditis Regni nostri: ut ad illorum notitiam indubitata deveniat. Ne de illa ignorantes, ad Tribunal nostrum frustra fatigentur, laboribus et impensis sese gravando.

De juramento in solvendis teloneis.

Nolentes gravari subditos nostros minus necessarijs juramentis, (quibus etiam nomen Salvatoris nostri, quadam contumelia affici videbatur) cum in singulis teloneis aquaticis fluitantes jurare cogentur; eas res vel merces, quas fluitatione demitterent, esse eorum laboris proprij: decrevimus, et statuimus, Consiliarijs, et Nuncijs Terrarum Regni nostri petentibus, et consentientibus, ut cum aliquis, cum rebus et mercibus fluitans, vel illius servitor nobilis, juraverit in primo teloneo Capitali, res et merces

domini sui existere: ejusque juramenti literas significatorias, sub titulo et sigillo, vel ex actis illius officij, ubi juraverit, exhibuerit: id alijs teloneis jurare non teneatur: sed illis literis significatorijs ubique stetur, et fides adhibeatur.

De cautione verbal.

Saepe fieri edocti sumus multas contentiones, et controversias exoriri, inter subditos nostros, ex eo: quia fuit incertum, quodnam robur habitura esset cautio verbalis, per fidejussores verbo tenus facta. Volentes igitur eam dubietatem declarare, statuimus Consiliarijs et Nuncijs Terrarum ita petentibus, et consentibus: ut hujusmodi fidejussiones, verbo tenus factae, pro rebus seu summis, et contractibus quibusvis, non ulterius robur firmitatis obtineant: duntaxat per unum annum, et sex hebdomadas. Nisi interea anno et sex hebdomadis currentibus hujusmodi fidejussiones, per illosmetipsos fidejussores, ad acta Terræstria, Castrensia, sive nostra Regalia inferantur: aut coram Nobis recognoscantur. Tunc enim sic ingrossata, robur debita obtinebunt firmitatis: secundum Terrarum, et jurium castrensi consuetudinem.

De functione Cancellariae.

Cum delatum esset ad Nos et Consiliarios nostros per Terrarum Nuntios indecorum esse ut Officiales Cancellariae nostrae Regiae qui rationes actionum et expeditionum nostrarum et negotia Reipublicae curae habent infima loca in ordine Senatorio retinerent. Eo quod quadam constitutione nostra cautum esset quominus dignitatibus et honoribus quibusdam cum sigillis simul pro eorum meritis et arbitrio nostro auferantur, essetque a Nobis petitum de Cancellaria ad aliquam dignitatem provehere. Nos et Consiliarij nostri aequum censes ut uterque Officialium Cancellariae nostrae pro eorum meritis et arbitrio nostro, honoribus et dignitatibus auferantur, constitutione praedicta contraria non obstante, postulationi illorum non gravatim acquievimus una cum Consiliarijs nostris, quia tum nonnulli Nuntij Terrarum asserebant negotium hoc delatum esse ad Nos Consiliariosque nostros absque omni Nunciorum unanimi consensu, propterea petierunt ut hac de re absque illorum consensu nihil perpetui statueretur. Nos vero attenda temporis angustia alijs negotijs ordinis distenti nolimus super ea re cum ipsis Nuntijs disceptare. Illam ad futurum Regni Conventura rejecimus.

De revocatione cortesanoꝝ.

Ad petitionem frequentem subditorum nostrorum querimonijs ipsorum pulsati quod nonnulli subditi Regni nostri ecclesiastici Ordinis in Curia Romana agentes nedum ipsos, fratres, filios, servitores eorum, sed etiam servitoribus nostris non parcentes plerisque molestijs et perturbationibus expensis et fatigijs inanibus eos afficiunt. praeter jus et acquitatem illos molestando

idque potissimum fieri hac ratione: quia constitutiones Regni nostri, jam pridem contra illos editae, ad executionem debitam non deducerentur. Et propterea petierunt a Nobis iterum universi Ordines Regni nostri, ut constitutiones Conventus Petricoviensis anni 1538 de revocandis iisdem cortesanis, executioni debita demandarem: (quod Nos justum et aequum esse censemus, nollemusque querelas subditorum nostrorum diutius sustinere: eosque per insolentias cortesanoꝝ de caetero molestari ipsosque cortesanos ad indignitatem nostram, et nationis Poloniae ignominiam, in Curia Romana, hujusmodi malis artibus incumbere) de unanimi consilio et consensu Consiliarioꝝ, Nuntioꝝ Terrarum Regni nostri decrevimus et statuimus, ut iisdem cortesanis, subditis nostris, in Regno et Dominijs nostris sacerdotia obtinentibus, (qui subditis et servitoribus nostris temere molestias inferunt illosque molestant, ad impensas et sumptus inanes deducunt) jura Regni nostri, privilegia Sedis Apostolicae, Nobis et Regno nostro concessa, per Nos jam revocentur patentibus literis nostris ad ecclesias illorum mittendis, ut infra tempus sex mensium, a tempore oblatarum in ecclesijs literarum nostrarum computando, ad Regna et Dominia nostra sacerdotiaque sua redeant, juxta constitutionem Petricoviensem praefatam. Et nisi redierint, intra tempus praedictum eadem constitutio Petricoviensis contra illos extendatur, et exequatur, per locorum Capitaneos: quodque et sacerdotia illorum distribuantur: et damna passis ex illis satisfactio impendatur: juxta eam ipsam constitutionem. Praeterea de Regno banniantur, liceatque Nobis et subditis nostris ad illa sacerdotia alios praesentare: ordinarij vero hujusmodi praesentatos instituere teneantur. Nihilominus tamen Nos vel Capitanei nostri juxta constitutionem Petricoviensem, fructus hujusmodi sacerdotiorum, statim post lapsum fatalem, redditus apprehendant et illos percipiant: de illisque damna passis satisfaciant: et illos non dimittant, nisi alij ad ea praesententur, et instituantur. Per hanc autem constitutionem nostram nolumus pracludere viam probis subditis nostris: qui causa studij, vel negotiorum honestorum curandorum gratia, ad Curiam Romanam se contulerint; cum in arbitrio nostro consistant, qui revocandi illinc fuerint: juxta uniuscujusque conversationem.

De locatione exercituum.

Terrarum Podoliae et Russiae Nuntijs, a Nobis petentibus: ut stationes exercituum militum mercenariorum, et aliorum, in Nobis eorum fieri prohiberemus: Nos cum Consiliarijs nostris, et Terrarum Regni nostri Nuntijs, expendentes Nobiscum, fieri non posse, ut locatio exercituum, certis locis coarctari debeat: quodque bona alia huic molestiae essent obnoxia, alia vero ab ea essent libera. proinde statuimus, Consiliarijs nostris, et Terrarum Nuntijs consentibus: ut hujusmodi exercituum locatio, et stativa, fiant in-

differenter, pro arbitrio Capitanei exercituum Regni nostri, et necessitate occurrente, in locis et bonis quibuscunque: juxta veterem consuetudinem nostram, et Antecessorum nostrorum absque damno tamen illorum bonorum: quae in vicinia stationum consistunt. Ubi vero damna aliqua, per exercitus hujusmodi locatos, et stativa habentes, bonis quibuscunque nostris vel subditorum nostrorum, spiritualium vel saecularium, fuerint illata: illa ex pecunijs publicis, damna passis sarciantur, et solvantur: juxta arbitrium Majestatis nostrae.

563

De reemptione bonorum.

Consiliarijs, Nuntijsque Majoris Poloniae Terrarum Nobis recensentibus, in Terris illis veteri consuetudine receptum esse, itaque semper observatum: ut ad redimenda bona reemptitia, seu obligata, aut reformata, ad Judicium seu Officium Castrense, unicuique liceat citare bonorum hujusmodi possessorem: ad tollendum pecuniam, et de bonis cedendum: nihilominus tamen plerosque consuetudini hujusmodi reluctari: et cavillis, ac exceptionibus varijs, in possessione bonorum redimendorum sese confovere: proinde universis Consiliarijs, et Terrarum Nuncijs Regni nostri consentibus, statuimus, ut consuetudo illa in omnibus, et per omnia observetur, vimque statuti obtineat: liceatque bona sua cuilibet redimere volenti, ipsorum possessorem, ad tollendam pecuniam, ad Judicium seu Officium Castrense citare: citatusque pecunias teneatur recipere, forum Castrense non declinando.

De inscriptionibus in Terra Gostinensi.

In Terra Gostinensi, rationabili quadam ratione adducti, de consilio Senatorum, et Nunciorum Regni assensu, constituimus et decernimus: ut non secus Castrenses, quam Terrestres libri, et inscriptiones in illis factae, sint authenticae: et robur habeant perpetuae firmitatis. Quemadmodum id antiquitus fuit observatum.

Responsio Terris Masoviae data.

Nuncij ex Terris Masoviae cum multa a Nobis postularent, quae concedi solent per Nos alijs subditis nostris Regnum incolentibus, et statutis communibus fruentibus, a Nobis hoc responsum tulerunt: quod dum essent jure, et consuetudine, ab alijs Regni nostri subditis sejuncti, non in omnibus eorum eadem ratio haberi possit: quae habetur subditorum Regni, sed si aliquando juribus, et consuetudinibus se coaequare Regni nostri subditis voluerint: (quod in eorum arbitrio est positum) tum eorum ratio, aequalis cum alijs est futura. Interim autem illos in eorum moribus, juribus, privilegijs, et consuetudinibus, privilegio nostro confirmatis, conservabimus.

De judicijs generalibus.

De terminis seu judicijs generalibus, quae vul-

go colloquia nuncupantur celebrandis, statuta omnia desuper edita in robore conservamus: ac illa singulis Terris, juxta eorum statutorum ordinationem, et veterem consuetudinem, celebrari mandamus, semel ad minus annis singulis. Quia vero propter nostrum in Magnum Ducatum Lithvaniae egressum, negotiaque Ducatus illius, quae forte Nos in illo diutius quam vellemus distinebunt, appellationes seu motiones a Judicijs Terrestribus et Castrensibus, seu etiam Officio Castrensi, ad Nos factae, remanerent longo tempore indecisae: per hocque multorum subditorum nostrorum justitia negligetur: statuimus, ut interim donec Nos ex Magno Ducatu Lithvaniae redierimus, ejusmodi judicia generalia bis in anno celebrentur. Quibus et Domini Episcopi, singuli in districtu sedis Episcopatus sui, Palatini, Castellani, caeterique dignitarij et Officiales, Judices et Subjudices Terrestres interesse teneantur: sub poenis in illos statutis. Nisi vera infirmitas, legatio, vel Reipubl: servitium, illos excusarent. In tali enim casu, licebit impedito sic in locum suum, alium idoneum surrogare. In quibus quidem judicijs generalibus, omnes motiones, appellationes, et alia id genus tam a Terrestribus, quam a Castrensibus Judicijs, ac etiam ab Officio Castrensi, quae ad Nos, seu ad Conventum Generalem sunt factae, et jam ante nostrum in Lithvaniam egressum non fuerint decisae, ac item interim donec in Magno Ducatu illo Nos agere contigerit, cadentia judicari et terminari debebunt. Et quidquid, per Judicio illi praesidentes judicatum et decretum fuerit, id totum per eosdem Judicio praesidentes, ac locorum Capitaneos, in executionem deduci debet. Licebit nihilominus unicuique, a decreto et sententia Judiciorum Generalium, ad Conventum Generalem Regni primum, post nostrum in Regnum reditum celebrandum, appellare. Sed hujusmodi appellatione non obstante, executio decretorum fieri debet ut supra: illeque pro quo judicatum fuerit, in possessione bonorum illi adjudicatorum inducendus, et in ea tuendus erit. Ubi tandem in Conventione Generali, Nos cum Consiliarijs nostris, sententiam et decretum, a quo appellatum fuit, justum esse cognoverimus: illud approbavimus. E diverso vero, ubi per Nos et Consiliarios nostros, fuerit retractatum et infirmatum bona omnia, et res aliae, quae per hujusmodi sententiam fuerint adjudicatae alicui parti, rursus restituentur illi: pro quo in Conventu Generali tulerimus sententiam: simul cum fructibus, intermedio tempore perceptis, et damnis inde secutis, juramento damna passi aestimandis. Tempora vero celebrandorum hujusmodi generalium judiciorum, volumus juxta statutorum dispositionem observari.

De numero Nunciorum Terrestrialium.

Cum cerneremus numerum Nunciorum Terrestrialium, qui ad Conventum Generalem destinantur, eoque processisse: ut thesaurus Reipub:

565

illis necessario plus aeque gravaretur. et magna pars contributionum publicarum in illos expenderetur, defensioque Reipubl: per hoc minueretur: ac item omnes tractatus et actiones, in Conventibus necessario cum illis agendae, in longum traherentur propter numerosam illorum multitudinem. (quorum plerique in hoc munus sese ingerunt: ut actiones, causas judiciales, in judicijs, et negotia privata, quae in Conventibus eis incumbunt, possent commodius peragere) propterea Consiliarijs nostris consentientibus, in praesentia Nunciorum Terrestrialium, ante conclusionem Conventus praesentis edici fecimus: et hac constitutione nostra decernimus: ut in Conventibus particularibus, Nuncij ad Conventum Generalem non plures eligantur, quam olim eligebantur, regnantibus feliciter Praedecessoribus nostris. Quodque nullus Nunciorum eligatur qui causam et actionem judicariam, in Conventu agendam haberet. Per hoc enim et Judicia Conventionalia inturbantur: et tractatus Nunciorum plerumque intermituntur: cum utriusque negotio simul satisfacere non sufficiant. etc.

Ad mandatum Sacrae Majestatis Regiae proprium.

PRIVILEGIUM

SIGISMUNDI REGIS

DE INSTANTIJS (QUAS VOCANT) IN IUDICIJS TERRARUM PRUSSIE OBSERVANDIS, ANNO 1542.

SIGISMUNDUS

Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, ac Masoviae etc. Dominus et Haeres.

Universis et singulis, in quorum manus hae nostrae literae pervenerint, planum testatumque facimus, quod cum et a Consiliarijs, et a reliquis Ordinibus Terrarum nostrarum Prussiae, una omnium voce fuisset Nobis supplicatum, ut tres tantum non quatuor esse vellemus iudiciorum instantias, ita ut a secunda instantia recte ad Nos non autem ad Consiliarios Terrarum nostrarum Prussiae fieret appellatio. Nos tantum esse ea in re omnium Ordinum consensum videntes, atque una considerantes, quod et juris ordini magis congruit, et cum ipsis litigantibus tum Consiliarijs Terrarum nostrarum Prussiae minus est onerosum futurum, quorum illi sumptu inutili, hi vero supervacaneo labore et molestia liberabuntur, si tres tantum iudiciorum instantiae observentur, iudicia civitatum et oppidorum nostrorum Prussiae in hunc ordinem redigenda putavimus, ita ut praesentibus redigimus. Majoribus in civitatibus Terrarum nostrarum Prussiae apud iudicium Scabinorum primam esse volumus instantiam, a quo ad Senatum, a Senatu recta ad Tribunal nostrum Regium appellationem fieri. In

minoribus vero civitatibus prima ut sit instantia apud iudicium civile, a quo si literis aestimatio non excedat pretium aut valorem quinquaginta marcarum Pruthenicalium levis moneat, possit fieri appellatio ad Capitaneos et Praefectos locorum, et ibi fiat secunda instantia, a quibus cui visum erit, liceat appellare ad Tribunal nostrum Regium. Ubi vero valorem quinquaginta marcarum excesserit, fiat appellatio a iudicio civili ad Consiliarios Terrarum nostrarum Prussiae, ut apud eos tunc secunda sit instantia, a quibus recta ad Regium Tribunal nostrum appelletur. Quod autem attinet ad Judicia Terrestria, maneat et servetur per omnia, ut est in constitutionibus expressum. Hunc Nos appellationum ordinem inviolate ab omnibus majoribus et minoribus civitatibus, Terrarum nostrarum Prussiae volumus observari, et mandamus tertiam instantiam apud Nos et non alibi esse debere praesentibus decernentes. Harum quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio litterarum. Datum Cracoviae feria quarta in vigilia S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, anno 1542, Regni vero nostri anno 36.

Sigismundus Rex sspt.

CONSTITUTIONES

IN COMITIJS GENERALIBUS CRACOVIENSIBUS

FACTAE ANNO 1543.

Cum subditi Regni nostri Poloniae, ex Comitibus Generalibus, ante annum Petricoviae habitis, tam per Nuntios, quam per literas, Nobis tum Vilnae agentibus, a Nobis peterent, ut Dominium nostrum, Magni D. L. cum Regno Poloniae uniretur, tum bello contra communem hostem sustinendo, quam etiam in alijs negotiis et pactis antiquis, vicinia, ac fraternitati hinc inde conservandae, causa pernecessariis. Et quamvis tum pro ratione postulationis ipsis respondissemus, attamen cum in praesentibus Comitibus Regni, consultando de perpetua defensione, contra potentes hostes utriusque Domini nostri, tam Regni, quam ipsius M. D. L. cum Consiliarijs, et Terrarum Nuntiis longiorem defensionem Regni, nisi annuam constituere non potuimus, praeterea ad Consiliarios Magni Ducatus nostri Lithvaniae intimavimus, ut illi etiam hoc anno consimilem defensionem, cum Regno nostro Poloniae contra communes hostes in finibus tenerent. Interim autem pollicemur Consiliarijs nostris, et Nuntiis Terrarum Regni Poloniae, quia hoc anno subditos nostros M. D. L. adducere volumus, ut consimilem defensionem cum Regno Poloniae contra communem hostem in finibus tenerent. Quod autem ad pacta seu inscriptiones et Conventus ipsius Ducatus et Regni communes attinet, in eo nihil certi adhuc facere potuimus. Quandoquidem Consiliarios ipsius Ducatus circa Nos non habui-

566

567

mus: attamen hoc responsi Consiliariis nostris et Terrarum Nuntiis dedimus, quia cum aliquid utile, dignum et perpetuum in Regno constitueretur, facilius Nobis esset apud Consiliarios nostros Magni Ducatus ipsius hoc obtinere, ut illi similiter causa Reipublicae suae et Regni, ad consimiles constitutiones consentirent, quod cum fiet, pollicemur subditis nostris Regni Poloniae, quia volumus Consiliarios nostri Magni D. L. ad hoc ducere, ut illi etiam in omni re non minus sibi, quam Regno utili, in bonoque ordine et constitutionibus ac defensione eisdem conformiter convenirent, juxta pacta, seu inscriptiones, ac privilegia antiqua, inter utraque Dominia facta et recepta.

Tametsi vero incolas Ducatus Prussiae jam eo adduximus, ut contra violentum hostem Nobis et Regno nostro omnibus facultatibus, ac etiam jugulis suis, se auxiliarios receperint, quia tamen subditi Regni nostri Poloniae, minus quam oportet illos se facturos promissis affirmant: quod scilicet tantum contra violentum et potentem hostem auxilia ferre, non autem singulis annis communem et solitam defensionem sustinere deberent: cum ipsi non solum in una re, sed in omni necessitate illorum, quo minus eos defendant, nihil devitent: quodque sciant ipsos in chronicis suis habere descriptum, quia ipsosmet ut liberarentur ex oneribus et servitute Ordinis, virtute ac potentia sua adjuverunt, ut omnino libertates eorum sanguine suo militari redemisse, atque mercatos esse, sit confessum, illis ergo promissimus et promittimus, Nos denuo velle Consiliariis nostris, et subditis Terrarum Prussiae in id Comitia edicere, et Nuntium nostrum ad eos mittere: consiliis ipsos eo adducendo, ut non solum contra violentiorem hostem, verum etiam ut uniformem singulis annis defensionem, contra quosvis Reipubl: hostes, cum subditis nostri Regni communibus viribus sustinerent. Qua quidem in re, si nostris consiliis et adhortationibus obsequi noluerint, tum in primis Comitibus Regni nostri, consilia Senatus nostri eo nomine exquiremus, quidnam ulterius in eo negotio facere debebimus, quod autem de Ducatu Prussiae scripsimus, hoc idem etiam de Ducatu Oświęcimensi, et Zathoriensi facere volumus et pollicemur.

Quamquam postulati fuimus a Nuntiis Terrarum, ut civitatum emporia, alias *sklady* tollerentur, attamen quia civitates quae ea ipsa emporia seu depositoria a Majoribus nostris habent, jure privilegiorum habere eadem videntur: quae quidem privilegia eisdem tenere juravimus, atque idcirco hoc responsum Consiliariis nostris, et Nuntiis Terrarum dedimus: quia contra iusjurandum nostrum nullius literas et privilegia frangere et mutare possumus et nolumus, nisi fortasse illorum ad id accedat consensus.

568

Quando quidem fraternitates civitatum, libertatem nobilium offendunt, mandamus Palatinis, ut unusquisque in suo Palatinatu custodiat hoc, et diligens sit: ne ipsae fraternitates serventur,

in detrimentum libertatis terrestri. Et quicumque huic edicto adversarentur, tales Palatini ad se citare et poena centum marcarum quoties hoc commiterent, punire debent, pro quibus ad Capitaneos pro executione remittant, et Capitaneus tenebitur executionem facere, sub amissione officij, pro quo debet deferri coram nostra Majestate Regia per Palatinum. Et Palatinus similiter negligens, consimiliter etiam puniri debet.

Domini Palatini, juxta statuta antiqua debent ex officio suo providere, unusquisque in suo Palatinatu, incipiendo a civitatibus et oppidis nostris Regiis, postea spiritualium et saecularium dominorum, et aliorum subditorum nostrorum, ut res mechanicae, modii, mensurae, ulnae, venditio frumentorum, cerevisiarum, et aliae res sub constitutionem cadentes juste conservarentur et venderentur. Et quicumque eiusmodi constitutionibus adversaretur, vel eas non admitteret, talis debet puniri poena centum marcarum, pro qua executionem debent facere ipsi Palatini.

Cum de occlusionem viae in Silesiam disceptaretur, tametsi subditorum nostrorum postulationes apud Nos factae erant variae, nihilominus ex communi Consiliariorum nostrorum, et Nuntiorum Terrestrium consilio, in eo statu reliquimus negotium: ut haec occlusio et inhibitio viarum tamdiu duraret, quoad injuriae, et damna pro quibus cum subditis Regis Romanorum subditi nostri utrinque experiri debent, tam in Silesia, quam in Hungaria sarcirentur, et per Commissarios utriusque Regni juste finirentur et compensarentur. Et tamen hoc quoque constituimus: (ut melius haec inhibitio viarum provideretur) ut videlicet Capitanei in confinio existentes, sub amissione officiorum suorum diligenter hoc custodiant, ut praeter hanc inhibitionem subditis nostris nihil facere, neque illuc equitare permittant, hoc insuper adijciendo, ut vectores nostri Theutonicorum merces, neque ex Polonia neque in Poloniam ducant, sed ut ipsi mercatores Theutonici suas res et mercimonia tam in Poloniam, quam ex Polonia ducant et vehant. Et quicumque Capitanei hanc inhibitionem diligenter observabunt, tales mercimoniorum in poenam commissi cadentium, a transgressore constitutionis accipiendarum, medietatem habebunt, alteram vero pro Nobis tollemus.

Teloneares literae de quibus in aliquot Comitibus praeteritis disceptabatur, ut scilicet hae, quaecumque inutiles et damnosae Reip: fuerint, tollerentur, necessariae autem relinquuntur, eo modo in praesentibus Comitibus constituimus, ut ex illis terminationibus, seu signationibus, quae in Cancellaria nostra per aliquot annos factae fuerant, comissiones ad Districtus conscriberentur, quarum autoritate ante Comitia prima, per Commissarios ad Cancellariam censura afferatur, vel mittatur: quo locorum aliquod teloneum, aggerale vel pontale est necessarium,

569

utile vel damnosum Reip: Sed hoc intelligi debet de his literis et teloneis, aggeralibus et pontalibus, quaecumque fuissent ad placitum nostrum, vel ad vitam obtentae. Nam perpetuitatis literas, privilegia et possessiones antiquas, in teloneis aggeralibus et pontalibus infringere, et mutare cuiquam non videbatur esse justum. Eorum autem Commissariorum conscientia, sicut et limites facientium adstringi debet. Postquam autem a Commissariis afferetur censura, de illis locis, in quibus illis videretur teloneum aggerale aut pontale, justum vel injustum, tum Nos cum Consiliariis nostris, et Nuntiis Terrarum, juxta censuram Consiliariorum, aliquas praedictarum literarum tollemus, nonnullas vero moderabimur, et relinquemus, quomodo scilicet tum necessitas, ac utilitas Reip: postulabit.

Tametsi multum disceptabatur, quod teloneis aquaticis nobiles subditi nostri gravarentur, qui quidem sese (ut sunt) liberos cum bonis suis, non solum a teloneis terrestribus, verum etiam aquaticis liberos esse existimant, nihilominus Nos nolentes in eo cuiquam subditorum nostrorum quidquam detrudere et injuriari, sic eam controversiam in his Comitibus definimus, ut quicumque putaret, se ab aliquo in aqua affectum esse injuria, ut ad praesentiam nostram damni datorem citet. Nos autem in illo termino citationis pollicemur cognoscere, ut quicumque sine jure, sine privilegiis et illegitime res contra libertates subditorum nostrorum nobilitatis Regni Poloniae detineret, debitam mulctam ferat, ut ne postea id in se admittat. Quod autem ad Nos attinet, promittimus; subditos nostros spirituales et saeculares, in libertatibus eorum conservare, neque telonea aquatica ex eisdem accipere, juxta statuta, et antiqua privilegia, et hoc ab omnibus rebus propriis illorum laboris, juxta antiquam consuetudinem et observationem. Cum quibus quidem rebus nobilis, qui a domino suo defuet, praestabit iusjurandum corporale, juxta constitutiones priores, ut ne postea in aliis locis, jurandi necessitas illi imponatur.

Assentimur Dominorum Consiliariorum et Terrarum Nuntiorum sententiae, et ita relinquimus duraturum: quia Regni Comitia Generalia non alibi, nisi Petricoviae indici et agi debent pestilentiae et aegritudinis Regiae, casibus exceptis.

570

In eo cum Consiliariis nostris, et Nuntiis Terrestribus convenit Nobis, ut liberum sit unicuique nostrorum subditorum de Regno nostro exire ad quaecumque regionem vellet, vivendi, serviendi, et se in bonis moribus ac honestis disciplinis exercendi causa, et propter literas ab Ecclesia admissas, alioquin si quis rediens ab Ecclesia admissas, alioquin si quis rediens ab aliena Provincia, qualescunque novas doctrinas aut libros propagare, subministrare, et uti illis vellet iis, juxta antiqua jura et privilegia Regni debet se justificare.

Universi Senatores et Terrarum Nuntij attendentes monetam, quae in Terris Prussiae cu-

ditur, adeo auctam et noxiam esse, ut diutius sine ingenti detrimento Regni tolerari non possit, statuerunt et decreverunt, unanimiter iterum S. M. R. humilime supplicandum, ut Majestas sua ipsam cusionem monetae, ubique tam in Terris Prussiae, quam etiam alibi sistere mandaret. Et quamvis Majestas sua Regia jam de cessanda ipsa cusione, suam benignam et propensam voluntatem declarare dignata sit, tamen quia Illustrissimus Dux Prussiae, ab illa cuedenda desistere recusat, et indignum videretur, antequam ille cesset, Majestatem Regiam desistere debere, requiritque Majestas sua consilium, qua ratione ille contineri deberet, omnium unanimis est sententia, quod cum neque Illustrissimus Princeps, neque Regiae civitates in Prussia, ullam unquam aliam facultatem haberent, neque habent monetam aequalem monetae Regni, et quae a regnicolis recipi deberet cudendi, nisi a Majestate Regia novissime concessam, sua vero Majestas, ut ex jure Regni, ipsam facultatem monetam cudendi, non nisi de consensu et decreto Senatus sui habeat, neque illam sibi Majestas sua, ut Illustrissimus Princeps hactenus usurpavit, ita hac facultate majorem et ampliolem facultatem, aliis concedere juste non potuit, neque illi eam sibi usurpare possunt, cum id non solum juribus Regni, sed etiam transactioni et superioritati Regiae contra ipsorum iusjurandum, et tenorem transactionis plane repugnaret: proinde supplicarunt universi, etiam atque etiam, ut sua Majestas Regia, habita ratione tanti detrimenti Regni sui, jam tandem et suam et aliorum quoque omnium cusionem ejusmodi monetae, in Regno recipiendae sisti jubeat, et rebelles jure et potestate sua Regia coerceat. Porro cum universi regnicolae persvasum habeant, eam ipsam monetam esse depravatam, et pretij aequo vilioris, mandare dignaretur sua Majestas Regia, ut tam Praefecti, et Procuratores rei monetariae, quam etiam cives, qui eam cudunt, in futuro proximo Conventu Regni se sisterent, et se palam justificarent, et ut interim in praecipuis locis, et civitatibus, probatio ipsius monetae fieret: ne (cum antecessores Majestatis suae tales excessus et peculatum impunitum non sinebant, etiam magnis Regni Proceribus) nunc his modernis Praefectis et Procuratoribus, in ea opinione et suspitione hominum existentibus, aliqua ob hanc causam sinistra existimatio, graves querimoniae, ac demum aliquae turbae, inter homines excitarentur, quae hac potissimum ratione sopiri posse videntur.

Quamquam in literis homagialibus Illustrissimi Ducis Prussiae extat definitum, quia appellationes ab ipso Duce Prussiae interpositas, Commissarij ex utraque parte tam videlicet a Nobis quam ab ipso Duce Prussiae deputati cognoscere debent. Nihilominus quia illic non est descriptum neque adjectum, cum ipsi Commissarij inter se essent discordes, ac sententiis variarent: quisnam ulteriorem cognitionem et iudicium ea-

571

rum appellationum facere deberet. Propterea hunc articulum distulimus ad adventum Ducis Prussiae in his nuptiis M. R. junioris filij nostri futurum cum quo de hoc articulo bonis modis constituimus. Ad hoc vero tempus omnes appellationes earum partium quae a Ducis Prussiae iudicio ad Nos tanquam ad superiorem Dominum provocaverunt, in suo robore et valore relinquimus.

Satisfaciendo postulationibus Nunciorum Terrestrium, subditorum nostrorum, relinquimus in robore statutum nostrum Petricoviense in Conventu Generali conditum, anno 1538, illudque tenere et exequi volumus. Ut ne negotia Terrestria negligenter tenebimur deinceps huiusmodi officia et dignitates in principio Conventus, priusquam ipse Conventus Generalis inchoabitur, hominibus idoneis, possessionatis, indigenis illarum Terrarum, iuxta privilegia et statuta distribuere. Ipsi vero Palatini, Castellani, Dignitarij, et alij Officiales Terrestres, per Nos dati, sufficientem possessionem haereditariam, et non fictam habere debent: et in ipsis Palatinatibus, et in Districtibus propriis commissiones, colloquia, et alia iudicia et debita officiorum suorum explere et exequi debent, nisi fortasse legatione servitij Reipubl: vel nostrae M. Regiae fuerint impediti. Quod si negligentes et impossessionati fuerint, juxta privilegia et statuta, tum in Conventu futuro privari debent ipsis officijs: ex delatione Nuntiorum Terrestrium illius sui Palatinatus, vel Districtus. Qui quidem Nuntij tenebuntur instigare in Conventu, contra talem officialem et dignitarium, qui quidem talis fuerit et hoc statutum jam debet esse, et valere contra talem, pro monitione.

De civibus et plebeis, bona terrestria non possessuris, executionem facere volumus: imprimisque statuti, anno adhuc quarto facti, et jam nonnullas personas, eo nomine ad Nos citavimus literis nostris.

Visum est Nobis et Consiliariis nostris satis esse, ut tantum ter in anno, Terrestres termini celebrarentur, idque si non aliqua causa legitima impediatur, quarta pars vero anni, ut ad iudicanda colloquia convertatur, et hoc propterea, ut colloquia in Terra Sandomiriensi quolibet anno semel fierent, idque in tribus locis, juxta veterem consuetudinem incipiendo feria secunda in autumno, post festum S. Francisci, primo Sandomiriae, postea Radomij, ultimo Visliciae. Similiterque in Cracoviensi, Lublinensi, et alijs Palatinatibus ac Terris, ipsi termini Terrestres, et colloquia eo modo celebrari debent, hoc est termini Terrestres, quarto autem colloquia. Perinde et in Palatinatu Russiae, ter termini Terrestres, quarto autem colloquia celebrari debent, hoc est, incipiendo terminos terrestres Leopolienses, feria quarta post festum Sanctorum Trium Regum, postea vero in alijs Districtibus, ordine, juxta veterem consuetudinem. Alij vero termini Terrestres; feria quarta post festum S. Adalberti. Porro tertij Terrestres termini, post

festum S. Margarethae, atque ad eundem modum, in alijs itidem Districtibus. Ipsa vero colloquia Leopoliensia, feria quarta post festum Exaltationis S. Crucis incipientur, postea simili ordine in alijs Districtibus, ut Premislae et Haliciae. Porro in Districtu Chelmensi termini Terrestres, juxta consuetudinem celebrari debent: colloquia autem, post colloquia Haliciensia, ut scilicet Palatinus obire illa poterit. In Lublinensi autem Terra, in tribus locis consuetis, in quarto vero loco, in Busko, termini seu iudicia Terrestria peragi debent, ipsa vero colloquia tantum Belzae post festum Exaltationis S. Crucis peragantur. Ipsi autem colloquijs litterae nostrae, quibus Comitibus edicemus, impedimento esse non debent.

Quod si Judices, Subjudices et Notarij Terrestres, propter veram infirmitatem a terminis Terrestribus abfuerint, propterque illorum absentiam, termini quo minus procederent, impedirentur, tum in futuris proxime terminis, antequam in suis locis considerent, tenebuntur praestare jusiurandum corporale. Quod vera et non ficta infirmitate, ab his terminis abfuerint. Similiter etiam Palatini, Castellani, Dignitarij, et alij Officiales Regni, quicumque in colloquijs interesse tenentur, si aliquando propter infirmitatem in colloquijs non adfuerint, priusquam in locis suis considerent, juramentum praestabunt: quod in proxime praeteritis colloquijs, propter veram infirmitatem adesse non potuerint, nisi forte servitijs Reip: vel legationibus occupati fuerint, propter quae ipsis iudicijs interesse non potuissent. Haec enim illorum absentiam excusarent. Tamen in absentia illorum, Castellanus illius Terrae primus, locum Palatini occupare teneatur, similiter in loco Castellani aliquis nobilis idoneus, qui quidem colloquia celebrare debent, ne justitia hominum proregetur.

Palatini, Castellani, Dignitarij et alij Officiales Terrestres, qui colloquijs interesse tenentur, si forte in aliquibus colloquijs praesentes non fuerint, in alijs proxime sequentibus colloquijs, priusquam in loco suo residebunt, jurare debent, quia in praeteritis colloquijs propter hanc vel illam infirmitatem non fuerint, nihilominus absentibus illis in loco Palatini, primus illius Palatinatus Castellanus, in Castellani vero loco, idoneus aliquis homo statuto descriptus, per alios hujus iudicij collegas, collocentur: quocirca absentia nonnullorum non obstante, per alios Dignitarios et Officiales Terrestres colloquia celebrantur, ne justitia hominum negligatur. Attamen priores jusiurandi conditiones intelligi debent, praeter eum, qui Reipub: quocumque servitio, vel legatione occupatus fuerit, propter quae colloquijs interesse nequeat, et absentia illius excusetur.

Repositio et suspensio terminorum Terrestrium, et Castrensium esse non debet, ita quod citationes et causae hominum, nullo modo, neque etiam generaliter debent suspendi per Judices ad alios terminos. Quicumque autem Judices et

Capitanei, vel Vice Capitanei tales suspensiones iudiciorum sua sponte fecerint, juxta statutum debent puniri, excepto si tales repositiones ex consensu partium fecerint. Et propterea Vice-Capitanei et Judices Castrensium, ubique debent esse possessionati, sub poena amissionis officiorum Capitanealium. Contra quos Capitaneos, Vice-Capitanei et Judices, similiter etiam Nuntij illius Terrae, instigare adstringuntur.

Capitanei et Vice-Capitanei, et Judices Castrensium, sint possessionati, sub poena amissionis officiorum Capitanealium, contra quos Capitaneos, et Vice-Capitaneos et Judices, similiter Nuntij illius Terrae instigare debent, ac tenebuntur.

Camerarij cum Notarijs iudicent pro exemptione bonorum, juxta statutum, etiam si id fieri intra tempus Comitiorum Regni contingat.

Tametsi hortatu Senatorum nostrorum, inter Nuntios Terrestres haec fuit disceptatio orta, ut aliter homicidia voluntaria, et casualia, praeterea in templis, in domibusve commissa expenderentur, nihilominus postremo in hoc stetit, ut statutum Regis Joannis Alberti, de eo conditum in robore conservaretur, hoc eidem adiecto: quia cum aliquis occideretur pater minorennium puerorum, tunc tutor tam inscriptus, quam consanguineus, aut cognatus, pro capite occiso agere juxta juris formam et probationem, quaecumque pueris (cum haberent annos discretionis) serviret, talem quoque pro capite eodem facere debet, et postea pueris illis de eadem pecunia capitis rationem reddere, cum ad annos discretionis pervenerint, tenebitur. Quod si etiam ille homicida, post facinus perpetratum homicidij moreretur prius, quam ad iudicium attraheretur, tunc pueri et alij successores eiusdem homicidae, tantum evadunt sessionem in turri, sed non recipientes sibi dilationem ad annos discretionis, in primo termino, tanquam peremptorio, citati pro mercede capitis illi tutori, vel illis quibus pater vel consanguineus fuerit occisus, respondere tenebuntur. Pro alijs vero causis, cum pater citatione occupatus moreretur, tunc pueri etiam minorennitate sese tueri non poterint, sed si pater non fuisset citatus, pueri obtinebunt dilationem ad annos discretionis, juxta statutum. Quod si etiam homicida viveret, et jure convinceretur, talis in fundo turris sedere debet, nemine excepto, sine indulgentia illius Capitanei, apud quem ille homicida poenam, huiusmodi sustineret. Et ne postea reus in hac convictione evaderet poenam, innocens autem patiatur, (communiter enim ditior convincitur paupere dimisso) in hoc casu, Palatinus illius Terrae in qua huiusmodi parricidium perpetratum fuerit, cum Castellanis et alijs Dignitarijs, ac Officialibus Terrestribus illius Terrae, in colloquijs scrutinium facere debet, de culpa vel innocentia illius homicidae, ut ea cautela, innocens pro sonte non patiatur. Sic etiam Palatinus cum Castellanis, Dignitarijs et Officialibus Terrestribus scrutari debet de tali homicidio, (si quod acciderit) cum quis defendendo vitam suam occiderit quempiam

in via, in hospitio, vel in domo, de nocentia, vel innocentia eius, secundum invasionem, vel inequitationem istius occisi, et si circa occisionem dominus solus fuit, vel non fuit, et ibidem, posteaquam cognoverit Palatinus, cum alijs Dignitarijs et Honorarijs Terrestribus, homicidam condemnabunt ad id, quod eius culpa jure debetur, hoc est, juxta decretum probationis per Judicem factum, condemnabunt illum ad turrim. Etenim decernendo probationem actori cum controversia, partem quae si ad hoc et tale scrutinium trahetur, ad iudicium colloqui remittere tenebitur. Quod si aliquando circa litem domini famulus aliquem occiderit, tunc juxta statutum, dominus debet culpam, et non servus.

Ab accessorijs, quae non important perpetuam amissionem principalis causae, sed tantum perditionem termini, aut ab citatione libertatem, Judex moveri non debet, sed in eius decreto partes conquiescere tenentur. Alioquin a talibus accessorijs, quae in se contineant lucrum, vel amissionem principalis causae, pro qua quis citaretur, in tali casu, si cui decretum Judicis displiceret, potest Judicem movere ad colloquia juxta consuetudinem juris, et statutorum antiquorum, de motionibus conscriptorum dispositionem. In colloquijs autem movens debet esse paratus cum suis probationibus, ut super negotio principali, citra omnes dilationes juxta juris formam, in eisdem experietur. A colloquiali vero, ut administratio justitiae celerior sit, nullum iudicium, neque officium appellationem seu motionem ab accessorio admittere debet, excepto si tale esset, quod principalis rei aut lucrum, aut amissionem contineret decreto, si alicui decretum non probabatur, poterit ad Comitibus proxime celebranda appellare, et cum hac appellatione intermediente, haec appellatio ad Comitibus suspendatur. Pars appellans ponendo vadium, alias *kocz*, apud iudicium colloquiale non tenebitur in Comitibus aliud vadium reponere, sed cum jure experietur, vadium illi parti, quae iure vincet, cedere debet.

Si quis alicui acciperet kmethonem possessionatum, vel haeredem, vel etiam ad aliquem kmetho profugeret, tunc debet illum restituere cum bonis eius omnibus, et non poterit illum kmethonem redimere decem marcis pecuniae, vel ulla alia summa, quod si noluerit eum restituere, nisi ex decreto iudicij, tunc cum poena in statuto descripta, tenebitur illum restituere cum uxore et pueris, et cum bonis illius omnibus. Quod si kmetho moreretur, tunc illius omnia bona debent restitui cum uxore, et pueris, necnon cum poena.

Relatio ministerialis, coram quibuscumque actorum libris, de positione citationis facta, volumus ut tantum valeat, quantum personalis recognitio eiusdem ministerialis, valere debuit, nisi quod recognoscat in eisdem actis, tempus et locum positionis citationis, et cui eandem citationem publicavit in bonis, et cum quibus nobilibus, aut nobili hoc fecerit, juxta statutum.

Statuta posteriora in omnibus forensibus causis, teneantur usque ad futura Comitia, ita ut iuxta posterius statutum, omnes causae Terrestres, Castrenses et Commissoriales iudicentur, reiectis ad partem interim aliis omnibus prioribus statutis prius factis, et posterioribus statutis fortasse contrariis. Etenim in futuris Comitibus debemus cum Dominis Consiliariis nostris, et Nuntiis Terrarum, hos quaerere modos, quibusnam iustitia hominum constabiliretur, differentiae autem statutorum conciliarentur. Quod si fortassis in primis et proximis Comitibus, nihil tale fecerimus, tunc hoc statutum de tenendis statutis posterioribus conditum eo usque durare debet, quoad in aliquibus Comitibus, cum ipsis Consiliariis nostris et Terrarum Nuntiis aliquid salubrius eo nomine constituere poterimus.

Statutum et sancitum est, quia Commissarii in causis iudicii sui non debent recedere a statuto communi, et facultate illis circumscripta, videlicet circa limites faciendos, exemptionem bonorum vel divisionem bonorum inter personas etiam remotas par tamen jus succedendi habentes faciendam, et ne morem gerant ullis informationibus huic statuto contrariis. Quod si quid contra statutum facerent, id nihili esse debet, nullaque informatio illos excusare poterit. Praeterea nulla bona circa talem exemptionem accipere debent, tantum ea, quae in literis obligatoriis essent descripta.

Quod si quis plebeius in negotio et iudicio limitum, vel alio quocunque, contra Commissarios inveheretur verbis, illosque inhonoraret, talis turri, vel alioqui sessione dimidii anni puniri debet; cuius poenae executionem, Capitaneus illius loci faciet, sub poena in statuto descripta contra illos, qui executionem facere negligerent. Quod si quis etiam plebeius arma corripere, et vibraret, licet etiam neminem vulneraret? colloquat poenas, quod etiam Capitaneus exequatur; nobilitas autem pro talibus excessibus, iuxta statutum puniatur.

Ex mutuo colloquio ac consensu Dominorum Consiliariorum, et petitione Nuntiorum Terrestrium, sic est constitutum, quia literae publicae fidei, alias *żelazne listy*; et salvi conductus, amplius dari non debent a Nobis famulis contra dominos illorum, status et ordinis militaris, nec etiam contra subditos illorum, in damnum eorundem, sed Nobis et Consiliariis nostris liberum erit hoc facere, tales videlicet literas dare subditis nostris, status civilis, contra cives, juxta arbitrium nostrum, tamen contra nobiles et subditos illorum, nulla dabimus.

Quinimo ipsi Iudices Terrestres, non plus ratione memorialis accipiant, nisi quinque grossos, a decreto satisfactoris, in termino concitatorio, ab additione Ministerialis ad intromittendum, et remissione ad Capitaneum, si intromissio victori non esset admissa, et hoc sub poena quatuordecim marcarum parti, et Nobis alia.

Statuimus, ut nonnisi semel Iudex Terrestris,

vel Castrensis, vel Succamerarius deliberet, similiter et Capitaneus et Vicecapitaneus, semel etiam ad duas septimanas, in causa Officii Castrensis ad alios terminos Castrenses deliberet, sub poena trium marcarum pecuniae, parti succumbenda, pro qua Capitaneus tenebitur iustitiam parti, vel coram Nobis, vel coram Iudicio Terrestri, alias ubi parti libuerit poenam ipsam persequi. Postquam quidem deliberationem Iudicis, Capitanei, vel eius Officii, jam nulla pars poterit suam controversiam meliorare, vel locupletare, tantum decretum audiet, ex illa controversia, super quam deliberatum est. Sed quia statuto novo cautum extat: quia ante probationem sententiae, hoc est, ante decretum, potest pars suam controversiam vel causam meliorare: hoc ita debet intelligi, quia haec ipsa melioratio controversiae debet fieri semel, in termino peremptorio, hoc est, tum quando jam Iudex recipit sibi ad deliberandum, seu ad interrogandum. Nam si pars deberet causam suam aliquoties meliorare, Iudex vero itidem super eadem aliquoties deliberare, tunc magna iustitiae comperendinatio fieret, et admitteretur.

Procuratores mercenarii, qui mercede conducti hominum causas in iudiciis communiter procurant, ne amplius difficultates et comperendinationes in iure facerent, debent esse iurati, quia injustas causas neque suscipere, neque eis consulere neque illas promovere debent, in gratiam alicuius partis. Praeterea aestimationes pecuniales, quas pro iniuriis vel damnis in citationibus ponunt, debent ita moderari, et ad eum valorem redigi, quanti damnum valet, ne ob hoc probationibus et testibus homines gravarentur. Iudex autem qui iudicio praesidet, debet prospicere et animadvertere in talem, et punire illum sicut est de inordinatis citationibus, statuto descriptum. Quod si certo comperientur aliqui Procuratores, huius statuti transgressores et audaces, extunc debent per Iudicem ad Nos remitti. Quod si decreto nostro Regio, transgressionis reus reperietur, extunc ei officio procurandi, in omnibus Iudiciis nostris Regalibus, Terrestribus, Castrensibus inhiberi debet. Hoc autem intelligi debet, praeter illos: qui consanguinitatis, aut amicae consuetudinis iure ducti, amicorum, necnon praeter famulos, qui dominorum suorum causas procurarent: neque communiter in iure causas dicerent, denique praeter illos: qui ipsimet suas proprias causas judicialiter agerent. Tales enim huic statuto subditi non debent. Attamen procuratores dominorum, tametsi domino aliquis eorum serviat et ejus causas procuret, (si modo communiter procuratoris officium exerceat) eo non obstante, tenebitur hoc iusjurandum praestare: et literas authenticas iuramenti sui, ab Iudicio Terrestri accipiendas, habere cum quibus literis, ubique fides habebitur ei indubia.

Omnis qui procuratore careret, poterit suam causam coram iudicio exponere: vel controversiam, et defensionem sui facere: sepositis atque reiectis in partem, captiunculis poenarum, quas

captiones Iudex permittere non debet, nisi hoc custodire ut iustitia unicuique ministretur.

Quia negotium de violenta expulsionem de bonis, inter homines vehementer motum est, et increbuit adeo, ut iniquus justum, nocens innocentem, reum peragat, bonisque depellendo citet, in spem probationis, quae ex consuetudine juris bonis expulso servit, ut bona ejus intercipiat, tametsi fortassis nunquam in possessione eorundem bonorum fuit, nec literas ullas, seu privilegium, super eadem acquisivit: quocirca Nos hujusmodi licentiae ire obviam, et eandem interciperi volentes, id illi remedii cum Senatoribus nostris Terrarum Legatis reperimus: ut si qui se expulsos, seu dejectos bonis affirmant, ad Officium Castrense, in quo ejusmodi bona sunt posita in recenti, ad maximum infra mensem (facturi eo nomine protestationem, si volent) confugiant, et pro expulsionem dejectores citent. Nihilominus Officium ex controversia partium descendendo in illa bona scrutinium seu inquisitionem a vicinis illis bonis adiacentibus facere, et testimonium ab eis, sub onere conscientiae et bona fide nobili, a kmethonibus autem illorum bonorum, sub corporali juramento, inquirere debet de hac expulsionem, si ita scilicet facta sit, necne, et quis ante hanc expulsionem, vel mensem, illorum bonorum possessor fuit, num videlicet expulsus, seu citatus. Qui quidem kmethones tenebuntur narrare, quis eorum illos tenebat, cui census dabant, ante hoc tempus, quisve eisdem imperitabat, et juxta hanc testificationem in utramque partem officium huius negotii iudicium, seu decisionem faciet. Praeter pueros illos, quorum fortassis patrum vel tutorum jure tutelae usi, dum minores adhuc essent, illa ipsa eorum bona vendidissent, aut alienassent, contra eorum jus, et iustitiam. Talibus enim pueris, postquam ad annos discretionis pervenerint, Officium tenebitur iustitiam facere, tametsi non in recenti facto, ad hoc ipsum Officium confugerint, ne eo modo scilicet tutores bona puerorum perdant, neve quis ab eisdem incerta bona emat. Quod si citatus reciperet se ad munimenta, debet narrare ad qualia munimenta se recipiat, unde et ex quibus actis producenda; tunc enim non ulterior debet ei dari dilatio, nisi ad terminos proximos illorum actorum, ad quae se receperit. Quod si aliud quidcunque postea ostenderit, extunc causam suam amittere debet, indeque actor pro damnis, quaeque hac depulsiore sua reus fecerit, ad jus Terrestre, juxta statutum remitti debet.

Differentias iudiciorum, inter spirituales et saeculares personas, sic in praesentibus Comitibus, cum Consiliariis nostris utriusque status, et Terrarum Nuntiis constituimus, ne amplius alteri alteros, ad jus incompetentes evocent. Ut itaque sit definitum, quae causae ad iudicium spirituale et saeculare pertinent, per hanc illarum descriptionem, significamus, describimus et constituimus cum consensu Dominorum et Praelatorum spiritualium, necnon Dominorum status

saecularis, et Nuntiorum Terrestrium. Inprimis ad spiritualium iudicium pertinet, iudicare differentias fidei Sanctae Christianae, haereses, schismata, blasphemias contra Deum, et apostasias.

Item pro decimis, septem Sacramentis Ecclesiae, beneficiis, sacrilegiis, simonia, foenorebus, spiritualium homicidiis, percussionebus et vulneribus ordinatorum, alias consecratorum, Sacrorum nundinatione, et pro his qui confugiunt sub tutelam templorum, vel monasticorum coenobiorum, exceptis tamen illis, quos jus templis defendere non permittit, ut sunt nocturni damnatores, in segetibus, fundis, vel agris, sicarii, alias dispercussores libere iter facientium, fures publice proclamati, vel ter in registris conscripti, incendiarii et violatores libertatum ecclesiarum, isti et tales non debent de templis recipi, neque defendi.

Item ad iudicium spirituale iudicare pertinet incantationes, et magias, census perpetuos ecclesiasticos, terrestres, et temporales reemptiones, ecclesiarum donationes, alias *poswiątnie*.

Nihilominus de ipsis fundis, ecclesiis dotatis, alias *poswiątnym*, sic est constitutum: quia si aliquis spiritualis vel vigore literarum, vel possessionis diuturnae possideret id, quod asserit esse ecclesiae dotatum, alias *poswiątnym* et ex illa ecclesia vel ecclesiastica persona, inofficose, et alicuius vi vel violentia esset depulsa; et eo nomine citaret, is debet iudicari iuxta veterem consuetudinem, jure spirituum.

Excepto hoc, si in termino persona saecularis citata assereret, quia hoc ipsum pro quo citatur, ecclesiasticum non est, sed tantum adiectum de eius proprio ad ecclesiasticum, hoc est, quia haec persona spiritualis plus sibi dationis, alias *poswiątnego* appropriavit latius vel longius quam debet habere, iuxta literas fundationis vel possessionis, extunc spiritualis Iudex ad iudicandum actori hoc, quod in literis fundationis habet, vel ab eo iuste possideri dominus cognosceret, vel id super quod legitime doceret, pro reliquo fundi, illo scilicet, quod eidem non agnosceret dominus, debet remitti ad ius Terrestre.

In qua quidem causa, pro proprietate, pro limitibus, aut pro meta, a decreto remissionis a iudicio spirituali ad jus Terrestre, ad superius Tribunal iudicij spiritualis, vel Romanum appellatio admitti non debet, sub poena infra-scripta.

Sic etiam ad iudicium spirituale pertinet, persona misera et derelicta, quae manibus suis victum sibi emereri atque elaborare non potest.

Item huic etiam spirituali iudicio pertinet, quaerere et iudicare, de legitimi vel illegitimi tori liberis, seu natalibus.

Item ad iudicium spirituale pertinent causae eorum, qui se sponte sua obligant et inscribunt, in iure spirituali. Praeter inscriptiones illas, quas kmethones et subditi nobilium facerent inter se coram iudicio spirituali.

Nam tales inscriptiones, inter kmethones et subditos nobilium a spiritualibus suscipi non debent; quodsi susciperentur: extunc tales inscriptiones nihil valere debent.

Sed inscriptiones et venditiones decimarum pro debito ecclesiae, vel spirituali personae faciendas possunt suscipere et iudicare iudicio spirituali.

Sed hoc debet intelligi de kmethonibus et subditis liberis, non obligatis nostris Regalibus: sic kmethonibus spiritualium: quibus licebit tales facere, et in se suscipere inscriptiones, tantum a kmethonibus et subditis nobilium, suscipi non debent.

580

Etiam pro percussione, et excessibus contra ecclesias et ecclesiasticas personas consecratas. Praeterquam illos ecclesiae ministros qui ecclesiastici et accolyti essent, et uxores postea ducerent: praeter etiam illos, qui existentes ministri ecclesiae non tamen sacerdotes, ipsi solis in tabernis lites quaererent, et in illis litibus convicti fuerint: hi ad iudicium spirituale pertinere non debent.

Etiam ad iudicium spirituale pertineant, causae iurispatronatus, plebanatum, altarium, praebendarum et aliorum sacerdotiorum: adhaec divortiorum, et dotium inter personas, per divortium, separatas. Cognitio tamen seu iudicium de dote personae per divortium separatae, remitti debet ad Tribunal S. M. Regiae: secundum veterem consuetudinem.

Testamentorum vero causa, utriusque iuris tam spiritualis quam saecularis debet esse: exceptis illis, quae essent in iure saeculari factae. Ea enim in eodem iure recognosci debent, nisi forte aliquid in eo Ecclesiae vel in pios usus et misericordiae opera legaretur sed nihil iuri Terrestri subjectum contra statutum legari debet.

Hoc est autem testamentum mixti fori: quod coram publico Notario fieret: vel qui illud propria manu scriberet: vel coram aliquibus testibus praesertim nobilibus, factum esset.

Hoc tamen debet esse liberum nobilibus: non autem civitatum incolis: et pro talibus potest citare, qui vult ad forum spirituale vel saeculare, ad quod aliquis pertinet: hoc in ejus voluntate stat.

Sed testamentum quod aliquis coram Nobis, vel coram quocunque alio iudicio, aut iure saeculari Terrestri, castrensi, civili, villano, advocato et juratis faceret: tale omnino ad ius spirituale non pertinebit: neque nomine illius potest quis convenire, coram iudicio spirituali. Excepto si aliquid ecclesiae, et quod contra ius Terrestre non esset, legaretur: hoc in ejus voluntate erit, ad spirituale scilicet vel saeculare ius citare.

Et si qua spiritualis persona aliquem nobilem, vel nobilis subditum, ad ius spirituale, pro alia re, ultra articulos superius descriptos ad spirituale ius extraheret, vel citaret: extunc ibidem eodem evocato pro poena debet dare 14 marcas pecuniae, quae debet in illo decerni; in

spirituali iure sub censuris. A quo decreto poenae, appellatio non debet admitti, per spiritualem iudicem.

Alias autem omnes causas, iudicium saeculare debet iudicare: ita quod si etiam spirituales haberent aliquid cum saecularibus agere, vel cum illorum subditis, debent in iure saeculari experiri.

Similiter etiam si quis saecularis spiritualem ad ius saeculare terrestre; pro his articulis iudicio spirituali pertinentibus evocaret: talis etiam debet condemnari in poena quatuordecim marcarum.

581

Nihilominus per hanc constitutionem nostram, nolumus ut in aliquo derogetur iuribus et privilegiis spiritualium in statutis descriptis: hoc est, ne in illis hoc mutaretur, vel destrueretur: quod est plus in illis scriptum, quam haec constitutio habet. Ita enim cum Consiliariis nostris et Nuntiis Terrarum constituimus, quia hoc debemus unicuique tam spirituali, quam saeculari subdito nostro tenere et reformare juxta constitutiones priores.

Ad effugiendas difficultates in inscriptionibus et citationibus, (quas vafri homines, et eorum procuratores, in longum inutiliterque trahere, simplicitatem vero juris ac justitiam impedire solent) constituimus, quia inscriptiones reemtionales, commutatoriae, donatoriae, obligatoriae ad certum tempus, et debitorum in certam diem fieri solitae, bonorum utendorum inter coniuges, advitalitates et arendarum, aliaque hujusmodi obligationes, sint juxta formulas ipsarum inscriptionum, in statuto conscriptas: ita ut sit etiam breviter in actis scriberentur, debent tamen valere. Et hoc ita; ut quilibet, vendendo sua bona, vel quocunque modo inscribendo, aut oppignorando, comparens coram iudicio recognoscat: quia bona sua, hoc est, hanc vel illam villam, vendit huic vel illi nobili, et successoribus ejus, hac vel illa pecuniae summa: cum omni iure, proprietate, et dominio: sicut eandem solus habuit: atque dat realem intromissionem perpetuo, per ministerialem hunc vel hunc, hoc adjecto: (sicut latius in formula statuti descriptum est,) quod si praedictus venditor, inscriptor, alienatorve bonorum haberet uxorem, tunc eam tenebitur, cum amicis suis adducere: ut cedat, de reformatione dotis et dotalitii sui, et hanc recessionem faciet, et recognoscat, iuxta formulam venditionis, superius in statuto contentam, cum consensu amicorum suorum. Quorum quidem inscriptionum tuitionem, ac defensionem, unicuique liberum erit facere: sub damnis Terrestribus, vel sub vadio: prout scilicet inter partes contrahentes fuerit conventum. Contra tales vero inscriptiones, obligationum et oppignoratorum quarumvis, jam nullus locus, nulli hominum, ne procuratoribus quidem ad dicendum erit reliquus: nec quisquam controversiam atque contradictionem contra easdem instituet, ac faciet: sed duntaxat eisdem inscriptionibus satisfacere, et easdem implere, iuxta obligatio-

nem tenebitur, nullam motionem iudicis faciendo: pro quibuscumque tandem debitis inscriptae, et quacunque tandem tuitione roboratae fuerint. Sed neque ullam dilationem, atque procrastinationem debitor habebit, nisi fortasse coram certo iudicio demonstraret, et allegaret quietationem sui, ratione satisfactionis pro eodem debito inscriptam. In tali enim casu semel ad futuros terminos beneficio dilationis uti debet. Quam quidem satisfactionem, et quietationem sui tenebitur comprobare in futuris terminis, ex eisdem actis, ad quae se receperit, sub amissione suae causae.

582

Ut autem citationes ita controversias, decreta et inscriptiones, liberum est unicuique Polonica lingua scribere, hoc tamen perpetuum sit, ut tam inscriptiones Terrestres, quam illa omnia in loco iudicii, praesente iudicio Terrestri in acta Polonice vel Latine inscribantur, proptereaque Notarii Terrestres debent assidere actis, sub amissione officii.

Porro contra inscriptiones obligationum et oppignoratorum quarumvis, jam nullus locus, nulli hominum, ne procuratoribus quidem ad dicendum erit reliquus, nec quisquam controversiam, atque contradictionem contra easdem instituet ac faciet, sed duntaxat eisdem inscriptionibus satisfacere, et easdem implere, juxta obligationem tenebitur nullam motionem iudicis faciendo, pro quibuscumque tandem debitis inscriptae, et quacunque tandem tuitione roboratae fuerint. Sed neque ullam dilationem, atque procrastinationem debitor habebit, nisi fortasse coram iudicio demonstraret, et allegaret quietationem sui, ratione satisfactionis pro eodem debito inscriptam. In tali enim casu, semel ad futuros terminos beneficio dilationis uti debet. Quam quidem satisfactionem, et quietationem sui, tenebitur comprobare in futuris terminis, ex eisdem actis ad quae se receperit, sub amissione suae causae.

CONSTITUTIONES

IN CONVENTU GENERALI PETRICOVIENSI,

ANNO D. 1544.

Cum Sacra Majestas Regia Domius noster clementiss: pro ea cura quam gerit, tuendi Regni sui consideret pericula, Comitum Regni Majora, Petricoviae, ad diem festum Epiphaniarum edixit, in quibus communi consilio omnium provideri possit, ne quid Regnum detrimenti patretur, neve nos imparatos hostis offendens, nec opinatus opprimeret, nos Senatores et Consiliarii Regni Poloniae, tam spirituales, quam saeculares, una cum Terrarum Nuntiis, quibus plena et non limitata, de rebus omnibus ad defensionem pertinentibus, potestas fuit data defendendi, rationem ejusmodi invenimus, principio pro veteri consuetudine, Domini saeculares, cum omni-

Equestri Ordine erunt obstricti expedire se se, atque ad bellum instruere, pro eo ut maxime facultas tulerit cujusque secundum statutum et privilegia.

583

Quod ipsum ultro se facturos obtulerunt, una cum clero suo universo, et saecularium et religiosorum sacerdotum, Domini Archiepiscopi et Episcopi, Archimedritae, Wladicae, quo et ipsi ad eundem modum, prout facultas ipsorum maxime tulerit, expeditionem facere teneantur, ita tamen ut contra solius potentioris hostis vim, et non aliter expeditio haec per illos fiat, et immunitatem ipsorum personae habeant a profecutione bellica, sed aliis loco sui missis, officio suo fungantur, sacrificiis et orationibus Deum placentes.

In omnibus civitatibus et oppidis, in quibus exercetur mercatura, et emporia sunt, ne factoribus quidem mercatorum exceptis, quos vulgo *Legerones* vocant, neque inquilinis, qui modo facultates aliquas habeant, quisquis bona habuerit, quae mille florenorum aestimari possunt, teneatur unum armatum equitem expedire. Cuius vero bona, sive merces, 500 floren: aestimationem non excedant, is peditem armatum expedit, contra vim hanc majorem. Qui vero ex civibus et mercatoribus minus habebunt, eorum facultates in civitatibus et oppidis, simul taxabuntur et coniungentur ita, ut ex mille floren: bonus eques, ex iis vero quae fuerint quingentorum, pedester expediatur. Quod ut ita fiat, providebunt Consules, Consulibus superintendent ij, qui erunt a Majestate Regia constituti, quales sunt, Palatinus, Castellanus, et Regni exercituum Campiductor, quando erit ordinandus exercitus. Porro ijs, quos spirituales expeditierint, Capitanei spiritualium superintendent, ita tamen quod Regni exercituum Campiductoris praeceptis, more aliorum centurionum pareant.

Quod ita intelligendum est, ut qui habent bona mobilia, sive immobilia, quae pluris quam 100 florenis possent aestimari, neque tamen quingentorum, aut mille floren: valorem exple-re queant, ij conjungantur ad expeditionem peditem et equitem, qui vero in civitatibus et oppidis non habent bona mobilia et immobilia, quae centum floren: aestimentur, ij obstricti sunt, e numero suo quindecimum quemque bene armatum expedire.

Civitates quae habent nudum censum reddituum Praetorii, eae similiter ex 1000 florenis redditus, decem equites, ex quingentis quinque armatos expeditiant.

Kmethones S. R. M. et dominorum tam spiritualium, quam saecularium, vigesimum ex numero suo expedire tenebuntur, exceptis hortulanis.

Judaei ultra hanc pecuniam, quam quotannis S. R. M. pendunt, certa millia floren: numeri et monetae Regni Poloniae, pro defensione in singulos annos numerare tenebuntur. Ipsi denique iudaei, si quando haec valida expeditio fie-

ret, ad eundem modum ut mercatores christiani, juxta honorum suorum aestimationem, expedire milites erunt obligati.

584

Porro S. R. M. promittere dignata est, alere exploratores diligentes et certos, versus oram hostilem, et quam poterit diligentissime tempestive consilia illorum investigare, quando ad quem locum vires suas convertere cogitent, atque homines suos, quoad ejus fieri poterit, celerime primis restium literis, quae et secundarum vim habebunt, ut in procinctu sint hortari. Ac si certius aliquid de vi, atque impressione in Regnum cognoscent, tum per alteras literas restium, quae pro tertijs reputari debent, locus erit per eam designandus: ad quem, intra quatuor hebdomadas, cum S. M. Regia convenire omnes teneantur.

Profectio autem ad bellum fieri debet, juxta veterem ordinem et consuetudinem, in statutis descriptum: citra damnum hominum, sive spiritualium, sive saecularium: ut solvantur omnia: secundum privilegia, et constitutiones Regis Jagellonis. Qui ordo ut in profectione, et solutione servetur: Castellanus Districtus illius diligenter providebit: juxta statutum, cujus executio fieri debet, in omnibus.

Castellani Districtuum, primi proficiscuntur ad locum: qui in illo Districtu congressui erit praescriptus, ut nobilitas ad eos conveniat: quae una cum suo Castellano, qui ultimis restium literis fuerit designatus convenire debet, ad quem locum ubi convenerint, inspiciendi ibidem erunt infirmi, et senes: juxta statutum Bidgostiense.

Providebit praeterea S. M. Regia: ut sive in illius Majestatis, sive in quorumque spiritualium, aut saecularium arcibus, ne relinquatur ij, qui amplas habent possessiones, ne numerus eorum, qui expediendi sint minuatur. Quod si quis, ita officio suo exigente, manserit: nihilominus secundum facultatem honorum, expedire teneatur. Illud una curae S. Majestati Regiae futurum est, ut ne stipendio conducat eos, qui cum possessiones habeant, ad expeditionem sunt obligati, et ut sub vexillo suo, justus habeatur numerus, quos in huiusmodi executione exhibere tenentur.

Proprium praeterea vexillum eorum esse debet, qui ipsi, personaliter ad bellum non proficiscuntur, cuius generis sunt sacerdotes, viduae, minores, infirmi, ne fraus in Reip. admittatur.

Filij nobilium servientes dominis non debent loco parentum, qui valent ad expeditionem proficisci, sed si pater vellet domi manere, filium a domino recipere, et ex domesticis eum copiis expedire tenebitur.

Sculteti S. R. M. juxta statuta Regni et privilegia sua, ad bellum proficiscantur. Sculteti vero spiritualium et saecularium cum dominis suis, qui eorum locum tenuerint, proficisci tenebuntur.

585

Quicumque ad expeditionem tenetur, simul atque alteris restium literis, quae ultimarum vim

habebunt, de loco, deque die certior erit factus, in spatio quatuor hebdomadarum, a publicatione literarum in Districtibus sistere se in loco bene armatus, secundum statutum debet, sub amissione honorum suorum, hoc est, si ordinationem exercitus neglexerit.

Factura est etiam S. R. M. ut iuxta veterem consuetudinem locum destinatum exercitui provideat, et tutum reddat, ad quem tuto proficisci cum persona Majestatis suae Terrae possint, non recedendo a veteri statuto et privilegio.

De spiritualibus beneficiatis, qui sacerdotes actu non sunt, erit Sacrae Majestati curae, ut apud Pontificem Romanum impetret, quo possint personaliter ad hoc bellum proficisci, per quem quidem Nuntium annatas impetrare conabitur, quas ei nostri Episcopi, contra Concilii Basiliensis decretum pendebant.

LUSTRATIO MILITUM

ANNO 1545.

Lustratio omnium Ordinum, spiritualium et saecularium, civium et colonorum, ad profectionem expeditionis bellicae, fieri debet in universo Regno uno die, hoc est pro festo S. Adalberti, anni proxime insequentis 1545. Interea autem debent sese parare. Quomodo autem et coram quibus haec lustratio fieri debeat, an in Palatinatibus, an in Terris sive Districtibus, in proximis Comitibus, de consensu omnium Ordinum statuatur. Quod si lustratio haec post expletionem rerum omnium ad eam pertinentium effectum suum erit sortita, nihilominus alia vice constituenda non erit, nisi ex Comitiorum decreto.

Quando lustratio haec effectum sortietur, ad diem superscriptum quisque Ordo, tam is qui per se, quam is qui per alios expeditionem facere tenetur, exhibere se debet, juxta facultates suas, et modum superscriptum. Quod si quis spiritualium non fecerit, poena in eum decernetur, quae fuerit in Synodo constituta, quae cum exacta ab aliquo fuerit, in utilitatem Reip: cedere debet. Si vero saecularis is fuerit, ea poena afficietur, quae in Comitibus proxime futuris erit constituta. Quod ipsum de civitatibus, et earum expeditione, similiter de expeditione colonorum intelligi volumus.

Quod Magnum Ducatum Lithvaniae attinet, cum esset rogata S. R. M. ab universa congregatione Comitiorum, a Consiliariis et Nuntiis Terrestribus, ut illius Ducatus subditos suos, eo adduceret, quo et ipsi ad similem ordinationem et expeditionem generalem tenerentur, una cum exercitibus Regni, adversus hunc superius nominatum hostem, quoniam scit S. R. M. esse id in potestate sua, ut liceat illi, quocumque libet imperare subditis suis Magni Ducatus Lithvaniae, vel ad bellum, quocumque jusserit pro-

586

ficiscantur, pollicita est, quod cum Regni homines ad eam expeditionem, contra talem hostem profecti fuerint, fore ut etiam Magni D. L. homines secundum facultates suas, ad eandem expeditionem, cum illis se conjungant. Quando tamen Consiliarii Regni sui tam solliciti ea de re, cum ea egerunt, ut eo adduceret subditos suos Ducatus sui Lithvaniae, ut in suscipienda propugnatione in utramque partem, uni alteros adjuvantes, contra eum hostem, qui ex aequo utrique parti vicinus est, Regno adsint: et Nuntios ad consentiendum, in primum Generalem Conventum mittant, cum intelligat S. R. M. se nihil eiusmodi promittere, aut constituere posse de Magno D. L. re ad Consiliarios ejus non relata, illud in se recipit, quod omnem curam, et diligentiam adhibeat, ut etiam Ducatus Lithvaniae ad hanc communem expeditionem per Legatos suos ad proxima Comitata mittendos consentiat, ac est bona spe, quando quidem ab Ordinibus Regni, fraternum illis promittitur subsidium, quod et ipsi quod summum poterint auxilium laboranti Regno ferre non recusabunt.

Terrae Prussiae quoniam ultro se facturas receperunt, ut contra vim hanc facultatibus suis, nobis et Regno huic non deessent, mittit S. R. M. Consiliarios suos, ad Comitata quae in Maio mense Marieburgi habebuntur, ut ordinationem, quae facta est hic, illis declarent, et ad eandem illos inducant. Hoc idem de Zathorien: et Oswiecimen: promisit.

Expeditio autem huiusmodi generalis fieri non debet, nisi certum sit et indubitatum (quod Deus omen obruat) hostem rupto foedere, quod ei cum S. R. M. intercedit, aut ipsum per se in Regnum hoc impressionem facere, aut ingentem vim suorum populorum, qui eius imperio subsunt, ad depopulandum Regnum mittere velle: quibus veteri debita expeditione resisti non pos-

sit, quando quidem eiusmodi expeditio contra extremam vim et potentiam de consensu omnium Ordinum est decreta.

Haec ordinatio, etsi ita decreta est, quia tamen Nuntij Lithvaniae, Prussiae, Zathorien: et Oswiecimen: Ducatum desiderabantur: a quibus consensus ad mutuam et reciprocam huiusmodi inter se bellicae defensionis coniunctionem videbatur necessarius: statutum est, et ab omnibus Regni Ordinibus receptum, ut haec omnia ita conscripta et conclusa, suspensa ad proximum Regni Conventum maneat, hac adjecta conditione: ut si istorum supra expressorum Ducatum Nuntij, ad Conventum Regni futurum, cum pleno mandato missi, ea in suos pro utilitate Regni receperint, quae regnicolae sustinere ad illorum commodum volunt, tum quae sunt conclusa, sigillo M. Regiae communiantur, et confirmantur omnia. Sin minus, abrogata omnia et nullius roboris esse censeantur, et sit liberum aliud in Conventu consilium, de imminentibus periculis capere. Si vero (quod Deus auferat) hoc anno, antequam alia Comitata habeantur, magna vi hostis impetum faceret, modo superscripto, tum haec constitutio ad defensionem Regni, et ad resistendum hosti, robor habere debet.

587

Quibus quidem constitutionibus, infrascripti Domini Consiliarij, manibus suis propriis subscripserunt:

Petrus Archiepiscopus Gnesnensis, et Episcopus Cracoviensis, Nicolaus Vladislaviensis, Sebastianus Posnaniensis, Samuel Ploccensis, et Vice-Cancellarius, Joannes Chelmensis, Episcopi, necnon Joannes Comes in Tarnow Castellanus Cracoviensis, Petrus Kmita Comes in Wisnice Cracovien: Janussius Comes in Zabisiu Posnaniensis, Petrus de Służewo Calissiensis, Stanislaus Łaski Siradiensis, Nicolaus Chodziewski de Potlice Brestensis, Joannes de Kościelec Inowladislav: Palatin: Spitek de Tarnow Thesaurarius,

et caeteri Dignitarij et Officiales.

Finis Sigismundus Primus.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS

BIELSCENSEM DISTRICTUM JURI POLONICO

ADSCRIBIT,

In Nomine Domini, Amen.

Ad aeternam rei memoriam. Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, totiusque Prussiae, Samogitiae, Masoviae etc. Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis praesentibus et futuris, harum notitiam habituris. Quia cum in hoc Conventu Generali, ex clementia nostra singulari, ad petitiones supplicationesque universorum Ordinum, Magni huius Ducatus nostri, privilegia omnia et singula a Majoribus nostris habita, omnium hominum

incolorum eiusdem approbaverimus, id quod ex literis seu diplomate nostro, super iis per Nos illis dato et concessio videre est. Tamen cum esset Nobis specialiter supplicatum nomine universae nobilitatis Terrae Bielscensis et territorium ejus per quosdam e medio eorum, videlicet Joannem Mienski, et Martinum Wiszeński Jalbrzyk, huc ad praesentem Conventum missos; quia quamvis habeant privilegium ex concessione Serenissimi olim Alexandri Regis Poloniae, et Magni Ducis huius Ducatus nostri Lithvaniae, Patruj nostri desideratissimi, quibus illis permissum fuerat, ut consuetudinibus et jure Polonico uterentur et gauderent, prout et hactenus usi sunt et gaudebant: sed quia in eiusmodi privilegio essent quaedam, quae a jure legibus et consuetudinibus Polonicis discrepant et diversa sunt, quare summo studio a Nobis ora-

588

verunt, ut sublatis exceptionibus eiusmodi omnibus quae a jure, legibus, et consuetudinibus juris Polonici, quo ipsi sic utuntur, discreparent, et disconvenirent, potius illis permitteremus, ut in universum, et ut dicitur totaliter et plene consuetudinibus et iuribus Polonicis uterentur ipsi et eorum posteris perpetuo: quorum Nos supplicationibus clementer annuentes, et inhaerentes Majorum nostrorum Magnorum Ducum Lithvaniae vestigijs: volentesque eosdem obligatiores et alacriores ad optime de Nobis, et Republ. hujus Magni Ducatus nostri Lithvaniae benemerendum facere: cum universo Senatu nostro decernimus, ut deinceps semper perpetuis temporibus universa nobilitas, incolae Terrae Bielscensis, et ejus territoriorum seu districtuum omnium, gaudeant et utantur iuribus, legibus, consuetudinibus Polonicis, perinde atque nobilitas Terrae seu Districtus Drohicien: ex speciali concessione Majorum seu Praedecessorum nostrorum, felicitis memoriae Magnorum Ducum Lithvaniae, ex praerogativis ipsi datis, concessis, et legitime emanatis, (quas et hic volumus habere pro expressis) hactenus utitur. Decernentes insuper omnes alios quoscunque abusus isthinc contra leges, constitutiones, et jura Polonica hactenus existentes, et sive ex privilegijs aut consuetudine seu potius desuetudine aliqua, aut improbitate etiam aliquorum officialium, aut cujusvis magistratus, sive quacunque alia ratione exceptos, specificatos vel reservatos, et introductos, esse tollendos, et abrogandos, prout eosdem per praesentes tollimus et abrogamus perpetuo. Volentesque deinceps semper futuris perpetuis temporibus, universos et singulos Dignitarios seu Officiales, Terrestres et Castrenses, et alios quosvis praesentes et futuros, jam con-

stitutos et in posterum constituendos, non aliter se debere, nec posse gerere erga illorum territoriorum incolas, quam secundum praescriptum iurium, et consuetudinum Polonicalium praesentium et futurorum, quibus Districtus Drohicienis gaudet. Alioqui si quid in contrarium fuerit in praemissis per quempiam hominum attentatum: id decernimus nullum et invalidum: ejusque modi attentatores, poenis seu mulctis in iuribus Polonicis constitutis et contentis, puniendos et mulctandos semper perpetuo. In quorum omnium fidem et testimonium praemissorum, sigillum nostrum est appensum. Datum Vilnae in Conventione Generali, die vigesima tertia mensis Februarij. Anno Domini 1547. Praesentibus Reverendissimis in Christo Patribus, et Magnificis Dominis, Strenuis ac Generosis Militibus:

Paulo Vilnensi, Georgio Luceoriensi, Venceslao Medcinensi, Episcopis. Joanne Hlebowic Palatino Vilnensi, Cancellarioque nostro, et tenutario in Bobrojsko et Boryszow, Gregorio Osczykowic Castellano Vilnensi, tenutario Upitensi, Joanne Juryowic Duce Dobrovicensi, Palatino Trocensi, tenutario Mohilouiensis, Hieronymo Chodkiewicz Castellano Trocensi, Capitaneo Samogitiensi, Nicolao Joannis Radziwil Marsalco Terrestri, tenutario Szawlensi, Stanislae Dowoyno Polocensi, Alexandro Chodkiewicz Nowogrodensi, Stanislae Petri Kiszka de Ciechanowic Vitebscensi, Palatinis. Andrea Saguskowic, Duce de Koszyr, Capitaneo Luceoriensi, Juano Harnostay Marsalco Curiae et Thesaurario Terrestri, Praefecto Slonimensi, Nicolao Georgij Radziwil Pocillatore, Joanne Joannis Radziwil Structore mensae, Stanislae Nicolai Kiezgl Dapifero, Gregorio Chodkiewicz Succamerario, Nicolao Petri Olechnowicz Gladifero, Nicolao Andruszowic Praefecto equisonum nostrorum, tenutario Ozensi et Perelomensi Nicodemo Joannis a Ciechanowic Melnicensi, Nicolao Alberti Narbuth Krevensi, et Mozirensi, Praefectis, Mareschalcis, aliisque Officialibus, Dignitariis, ac Consiliarijs nostris fidelibus Nobis sincere dilectis.

589

FINIS TOMI PRIMI.

SUMMARIUM

PRIVILEGIORUM ET CONSTITUTIONUM

in Volumine I. contentarum.

(1347—1550.)

| | |
|-----------------------|------|
| Ad lectorem | Pag. |
| | I |

De antiquioribus Casimiri Magni aetate legibus. De legibus ante religionem Christianam. De legibus ab aetate Miecislaj Regis, primi Christiani. De binis legibus scriptis longe ante Casimirum Magnum, quae hodieque extant. Post annum 1347, multas perijisse leges. Municipales referuntur scriptoresque de legibus. Quis in Polonia magistratus, legum quae universos cives obligent statendarum, potestate sit aut fuerit praeditus. Quid Comitijs Cracoviensibus post mortem Boleslaj Crivousti Ordinum deliberatione et consensu primum constitutum sit, anno 1140. A Comitijs Cracovien: anni 1140 ad Casimirum Magnum, ostenditur ad condendas leges et ad constituendum aliquid de Republica, necessariam fuisse auctoritatem consensumque Ordinum. A Casimiro Magno, et sub Jagellonum regimine ostenditur eadem auctoritas Ordinum, quae hucusque viget. Jam speciatim ostenditur equestri ordini antiquissimam esse auctoritatem eandem, circa leges et constitutiones sanciendas. In nuntios seu provinciarum legatos a tempore Casimiri Jagiell. Albertique jus statuendi et intercedendi translatum. Qua ratione perferantur in Polonia leges? Qua ratione promulgentur leges? De vi perlatarum legum. Leges amplissimas esse. Leges decretorias esse: ubi de lege homicidij anno 1347 lata. Leges perpetuas esse, ubi et de illarum multitudine, de novis legibus et de earum observantia. Aliquot circa leges monita sapientissimorum hominum.

| | |
|---|----|
| Testimonium Joannis Łaski Cancellarij Regni deinde Archiepisc. Gnesn. et Primatis de lege super cantico „Bogarodzica“ | XX |
|---|----|

| | |
|---|--------|
| Ad serenissimum potentissimum Augustum II. Poloniae Regem, Magnum Ducem Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Wolhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czerniechoviaequae, Ducem Saxoniae etc. Electorem s. R. I. | .XXVII |
|---|--------|

Casimirus Magnus.

| | | |
|-----------------------------------|--|---|
| Anno. | | |
| 1347. Statuta Visliciae | | 1 |

Praecepta Magni Casimiri Regis. De reo citato non comparente. De fluvii aut rivuli fluxu seu alveo novo et antiquo alias rzezczysko haereditates limitante. De eo quod quilibet in hello sub certo vexillo se locare teneatur. De victis aut condemnatis in judicio, si illico non satisfecerint et recesserint, capiendis. De pignoribus ad Judices pertinentibus, non distrahendis, sed per certa tempora servandis. De filijs proprium sigillum viventibus patribus non habituris. De scultetis, tam spiritualium, quam saecularium personarum ad bellum ituris. De clericis bona haereditaria habentibus ad bellum ituris. De dominabus et virginibus quae citant aliquem aut citantur ab aliquo. De advocatis, procuratoribus, et proloquutoribus in judicijs habendis cui expedit. De Judicibus cujuslibet Terrae ad Curiam Regis venturis. De Judicibus Palatinorum. De judicijs duntaxat a mense, ad horam nonam tractandis. Quis modus et ordo sit servandus in personis vocandis ad judicium. Quibus in locis debent judicia celebrari. Quibus modis ministeriales citare debeant. De his qui inopinatis et

ex improvise citantur in Curia Regis, vel ad iudicium evocantur. De citationibus ministerialium sine jussu Judicis. De his qui cum strepitu et impetu ad iudicium veniunt in amicorum causis. De his qui citati se excusant per dominos, referendo se ad illos tamquam pro crimine crimine citarentur. Nullus debet citari, nisi per ministerialem excepto ubi sit pro crimine recenti. De illo qui extrahit et procurat contra aliquem citationem sine legitimo actore. De illis qui sunt in remotis partibus, qualiter sunt citandi. De pignoratione quot boves sunt recipiendi pro contumacia. De pignoratione et modo pignorationis. De poena siedmdziesiąt quando sit decernenda. De contumacia actoris et rei. De his qui pro haereditate, aut debitis citantur. De accusato pro violentia. Cum aliquis de furto accusatur per aliquem de eodem districtu vel de una parochia. De civibus vel mercatoribus aliquid in mutuum dantibus terrigenis. De nobilitate inculpata. De eo qui vulnerat aliquem vitam suam defendendo. De illo qui accusatur de furto apum et mellium. Qui invadit domum alterius manu violenta et vulnerat et alios vulnerat in domo. De vulneratis in discordia et de vulnerato a se ipso. An testibus in causis productis obijci possit excommunicatio? De testibus consanguineis et in probatione contractuum et venditionum. De praescriptione haereditatis petendae. De praescriptione obligatae haereditatis redimendae vel non redimendae. Quam habitura est praescriptionem mulier maritata, ad actiones per eam movendas pro haereditate. Vidua quam habitura est praescriptionem ad actiones per eam movendas. Seps quam praescriptionem est habitura. Virgo seu orphana quam praescriptionem post desponsationem est habitura. In venditione bonorum seu haereditatum, quae praescriptio possessoribus data est. De praescriptione petendae restitutionis frumenti. De memorialis sive pamiętne solutione. De sententia super haereditatem divisorum fratrum prolata, et de fratribus divisis sententiam talem impugnantibus, ac fratrem indivisum citatum. De fure, utrum debeat insequi per vicinos villanos, aut non. De membrorum mutilatione. De illo, qui se asserit injuste condemnatum. De fratre seniore citante, et causam perdente, junioreque litem eandem innovare, ac sententiam contra fratrem latam, impugnare volente. De fratribus unum molendinatum habentibus. De bonis derelictis, post mortem villanorum vel civium absque prole decedentium. De equo in accommodatione laeso. De kmethone, seu rustico alium occidente, et solutione poenae capitis. Si plures de homicidio accusantur, quis eorum poena homicidij puniendus? De illis qui casu mortem incidunt. De milite qui occidit militem. De illo qui occidit matrem alicui. De fraticidio, patricidio, sororicidio. De milite occiso, item de eodem mutilato aut vulnerato, item de poena super id constituta, item de kmethone occiso, item de kmethonis mutilationibus. De vagantibus hinc inde, et rapinas committentibus. De ministerialium ad conspiciendos occisos vocatorum, abolita consuetudine vestium recipiendarum, et de eorum salario. De his qui aliorum semina eorum pecoribus depascunt. De illo qui agit contra aliquem jure theuthonico et reconventionem pariter. Jumenta damna inferentia qualiter sunt tenenda de damno abacta. De incendiarijs et exustoribus. De illis qui habentes jus theutonicum utuntur polonico. De illo qui citatur contra suum privilegium. De villanis invito domino, alio se subijcentibus, item in quibus casibus istud licebit illis. De pueris annis discretionis carentibus injuriam passis, si pro injuriis sunt acturi in aetatem perfectam venientes. De eo qui de furto aut alio crimine accusatur, qui tamen alias bonae famae extitit. De eo qui aliena recipit sine domini voluntate. De morsu canis, ex alicuius incitatione. De extinctione candelae, et vulneris incussione. De pastore ovium. De ludo taxillorum. De lusoribus taxillorum. De terrigenis ad bellum transeuntibus damna villanis inferentibus. De filijs qui moriente matre, petunt a patre portionem maternam antequam secundam uxorem ducat. De profugis et furta committentibus. De usuris judaeorum qualiter exigi debent. De his qui in silvis alienis damna faciunt. De illis, qui nocte, alicujus frumenta in campo recipiunt. De improperationibus seu turpiloquio alicui illato. De villani et kmethonis vulneratione. De percussione militum, nobilium et kmethonum. Plantationes et insertiones pomoerij destruentes et evellentes. De aliqua re violenter recepta. De cultura agri alieni. De receptione botum per violentiam. De foeno violenter recepto. De poena pro frumentorum receptione solvenda. De golotis servis damna alicui facientibus. De homine paupere divitem pro violentia citante. De poenis Castellatorum, Judicum, Notariorum, Succamerariorum, et Camerariorum eisdem per illos qui eorum sententias impertinenter redarguunt solvendis. De filio non emancipato lusore, et quis modus in ludis servandus sit. De villano, militi aut nobili plagam inferente. De falcastratione alicujus prati. De vulneratione alicujus in ludo. De fidejussoria cautione. De uxore et paraphernalibus circa quae debeat remanere post mariti mortem. De virginum desponsatione et earum dotatione. De expurgatione furti in via publica commissi. De inventione alicujus rei, et expurgatione eisdem inventionis. De inculpatione vladarii per ipsius dominum. De scultetiae emptione et venditione. De divisione facta coram amicis, cum praescriptione triennali. De furto et latrocinio. De pueris legitima aetate carentibus ad iudicia super haereditaria quaestione evocatis. De viduis et maritatis et earum praescriptione. De illis qui calumniose de crimine homici-

dij accusantur. De sententia inique per iudicem lata et impugnata. Quando iudex non potest redargui. De oblivione iudicatae sententiae. De pignoribus faciendis et pecoribus depellendis ministerialiumque constitutione. De illo qui sententiam Judicis redarguit. De redargutione Subjudicis. De moneta in Regno currente. Milites et nobiles ad expeditionem bellicam sunt obligati et debent servire armati. De praescriptione haereditatum contra ementem. De tutoribus puerorum quod non possunt haereditatem ipsorum vendere. De tutoribus orphanorum. De filia vivente patre, dotata. De violationibus virginum et oppressionibus viduarum vel maritatarum. De illo qui tribus vicibus de furto fuerit accusatus. De illo qui interficit iumentum alicuius indomitum. De incidentibus silvas vel gaja vel borras alienas. De iumentis indomitis pascendis sub custodia. De porcis sive scrophis et eorum pascuis silvestribus. De illis qui porcos pretio ad silvam conducunt. De trengis pacis seu salvo conductu dandis, de Regno fugientibus. De kmethone a domino suo fugiente. De mutatione pecuniarum per judacos. De salarijs officialium in iudicio existentium, notariorum, ministerialium, Succamerariorum etc. De causis criminalibus in absentia actoris Rex vel Capitaneus cognoscere non debet. De citationibus faciendis per literas et ministeriales. De debito pecuniario. De fidejussoria cautione. De obligationibus. De occupato in iudicio qui crimen mandato alterius se fecisse proponit. De donationibus. De praescriptione pecorum vel pecudum. De furto piscinarum vel lacuum. De famulis in contentione dominum juvantibus. De eo qui aliquem in iudicio vel coram iudicio vulneraverit. De eo qui coram Regia Majestate, aliquem vulneraverit, vel gladium extraxerit. De violentiis finiendis in pabulorum venditione. De eo quod villanus non debet impignorari pro poena domini sui. De eo quod pater non teneatur ferro iniquitatem filij et e converso.

Ludovicus.

1374. Privilegium Ludovici Regis confirmans omnes literas, iura, et libertates, per antecessores ejus, indigenis Regni Poloniae concessas, per quod novas exemptiones suas Regno dedit pulchras et perutiles, ut privilegium continet 24
1382. Post mortem autem Ludovici Proceres Regni de electione filiae ipsius, juribus, ecclesiae bonis, et finibus Regni sub Interregno defendendis ita erant confoederati 26

Vladislaus Jagiello.

1401. Privilegium Praelatorum Lithvaniae, tempore Vladislai Jagellonis ad Regnum de Ducatu assumptorum se Regno ad communia auxilia inscribentium. Item quod nullum alium quam Vladislaum Regem pro Domino habituri sunt, post mortem Vitowdi. Item quod communi consensu de utroque Dominio Rex sit eligendus 27
1404. Pax et concordia inter Vladislaum Regem Poloniae et Conradum de Jungingen Magistrum Prussiae ratione granitierum 28
1413. Incorporatio Terrarum M. D. Lithvaniae Regno Poloniae cum concessione armorum Lithvanis, de Regno Poloniae, cum alijs certis libertatibus tunc nobilitati Lithvaniae, Ruthenis exceptis, concessis de anno 1400 29
1420. Statuta Vladislai Jagellonis Regis Poloniae, Supremi Ducis Lithvaniae, primum Cracoviae anno 1420 collecta, tandem in Conventione Generali totius Regni in oppido Wartha pro festo Simonis et Judae anno D. 1423 edita et promulgata 32

De antiqua consuetudine in transpositione terminorum servata. De uxore in sede viduali constituta. In quibus vidua succedere possit. De orphanis qui iudicio vexantur. De pueris matre orbatis habentibus patrem et bona maternalia. De eo qui filios habuerit, superduxeritque secundam uxorem et filias propagaverit. De filiabus carentibus fratribus germanis. De tutoribus virginum. De praescriptione possessionum. De amputandis calumnijs et possessore ad probationem admittendo. De limitibus et terminis figendis. De venditore haereditatis. De clausura et reservatione actorum judicialium, seu libri Terrestris. De terminis particularibus celebrandis. De memoriali alias pamiętne. De una quaestione, alias załoba, plures personas contingente. De causis, quas soli Capitanei iudicare possunt. De Notarijs Terrestribus et salarijs eorum. De judaics et eorum pecuniae accommodatione. De vituperatione unius nobilis per alium. De vituperatione nobili illata a kmethone. De libertate alicui kmethoni per dominum concessa. De sculteto vel kmethone a domino fugiente. De sculteto inutili, aut rebelli. De apprehensione alicujus, ligna in alterius silva excidentis. De kmethonibus habentibus mellificia aut apum examina in nemoribus alterius domini. De ar-

| Anno | Pag |
|---|-----|
| vipirio et incendio silvarum. De venationibus leporum. De cane aut fera aliena per aliquem recepta. De servis aut ancillis illiberis, evadentibus aut fugientibus. De fraternitatibus civitatum et rebus per Palatinum et Capitaneum statuendis. | |
| 1422. Confirmatio privilegiorum et aliorum jurium cum additione aliquorum articulorum per Vladislaum Jagello Regem ipsis regnicolis in loco campestri prope Czyrwińsko, concessorum | 36 |
| 1424. Vlad. Jag. contra haereticos et fautores eorum in Vielun constituit | 38 |
| — Liber transitus omnibus mercatoribus et incolis Regni Poloniae et Terrarum Lithvaniae, Samogitiae, Masoviae et Russiae, cum omnibus mercantiis per terras, maria et transmare in perpetuum per Terras Cruciferorum, tam Prussiae quam Livoniae | 38 |
| 1433. Statuta de libertatibus regnicolarum tam spiritualium quam saecularium | 40 |
| — Vlad. Jag. sancita Episcoporum approbata olim a Casimiro Magno, item Summorum Pontificum circa decimas, immunitates etc. confirmat | 42 |
| De raptura decimae praedialis. De presbytericidio et clericidio. De tempore decimae forisandae. De decimis seministorum in hortis. De decima canapi. De interdicto servando. De cessatione a Divinis propter excommunicatum. De interdicto triduo non tenendo. Bdzanta Episcopus Cracoviensis constituit. Decimae sicut ex antiquo de quibusvis locis dabantur sic dandae erunt perpetuo, et de decimis Scultetorum. De tempore decimandi. De decimis novalium. De decimis agrorum steriliam circa Długiepole, et Czorstyn, versus Myslimice. De decimis per nobiles cultis arendatis, aut a kmethonibus habitis. De decimis per progressum habendis. De columbatione. De visitatione per Archidiaconos. De expeditione ad bellum clericorum. De erigendis ecclesijs, ad vota nobilium. De saecularibus non citandis ad Judicium Ecclesiasticum. De fabrica ecclesiae Cracoviensis. De raptu decimae. De presbytericidio. De decima in loco villae nobilibus vendenda. De decima aratri. De decima canapi. De interdicto servando. De cessatione a Divinis, propter excommunicatum. De triduo interdicto. De excommunicato in parochia. De salario tabellionum. | |
| Statutum Luthkonis Episcopi Cracoviensis ad tempora anni gratiae 1466 | 47 |
| Bonifacius Papa confirmat Carolinam constitutionem pro ecclesiastica libertate. Confirmatio Friderici et Carolinae constitutionis in favorem ecclesiasticae libertatis, per Bonifacium Papam facta | 47 |
| Confirmatio Carolinae per Joannem Papam | 48 |
| 1433. Vlad. Jag. confirmat statutum Casimiri Magni, et poenam decernit contra eos qui ad bellum eundo, damna inferunt in bonis spiritualium et monasteriorum et saecularium | 50 |
| Vladislaus Tertius. | |
| 1436. Vlad. sancit pacem cum Ordine Cruciferorum in Brzeście | 51 |
| Magister Prussiae promittit pacem servare cum Regno Poloniae perpetuam. Literae reversales D. Vladislai Regis Poloniae in Brzeście. | |
| 1438. Vlad. confirmat jura et privilegia Sigismundo M. D. Lit. super Ducatu Magno, per Divum olim Vladislaum suum Genitorem eidem Sigismundo concessa | 63 |
| — Confoederatio Principum tam spiritualium quam saecularium, Baronum, Procerum militum et nobilium etc. Regni Poloniae contra regnicolas inobedientes juri, contumaces et haereticos eorumque fautores | 63 |
| 1439. Confoederatio in Nowemiasto occurrit incommodis Regni | 64 |
| 1440. Vlad. promittit bona ad procuracionem Generalem Cracoviensem spectantia non obligare | 64 |
| 1444. Privilegium juris Theutonici Provincialis supremi Castri Cracoviensis per Casimirum Magnum constitutum, quod Vladislaus Jagello et Vladislaus Jagellonis Reges confirmarunt, cujus Tribunal in Castro Cracoviensi, ad quod in causis tam magnis, quam parvis juris Civilis provocatur et appellatur | 65 |

Casimirus Jagellonides.

| | |
|---|-----|
| 1447. Statuta in Conventione Petricoviae | 68 |
| De prole relicta post mortem parentum. De his qui furti, aut spolij crimine infamantur, quomodo se purgent. De libertate in fluviis Regiis. De cassatione teloneorum. De his qui pertinent ad Colloquia, ut intersint hic mandatur. Mercatores non aliis, nisi antiquis transeant viis. De his qui cum extraneis faciunt gverras in damnum Regni, sine Regio consensu. De his qui telonea absque concessione Regum exigunt. De pecunia bracata quod ubique in Regno capiatur. | |
| 1451. De pecunia bracata et poenis ex illis extorquendis qui falsam pecuniam habent, et apud quos falsa pecunia fuerit inventa, tam in Regno Poloniae, quam Ducatu Masoviae | 70 |
| Statuta in Nova civitate Korczyn in Conventione Generali | 71 |
| De violentia in judicio commissa. De Judice inculpato existente qualiter aliae causae judicabuntur necne. De judicijs quater in anno celebrandis. De reclamacione terminorum. De terminorum dilatione per infirmitatem. De Judicibus personaliter judicaturis pro summis quae non majores sint quam triginta marcarum. De colloquijs judicandis non obstante absentia aliquorum. De inhibitionibus ad judicia dari solitis. De notis non solvendis ab exactione Regia. De judicio kmetonis fugitivi. De falsariis citationum puniendis. De pretio per Palatinos rebus imponendo. De puniendis decreto Palatinorum renitentibus. | |
| 1451. Confirmatio statutorum de zuppis salinorum per Divum olim Secundum Casimirum Magnum editorum | 72 |
| Venditio zupparum. Sequuntur iura officialium. Sequuntur jura dominorum in zuppis, quae non debent poni ad rationem. Sequuntur jura Succamerarij. Sequuntur jura Zupparij. Sequuntur jura sectorum. Sequuntur jura Magistrorum montium. Ad idem. | |
| — De praerogativis Archiepiscopi Gnesnensis et jure coronandi Reges | 77 |
| 1454. Literae incorporationis recuperatae a Cruciferis, et ad corpus Regni sponte redeuntis Prussiae | 78 |
| — Reciproca sponsio quam in D. Casimiri Poloniae R. verba, Ordines Terrarum Prussiae pro temporum illorum conditione fecerunt | 81 |
| — Privilegium, quod tenetae civitatum atque locorum, nullis extraneis, sed veris indigenis conferri debeant. | 83 |
| — Literae feudi et homagij Duci Oswiecimensi et Zatoriensi | 84 |
| 1455. Casimirus declarat a contributionibus nobilitatem liberam, ad Choynice | 85 |
| 1457. Venditio Ducatus Oswiecimensis Regi Poloniae Casimiro | 85 |
| — Constitutio de protectione bellica in Conventione Petricoviensi Generali edita, per quam datur arbitrium, damna passis, excommunicandi Judices pro injustitia | 87 |
| 1458. Confirmatio privilegii Vlad. Jagellonis contra eos, qui excommunicationis sententias ultra annum sustinent, per Casimirum Tertium ejusdem Jagellonis filium Petricoviae, cum insertione ejusmodi privilegii | 88 |
| 1460. Conventus monasterii Lubienensis pollicetur Electum, alias futurum quemlibet Abbatem Regi Poloniae repraesentare, tanquam patrono, votum et consensum ab eo petens | 90 |
| — Episcopus Posnaniensis promittit non procedere ad consecrationem futuri Abbatis monasterii Lubienensis nisi consensus Reg. Pol. ad idem accesserit | 90 |
| 1462. Terra Belzensis Regno adscribitur | 91 |
| 1463. Idem Rex liberos nobiles a tributis facit | 92 |
| 1466. Terrarum Prussiae pacis perpetuae ultimo factae | 92 |
| — Oratio ad Divum Paulum Summum Pontificem nomine Majestatis R. pro ratificanda pace perpetua et praestita obedientia etc. habita | 101 |
| 1470. Casim. jura et privilegia omnia confirmat | 103 |
| 1474. Casim. in Opatowiec sanxit statuta de raptoribus et invasoribus bonorum ecclesiae, quae edidit in Nova Civitate | 104 |
| Casim. omnes Ordines tam spirituales quam saeculares ad juvandam armis patriam obligat | 104 |

| Anno | Pag. |
|---|------|
| 1476. Casim. jus Culmense Prussis confirmat, alia jura Pruthenica etc. abrogando | 105 |
| 1477. Casim. confirmat privilegia et omnes libertates Prussiae | 106 |
| 1478. Litera obligatoria in qua D. Rex Poloniae promittit Terram Sandomiriae se nunquam cuiquam obligaturum | 106 |
| 1479. Casimiro III Episcopus Varmiensis praestat obedientiam | 107 |
| 1485. Casimiro Stephanus Palatinus Moldaviae praestat iuramentum | 109 |

Joannes Albertus.

| | |
|--|-----|
| 1494. Joann. Alb. confirmat privilegia Prussiae | 110 |
| — Literae super Ducatum Zatoriensem | 111 |
| Iuramentum Ducis Zatoriensis. Iuramentum terrigenarum Ducatus Zatoriensis. | |
| 1496. Joann. Alb. confirmat Casimiri III statuta condita Niessoviae et Opoki a. 1454 sua item complura adijcit | 113 |

Statutum Casimiri in Nieszowa et Opoki.

Confirmatio iurium. Ad bellum euntibus promissio facta stipendij. In Capitaneos non constituantur dignitarii. Dignitates et officia quibus danda. Cancellarij, Vice-Cancellarij, Mareschalci de quibus sint Terris. De non obligandis terris et castris principalibus. De non expetendis contributionibus a subditis. Granicies bonorum Regalium qualiter faciendae. De inhibitione iudiciorum. De differentia spiritualium et saecularium. Iudicia Capitanei pro tempore et loco tenentes. Quatuor articulos Capitanei iudicaturi. De iustitia per Regem in ingressu Terrae faciendae. De terminis generalibus seu peremptorijs. De libro iudiciorum. Iudicia secundum statuta tenenda. Notae Notariorum et lectura. Notarius qualiter instituendus cum vacat. Liber qualiter servandus sit. De controversijs et responsis. Vulnera qualiter probanda et iudicanda. De calumnia objecta, de calumniatore, et de calumniato. De eo qui procuratore caret aut proponere nescit. De pignorationibus. Si tenutarij bonorum Regalium cuiquam injuriantur. Spiéne abrogatur. In foro publico non sint prohibitiones. De profugis restituendis. Vulneratorum et occisorum villanorum in civitatibus. De filijs pro patre aut fratribus indivisis ad bellum ituris. De rebus venalibus per Palatinos taxandis. De bello et constitutionibus decernendis. De iudaeis et eorundem iuribus praescriptionibus et obligationibus.

Casimiri Statuta Nieszavien. et in Opoki, Joannes Alb. Rex confirmat.

Statuta Joannis Alberti anno 1496.

Iudicia quatuor in anno tenenda, et qui illis debeant interesse. De evocatis ad alienum Districtum. De Notarii et Camerariorum in absentia Iudicis auctoritate. De locis Iudiciorum Capitaneorum et quatuor articulis iudicandis. De iudicijs Capitaneorum quot vicibus celebrabuntur. De nullitate Iudicij Capitaneorum. De inscriptionibus Castrensibus ad Terrestrem librum transferendis. De liberis navigationibus et fluminibus ex nomine liberis. De fluvijs ad navigandum aperiendis praesertim circa Thorunium. De Thorunen. impedimento in navigatione. De kmethonum missione. De fugitivis kmethonibus. De auctoritate Notarii et Camerariorum absente Iudice. De filiis kmethonum. De laicis dietim, horatim, aut septimanatim, non annuatim servientibus in civitatibus. De kmethonum debitis apud cives contractis. De libertate nobilium in theloneis. De salvo conductu his, qui de Regno fugiunt dando. De plebeis ad majores ecclesias non recipiendis; de non reservandis beneficijs: et de pensionibus prohibitis. De numero plebeorum ad ecclesias recipiendorum. De sale forensi et advectitio statutum innovatum. De floreni valore. De laicis messis tempore exire de Regno prohibitis. Kmethones quot annuatim de villa mittendi. De laicis seu mendicis mendicatum euntibus. De Succamerariorum salarijs. De salis libera ductura, venditione, item de cistis salis abolitis. De exactione Regali seu duorum grossorum, qualiter solvenda sit. De libertatibus per Exactores tenendis. De libertate nobilibus et spiritualibus a theloneis et foralibus concessa. Item de indulto liquorum quorumlibet in villis propinandorum. De locis Conventionum ante expeditionem bellicam praemittendarum. De Iudice Terrestri in Terra mansuro. De Palatinis pretia et mensuras rebus venalibus imposituris, item de fraternitatibus. De civibus et plebeis oppida, et bona alia in iure Terrestri non possessuris. De armis ad domum iudicij non inferendis. De termino citationum ad Conventionem Generalem praefigendo. De domus violatione et in ea violenta vulneratione ac homicidio et complicitibus eius. De eo qui inculpatur quod familiaris suus domum violaverit. De servitore violatore domus fugiente, quid cum domino faciendum. De homicidio et capite nobilium solvendis. De homicidio in sui defensione casu praesertim in via commisso. De homicidio in via publica facto. De homicidio in defensione bonorum, aut subditorum commisso. De raptu

| Anno. | Pag. |
|--|------|
| virginum ac faeminarum. De granicierum limitatione inter bona Regalia, et terrigenarum et numero Commissariorum, ac modo iudicandi. De kmethone fugitivo repetendo tam de Regalibus, quam non Regalibus bonis: De non transponendis graniciebus per Succamerarios. De dotibus non inscriptis. De inhibitionibus ecclesiasticis ad iudicia. De stipendiarijs damna aut injurias committentibus. De solutione ab intromissionibus bonorum abrogata. De praescriptione librorum Terrestrium et Castrensium. De servandis libris Capitaneorum. De antiquis Capitanei libris. | |

Albertus Rex confirmationem suam scripsit et privilegium dedit super omnibus institutis Regni.

| | |
|---|-----|
| 1499. Proceres Lithvaniae confirmant veterem societatem Magni Ducatus adjuncti Regno Poloniae | 129 |
|---|-----|

Alexander.

| | |
|---|-----|
| 1501. Alex. unit Lithuaniam Regno | 131 |
| Alex. privilegia Sandomiriensium confirmat | 133 |
| Statuta Procerum Regni Poloniae absente Alexandro Rege | 133 |

De dignitatibus et officijs per Majestatem Regiam conferendis. De officio Palatinorum ad pretia rebus imponehda. De filiis kmethonum. De rusticis extra Regnum laboratum non mittendis.

| | |
|---|-----|
| 1504. Statuta Petricoviae sancita | 134 |
|---|-----|

De officijs Regni et Curiae et praesertim Mareschalcorum. De Cancellariatus et Vice-Cancellariatus Officijs. De Officijs Cancellariae cum Episcopatibus, et pari modo de Officijs saecularibus copulative non tenendis. De maiori Secretario et praerogativis eius. De Thesaurario Regni et Vice-Thesaurario Curiae. De teloneis in terra et aqua solvendis et non solvendis. De modo bonorum Regalium inscribendorum. De literis super bona Regalia amissis innovandis.

| | |
|---|-----|
| 1505. Decreta in Comitijs Radomiensibus | 136 |
|---|-----|

De non faciendis constitutionibus sine consensu Consiliariorum et Nuntiorum Terrestrium. De constitutionibus novis per proclamationes publicandis. De suspectis in crimine, qui bonae famae sunt censendi, et de non captivandis bonae famae nobilibus. De servis maleficos insecuturis. De tempore servorum sub indicto tempore belli licentiandorum. De primo termino iudicij Capitaneorum. De salario Capitaneorum ab intromissione. De citationibus Capitaneorum ad querelam. De titulo ad citationes Terrestres in Capitaneatu Posnaniensi. De salvis conductibus per Capitaneos non dandis kmethonibus terrigenarum. De numero plebeorum ad ecclesias cathedrales suscipiendorum. Statuta Ecclesiarum seu de plebeis ad vota Serenissimae Principis Dominae Elisabeth Dei gratia Reginae Poloniae Genitricis nostrae sanctum, continens qui et qualiter ad Episcopatus et dignitates ecclesiarum recipiendi, ac qualiter nobilitas talium probetur in futurum. De causis saecularibus in iudicio spirituali non iudicandis. De iniurijs spiritualium iure Terrestri diffiniendis. De commissionibus per Maiestatem Regiam dandis et non dandis. De teloneis privata auctoritate non constituendis. De officialibus iudiciorum. De civibus a bello non liberandis. De pretio rerum venalium per Palatinos constituendo. De impetrantibus beneficia iuris patronatus. De dignitatibus et officijs hominibus possessionatis dandis. De valore floreni. De executione perlucrorum. De libera venditione frumenti nobilium Bidgostiae. De dignitarijs et officialibus in possessionatis. De dote per consanguineos mortuae mulieris a marito repetenda.

| | |
|--|-----|
| — Alex. inseri mandat privilegium iudaeorum concessum olim a Boleslao Duce | 141 |
|--|-----|

Christianus non debet admitti ad testimonium contra iudaeum, nisi poterit probare per iudaeum et christianum. Si christianus pro pignoribus citat iudaeum et ille non confitetur, iudaeus per iuramentum evadat. Si pro minori pecunia asserit christianus quod iudaeo pignus obligavit, iudaeus per iuramentum probabit. Si iudaeus dicat christiano se aliquid mutuasse, christianus se iuramento expurgabit. Iudaeus pro pignore omnia potest recipere exceptis vestibus sacris et madefactis sanguine. Item iudaeus contra christianum iurabit quod nesciebat pignus furatum aut violenter ablatum dum obligabatur ei, sic ergo se purgat. Si christianus aliquid apud iudaeum impignoravit, et iudaeus suum cum illo amisit iurabit iudaeus et absolvetur a petitis. Civitas nihil habet agere cum iudacis, nisi Princeps vel Palatinus, pro reatu vero personae solus Princeps iudicabit. Item pro vulnere iudaci poena debetur Principi et Palatino iuxta arbitrium et solutio pro curatione laeso. Pro capite iudaci poena debetur Principi videlicet confiscatio bonorum. Pro plaga vel percussione iudaci non sangvinolenta poena debetur Palatino et laeso satisfactio. De theloneo a iudaeis exigendo. De ductione iudaeorum mortuorum. De dissipatione caemeterii. Pro violentia scho-

| Anno | Pag. |
|-------|---|
| | Iae iudaeorum. Item de poena Judicis contra iudaeum. De contumacia iudaei qua poena puniatur. Si iudaeus iudaeum vulneraverit poenam juxta Terrae consuetudinem Judici solvet. Qualiter iudaei iurare debent. De occulta iudaei interfectione. De violentia manuali in iudaeum ius Terrae poenam et iudicium docet. De potestate Judicis. De accrescentia usurarum. De hospitacione iudaei. De literis et possessione bonorum immobilium. De iudaeorum pueris. De potestate Judicis. Iudaei non iudicentur die feriata. De ablatiis pignoribus iudaeis per aliquem. Item in scholis iudicentur eorum excessus. De impetitione iudaei per christianum pro puero interempto. Aequalis pecunia sive debitum semper iudaeo responderi debet cum usura sive in auro sive in argento. De equis obligatis. De falsa moneta quaerenda. De clamore iudaei in nocte pro violentia. De comparacione et emptione victualium. |
| 1505. | Alex. confirmat scriptum Nicolai Kotwiczij de iure Canonico 144 |
| — | Alex. consuetudines Terrae Cracoviensis corpori juris adscriptas et approbatas confirmat 148 |
| | De inscriptione Castrensi. Casus de minorennibus pueris iudicandis. De bonis minorennibus pueris resignatis per pueros non inscribendis. De inscriptione uxoris. De crinili nuptiarum virginum. De ministeriali in primo termino ante responsionem dando. De tempore ad interrogandum in iudicijs servando et de interrogacione per partes non audienda. De literis per Capitaneos in tribus casibus ad querelam dandis. De executione rei iudicatae. De data, titulo et literis abecedarij citationes destruunt, nec ne. De malo procuratorio. De citatione verbalis, alias Nadworny Rok. De citandis verbaliter iudicio alias de tactis. De inhonorato iudicio. De coadjutoribus citatis et non recusatis. De actore in termino volente probare contra citatum. De actore condemnando. De possessione in molendino et taberna non assignanda. De dilatione termini, per infirmitatem dum inscribitur non differendus. De minuta non sigillata nihil probante. De iniusta concitacione ad satisfaciendum. De immissione citandis. De actore citante et non continuante processum iuris. De citatione super citationem facta. De abrenuntiatione proprii Districtus. De termino facietenus alias facionato. De nobilibus quo numero cum ministeriali habendis. De corilo. De iudicio pro pecore in damno abacto. De pecore dato ad forestam Regiam dum per nullum cuius esset fide iubetur. De non dato pecore ad forestam Regiam. De arrestandis pecunijs. De mutuatibus pecunijs iure repetendis. De testimonio ministeriali de alia Terra in aliam faciendum. De intercisis citationum componendis. De concitacione non scribenda ad respondendum iudicialiter. De petitione insimul et condemnationis et poenae. De intromissione cui in inscriptione debitor abrenuntiat danda cum poena. De termino pro maiori dari solito. De condemnatione iniusta. |
| | <i>Admonitio ad consuetudines juris ubique Terrarum habendas.</i> |
| — | Alex. inserit Statuto Łaski formas iuramentorum 152 |
| | Regis iuramentum quod etiam Nos Alexander praestitimus. Iuramentum Consiliariorum Regni. Iuramentum Magistri Generalis in Prussia et Commendatorum ejus. Iuramentum Palatini Moldaviae. Iuramentum quod Walachi praestare consueverunt Regi et Regno Poloniae. Forma iuramenti per Consiliarios Terrarum Prussiae secundum ius et necessitatem Terrae. Forma iuramenti inscripti quo Consiliarij Terrarum Prussiae in medio Consilij iurant. Consules civitatum earundem et Terrarum ac nobilium communitas in solio Maiestatis iurabunt forma infrascripta. Capitanei et Tenutarii Castrorum sic iurant. Iuramentum Burgrabii Gedanensis. Iuramentum ministerialium quando tonduntur per Palatinum. Iudaeorum iuramentum contra christianos. |
| — | Alex. condemnat aliquot articulos juris Saxonici, quos Gregorius Summus Pontifex condemnabat 153 |
| | Summus Pontifex Gregorius reprobat certos articulos juris Saxonici et Magdeburgensis tanquam iuri Divino contrarios. Ad idem. Quatuordecim articuli erronei juris Saxonici seu Theutonici et Maydeburgen: per sedem Apostolicam condemnati, tanquam iuri Naturali et Divino contrarij, quos etiam Nos Alexander Rex Apostolico decreto innitentes reprobamus, condemnamus, nulliusque roboris et momenti decernimus perpetuo, ac per quoslibet Iudices et subditos nostros ubilibet in dominijs nostris consistentes districtius sub poenis nostris eosdem teneri inhibemus. |
| — | Processus juris a Joanne Łaskio confectus jussu Alexandri Regis 155 |
| | Instructio ad conservationem terminorum ac ad processum executionis iudicatorum. Primus terminus. Secundus terminus. Tertius terminus. Quartus terminus. Ad idem. Processus in re iudicata quae vulgari nostro in iudicijs et extra ea perlucra dicuntur. De re iudicata. Ad idem. Ad idem. Ad idem. Ad idem. Ad idem. Ad idem. Ad idem. Item processus fit alio modo et in terminorum observatione et in re iudicata. Qualiter Capitanei locorum procedant brachium Regale extensuri in demandacione executionis rei iudicatae seu perlucro- |

| Anno | Pag. |
|-------|---|
| | rum, pia Majestas Serenissimi Domini Alexandri Regis ordine infrascripto docebit. Si intromissio isto modo data, esset aut adempta, aut impedita violenter. Pro secunda vice intromissio de brachio Regali. Si intromissio pro secunda vice data irritaretur. Pro tertia vice personalis capitis executio finalis. Realis instructio ad possessionis assignacionem circa executionem rei iudicatae. Ad idem. Ad idem. Ad idem. Ad idem. In aliquibus Terris fit sic ex consuetudine. Ad idem. Ad idem. Ad idem. In alijs quibusdam Terris fit sic etiam, ex consuetudine privata. Ad idem. Ad idem. |
| 1505. | Alex. confirmat Statutum collectum a Łaski 160 |
| — | Generalis confirmatio omnium iurium 161 |

Sigismundus Primus.

| | |
|-------|--|
| 1507. | Privilegium quo iura omnia confirmat 162 |
| — | Praefatio Sigism. I ad omnes illius constitutiones, ut in ejus statuto reperitur 163 |
| — | Statuta in Conventione Generali Cracoviensi 163 |
| | De publicis pecunijs dispensandis et conservandis. Qualiter literae inscriptionum revidendae sint, in redemptione bonorum Regiorum. De poena Capitaneorum, negligentium exequi, quae ad eorum pertinent officium. Ut in Cancellariatu et Vice-Cancellariatu Regni, alter sit spiritualis, et alter saecularis. De poena civium, negligentium exequi constitutiones, super pretijs rerum venalium. De poena, pannos strictiores vel breviores, quam sit consuetum vendentium. De usu fluviorum bona Regia et subditorum determinantium. De inscriptionibus bonorum in fraudem factis. De poena eorum, qui manu armata ad iudicia et Conventus Generales et particulares veniunt. Ut in Curia Regia duo sint jurisperiti, qui querelas audiant. Ut libera sit venditio rerum omnium per talenta et ulnas, in nundinis civitatum et oppidorum. Palatini et aliqui Castellani, liberi sint a solutione exactionis duorum grossorum. Ut Iudices et Burgrabij Capitaneorum, sint possessionati in Capitaneatu, in quo officia exercent. Ne mercata fiant in villis, et de poena secus facientium. De pondere et mensura Cracoviensi, Posnaniensi, Leopoliensi, Lublinensi. De Commissarijs, ad granicies quae contingunt inter Regnum, magnum Ducatum Lithvaniae, et Masoviam deputandis. Confirmatur statutum Alberti Regis, de fugitivis in Russia, et de exemptione nobilitatis, ejusdem Terrae, a solutione teloneorum et foralium. |
| 1510. | Constitutiones Conventus Petricoviensis 166 |
| | De uniendis Lithvaniae et Prussiae Terris, ad ferenda onera Regni. Tempora determinata, quibus Conventus particulares sequi debeant. Poena statuta contra non venientes ad Conventus. Ut Palatini provideant, ne in mensuris et pretijs rerum venalium homines graventur, et iudicia temporibus statutis non negligant. De colonis fugitivis restituendis. Conventus in Radzielow Brestensi, et Iunivladislaviensi Terris, deinceps indicendus. De progressu ad bellum. De officialibus immissione. De solvendo teloneo aquatico per nobiles. De non admittendo sale externo. De resignationibus et inscriptionibus coram Capitaneo Maioris-Poloniae. De libris Capitaneorum Maioris-Poloniae in Praetorio civitatis Posnaniensis, conservandis. De testamentis condendis. Ut homines saeculares, ad iudicia spiritualia, pro re mere saeculari, non evocentur. Restrigitur nimia exactio Notariorum Terrestrialium. Poena contra homicidas statuta, sive sint possessionati, sive non. De homicidijs ante commissis. Executio statuti, Serenissimi olim Regis Alexandri, de malefactoribus prorogatur ad quinque annos. Poena statuta contra violatores Consiliariorum et Nuntiorum, ad Conventus publicos proficiscentium. Conservantur in suo robore priores constitutiones, contra plebeios et Romanistas editae. De quibus bonis personalis profectio ad bellum fieri debet. De transgressoribus novi telonei. Quomodo literae et inscriptiones in bonis Regiis interpretandae. Sculteti, Advocati, molendinatores, Scultetias, Advocatias, et molendina sua, absque consensu dominorum suorum, alienare et obligare non debent, nec possunt. |
| 1511. | Constitutiones Conventus Petricoviensis 170 |
| | De processu iudiciario in unam formulam redigendo. Ut fluvij, Wisla, Warta, et alij sint liberi et navigabiles. Taxa literarum Cancellariae nostrae Regiae. Nobilitas Regni, cogi non debet ad solvenda telonea, a frumentis et rebus labore suo domestico quaesitis. Ut de agris, hortis, et Scultetijs desertis, publicae contributiones non exigantur. Coram quibus Iudicibus Exactores publicarum contributionum respondere teneantur. Nobiles Regni, coquentes cerevisiam in civitatibus et oppidis ad usum suum domesticum, immunes esse debent a solvenda contributione czopowe. De mensura, antiquitus constituta a mercatoribus servanda. Poena contra evocantes quempiam extra proprium Districtum. Libertas alienandi bona omnia, sterilibus hominibus concessa. Corrigitur statutum de inutili Sculteto. De agendis generalibus iudicijs, quae colloquia nuncupantur. De potestate Procuratoris, pro suo princi- |

| Anno | Pag. |
|---|------|
| pali in iudicio comparentis. De non exigendo spise. Villae et possessiones monasteriorum, adsequantur villis nobilium, in solvenda exactione duorum grossorum. De Polonis ad monasteria Regni suscipiendis. Taxa literarum Iudicii Terrestris. De sale devehendo ad illas Terras, ad quas navibus demitti solet. Poena contra Capitaneos et Tenentarios venire negligentes ad faciendos limites. Aboletur consuetudo Terrae Sochaczoviensis, in cassandis citationibus observata. De filiabus colonorum in matrimonium collocatis. | |
| 1512. Privilegium Capituli Varmiensis super electione Episcoporum Varmiensium, et gratitudine personae eligendae, et quod ex electis Rex nominare non debeat nisi verum Terrarum Prussiae indigenam | 172 |
| Sigism. consultat de matrimonio cum Proceribus | 173 |
| 1516. Terra Drochiciensis juri Polonico adscribitur | 174 |
| 1519. Constitutiones Conventus Petricoviensis | 175 |
| Poena contra evocantes ad forum spirituale pro re meræ saeculari. Notarii Terrestris, circa positionem librorum, praesentes esse debent. Termino Curiali, Nobis in Terris Majoris Poloniae existentibus, nemo, nisi de eisdem Terris citari ad Nos debet: et similiter Nobis in Terris Minoris Poloniae agentibus, nonnisi ex Terris ejusdem nobiles ad Nos citantur. De terminis ad querelam non transponendis. De Capitaneis et tenentarijs ut violentias nobilitati in limitibus non inferant. Limitationes bonorum non secundum literas et signa in eis descripta, sed juxta senum testimonia fieri debent. Poenae contra non possessionatos Capitaneos, et eorum Officiales. Unus particularis Conventus in Terra Sandomiriensi celebrandus. Praescriptio viginti annorum virginibus monialibus, ad bona haereditaria repetenda, concessa. Iudices cum Subjudicibus providere debent, ut inscriptiones diligenter per Notarios in libros inscribantur. De taxa membranarum. De testamentis non confirmandis. Poena contra recipientes pecuniam, ad servitium militare. Iudices Terrestris et Castroneses, Subiudices, et Notarii, iurati esse debent. De pixidibus brevibus non deferendis. Non habentibus literas super telonea. Poena contra rusticos vagos. De inscriptionibus bonorum, factis coram Officio Castri Siradien: et Lancicien: | |
| — Cautio in persona Joannis Baliński, quod posthac nonnisi Terrarum Prussiae indigena, et vernaculae linguae peritus, in ipsarum Terrarum consilium recipi et admitti debeat | 177 |
| 1520. Constitutiones Conventus Bydgostiensis | 177 |
| Motio generalis belli. Castellanos facultas in Conventibus particularibus, et profectio- ne bellica. De conformandis juribus et consuetudinibus Regni. Poena turbantium Con- ventus. Poena absentium a bello. De kmethonibus fugitivis. De laboribus kmethonum. De sa- lario Officialium Iudicij Terrestris. Prohibitio transitus per Marchiam. Prohibitio salis ex- tranci, sub poena infra scripta. | |
| 1521. Statuta quae exstant Comitij Thorunensibus | 179 |
| Kmethones unum diem, plus minusve, septimanatim laborent. De eadem captivatione no- bilitum in civitatibus ob admissa crimina. | |
| — Confirmatio omnium privilegiorum et libertatum, quas Casimirus Rex Terris Prus- siae concesserat | 180 |
| 1523. Constitutiones Conventus Petricoviensis | 201 |
| Ut Palatini officia sua, in constituendis rebus venalibus diligenter exercent. De furto prohibendo, et furibus coercendis. De militibus mercenarijs, in Russia militantibus, qui da- mna in bonis nobilium inferunt. Contra Teloneatores, telonea et foralia a nobilitate et ejus subditis ultra debitum exigentes. De progressu ad bellum. De faciendis limitibus, inter bona nostra Regia et subditorum nostrorum tam spiritualium, quam saecularium. Renovatio sta- tuti contra homicidas ad quatuor annos. Ut Doctores medicinae apothecas et aromatarias, diligenter quotannis revideant. | |
| — Formula processus judicarij, Terrarum Cracoviensis, Sandomiriensis, Lublinensis, Russiae, Belzensis, et Podoliae | 202 |
| De bonis redimendis, de manibus dominae dotalitonalis, secundo maritatae. Processus judicarius observandus circa faciendos limites. Forma citationis ad Iudicium Terrestris con- tra vicinos habentes contiguos parietes cum haeredibus, seu bonis limitandis. Formæ adci- tationis ex Officio Succamerarij contra collaterales sive habentes parietes contiguos. Con- stitutiones celebrationis terminorum in partibus Russiae. Formula inscriptionis, suspensionis termini per iudicium, ad interrogandum, sive ad deliberandum, aut ex quacunque causa par- tibus praefixi. Forma suspensionis termini, de consensu et voluntate partium. | |


| Anno | Pag. |
|---|------|
| 1523. Processus variarum recognitionum et inscriptionum in Iudicio Terrestris | 208 |
| Iudices diligenter considerare debent, actatem, discretionem, bonam aut adversam cor- poris valetudinem, ejus qui aliquam facit inscriptionem. Formulae inscriptionum perpetua- rum. Inscriptio census in vim reemptionis, alias na <i>wyderkaw</i> , personis spiritualibus, quae nonnisi cum consensu Regiae Majestatis prius obtento, fieri debet. Inscriptio commutationis. Donationis. Inscriptio inter conjuges, ad tempora vitae. Inscriptio obligationis de facto. In- scriptio certi debiti, ad tempus certum obligati. Inscriptio arendae. | |
| <i>Formulae citationum.</i> | |
| Citatio pro debito inscripto. Pro debito non inscripto. Pro excisione gajj, aut sylvae, vel mericae. Pro arboribus fructiferis. Pro vulceribus. Pro capite occiso. Pro propinquitate. Pro di- visione. Pro redimendis bonis obligatorijs. Pro kmethone profugo, sive quovis alio subdito. Pro cautione fidejussoria. Pro receptione foeni, aut frumentorum. Pro conculcatione et depastione frumentorum. Citatio ad paratam citationem post mortem patris, aut cujusvis antecessoris, cui nondum venerat terminus. Dum pater, aut alius antecessor, lite contestata, sive scripto termino, aut condemnato reo, mortuus fuerit. Citationis translapsae additatio. A kmethonc, sive alio quovis subdito. Granicierum. Pro non administratione justitiae. Secundae citatio- nis post condemnationem in poena contumaciae. Concitationis, alias <i>przypowiastru</i> , post con- demnationem in lucro. Citatio ex Officio Succamerarij, ad campum post condemnationem citati in lucro in Iudicio Terrestris. Citatio Castrensis ad Querelam. Concitatio, alias <i>przypowiastru</i> , post latam sententiam, pro re decreta. | |
| 1524. Nundinae in Polonia per Germanos instituendae | 213 |
| 1525. Pax perpetua inter Sigismundum Regem et Regnum Poloniae, et Magistrum Prus- siae, ejusque Ordinem Cruciferorum, Cracoviae confecta | 214 |
| <i>Approbatio pacis perpetuae per Reverendissimum Episcopum Pomezaniensem D. Erhardum et Magnificos Generosos nobiles et spectabiles Dominos Legatos nomine Ordinum Ducatus Prussiae, Cracoviae anno 1525, nona die Aprilis facta.</i> | |
| — Sigism. Terras Prussiae dat in feudum | 220 |
| — Rex dabit Alberto Duci Prussiae 4000 floren. | 222 |
| — Decretum Ducis Janussii contra dissidentes | 223 |
| — Concordata Regni Poloniae cum Clemente VII Papa | 223 |
| 1526. Privilegium Duci Prussiae datum | 225 |
| — Ordinatio civitatis Gedanensis | 226 |
| — Ordinatio Ducatus Prussiae | 230 |
| — Infeudatio castri Bytow et civitatis Lunenburgensis | 233 |
| 1527. Decreta in Conventione Generali Cracoviensi | 234 |
| — Taxatio fundorum | 237 |
| 1528. Sigism. ad Consiliarios Terrarum Prussiae de decimis Episcopo Vladisl. pendendis | 239 |
| — An Dux Prussiae ad electionem Regis pertineat? Quodque ab eo ad Regiam M. vel alioquin communes illorum Commissarios appelletur. Praeterea R. M. literas publicae fidei aliqua injuria in Prussia gravatis dabit | 240 |
| <i>Responsum datum Oratoribus Ducis de Prussia super facultate eligendi Regis. A Duce Prussiae ad Regiam M. appelletur, quae etiam literas publicae fidei dabit. Responsum Oratoribus Ducis Prussiae in Conv. Petricov. datum.</i> | |
| De eisdem appellationibus. | |
| 1529. Renovatio pacis et concordiae perpetuae inter Serenissimum Regem D. Sigismun- dum, ejusdemque S. R. M. Filium D. Sigismundum Augustum in M. D. Lit. Ele- ctum ex una, et Illustriss. Principem D. Albertum Marchionem Brandenburgen. et in Prussia Ducem ex altera partibus facta 21 Junij | 241 |
| 1530. Cavet autem idem Rex ut Regis electio sit libera, Conventu ad hoc idem edicto | 245 |
| — Idem Sigism. Rex pollicetur, Sigismundum Augustum Regem Poloniae creatum, cum venerit ad annos discretionis, jura confirmaturum | 245 |
| — Jus Ordinum Prussiae in electione Regum | 246 |
| 1532. Constitutiones Conventus Cracoviensis | 247 |
| 1537. Sigismundus Augustus adultus jurat, vivente patre a gubernatione Regni abstinere: postea jura Regni confirmat literis | 253 |

| Anno | | Pag. |
|-------|--|------|
| 1537. | Sigism. I cavet neminem parere debere filio nisi post diploma confirmante jura | 254 |
| 1538. | Sigism. I cavet electionem fieri non debere nisi in Comitiji | 254 |
| — | Decreta, constitutiones publicae in Conventu Generali Petricoviensi | 255 |
| | De teloneis pontalibus, aggeralibus, etc. De redemptione bonorum Regalium. De Abbatibus, et Praepositis. De Notarijs Terrestribus. De captivatione nobilium in civitatibus. Statuti autem formula, Thoruniae per Nos anno 1520 editi, in haec verba sequitur. De inhibitionibus. De judicio occisorum et vulneratorum in civitatibus et oppidis. De Palatinorum, Vice-Palatinorum, ac civium negligentia super taxatione rerum. De nundinis civitatum et oppidorum. De profugis kmetonibus. De expeditione bellica. De judaeis. De civibus bona haereditaria possidentibus. De Colloquijs Generalibus celebrandis. De novis constitutionibus. De officijs Cancellariae. De plebeijs et cortisanis. De limitibus bonorum haereditariorum cum Regalibus. De incompatilibus. De motione a Judicio Castrensi. De alienigenis. De libris seu registris Cancellariae. De literis ex libris Terrestribus extractis. De novis Tribunatibus. De Referendarijs. Ne spirituales judicijs saecularibus se immisceant. De dignitatibus et officijs. Ut omnes serviant bellicam expeditionem. De advitalitatibus. De bonis haereditariis. De causis ad Conventum Generalem devolutis. De interpretatione privilegiorum. De prohibenda via in Hungariam et Silesiam. De homicidijs, De Scultetis spiritualium. De fugitivis ad Silesiam. De cerdonibus. De equireis. De motione Judicis. De securitate judiciorum. De non transponendis judicijs proclamatis. De libris Terrestribus servandis. De Capitaneis negligentibus executionem rei judicatae. De falsitatibus et collusionibus. De judicijs tempore proclamati Conventus Generalis. De citationibus et terminis post curiam. De tollendis, et amovendis contubernijs artificum, in civitatibus et oppidis. | |
| — | Constitutiones in Conventione Generali Petricoviensi pro Ducatu Masoviae | 263 |
| | De pontium et aggerum structura. De mellificijs. De commensurationibus. De damnis in fluminibus navigandis. De foralibus. De teloneis. De Assessore ex Ducatu Masoviae adjungendo. De pretijs rebus imponendis. De superintendente. De inquisitoribus salis exotici seu alieni. De poradlne solvendo. De privilegijs Terrae Visnensis. | |
| — | Constitutiones Terrarum Prussiae in publicis Comitiji Thorunensibus | 266 |
| 1539. | Constitutiones in Conventu Generali Cracoviensi | 268 |
| — | Contributiones in Conventu Generali Cracoviensi | 270 |
| 1540. | Constitutiones Conventus Generalis Cracoviensis | 272 |
| | De bonis Regalis Majestatis. Prohibitio transitus in Silesiam. De repetitione debiti per mercatores. De Praefectis militum Palatinatum. De termino coram Majestate Regia praefigendo. De Comitiji Petricoviae celebrandis. De sponsione fidei. De causis officij, non transponendis. De juramento in solvendis teloneis. De cautione verbali. De functione Cancellariae. De revocatione cortesanorum. De locatione exercituum. De receptione bonorum. De inscriptionibus in Terra Gostinensi. Responsio Terris Masoviae data. De judicijs generalibus. De numero Nunciorum Terrestrium. | |
| 1542. | Privilegium de instantijs (quas vocant) in Judicijs Terrarum Prussiae observandis | 277 |
| 1543. | Constitutiones in Comitiji Generalibus Cracoviensibus | 277 |
| 1544. | Constitutiones in Conventu Generali Petricoviensi | 285 |
| 1545. | Lustratio militum | 286 |
| 1547. | Sigismundus Augustus Bielscensem Districtum juri Polonico adscribit | 287 |

ERRATA PRIMI VOLUMINIS.

| Pag | col. | linea | loco | lege |
|------|----------------------------|--------------|-----------------------------|-----------------|
| V | 2 | 2 infer . . | ab illo visa visa | ab illo visa. |
| VII | 1 | 17 infer . . | in crementis | incrementis. |
| XV | 1 | 26 infer . . | onventionibus | conventionibus. |
| XXII | 1 | 6 super . . | pergratam | pergratum. |
| 7 | 1 | 31 super . . | paena | poena. |
| 7 | 2 | 27 infer . . | imponore | imponere. |
| 11 | 2 | 14 super . . | decendente | decedente. |
| 11 | 2 | 22 super . . | refranetur | refraenetur. |
| 28 | in capitali titulo paginae | | 1401 | 1404. |
| 43 | in capitali titulo paginae | | 1443 | 1433. |
| 67 | 2 | 10 infer . . | da consilio | de consilio. |
| 115 | 2 | 14 infer . . | qualitor | qualiter. |
| 130 | 2 | 9 super . . | majoros | maiores. |
| 138 | 1 | 27 super . . | Ttatuta | Statuta. |
| 164 | 2 | 25 infer . . | strictores | strictiores. |
| 202 | 2 | 8 super . . | praedictorum | praedictarum. |
| 202 | 2 | 16 super . . | nos plus | non plus. |
| 202 | 2 | 17 infer . . | comparentibus: | comparentibus, |
| 208 | 1 | 11 super . . | suspensionis | suspensionis. |
| 212 | 2 | 1 super . . | consultatione | conculcatione. |
| 212 | 2 | 2 super . . | ta immissisti | tu immissisti. |
| 240 | in capitali titulo paginae | | eligendis | eligendi. |
| 263 | 1 | 3 super . . | proclamtis | proclamatiss. |
| 274 | 2 | 25 super . . | officij | officij. |

In hoc volumine desunt per errorem numeri paginarum a 181 usque ad 200 inclusive, in textu tamen nihil est omissum.



Przedruk techniką typograficzną
wykonany w Zakładach Graficznych w Katowicach
z egzemplarza udostępnionego
przez Bibliotekę Narodową w Warszawie
Wydano w nakładzie 800 egzemplarzy
na zamówienie Zjednoczenia Księgarstwa
Wydawnictwo Artystyczne i Filmowe
Warszawa 1980



1039. ... 101

1040. ... 107

1041. ... 111

1042. ... 115

1043. ... 119

1044. ... 123

1045. ... 127

1046. ... 131

1047. ... 135



Wydawnictwo Uniwersyteckiego
Instytutu w Zakładzie Biblioteczno-
i archiwalnym
prof. Mirosława Tomaszewskiego w Instytucie
Bibliologii i Bibliotekoznawstwa
na Uniwersytecie Warszawskim
Wydanie 1991

G № 303171

